MATTHIAE NORBERGI

SELECTA

OPUSCULA ACADEMICA.

EDIDIT

JOHANNES NORRMANN.

PARS TERTIA ET ULTIMA.

LONDINI GOTHORUM MDCCCXIX.

LITTERIS BERLINGIANIS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Tomo hoc continentur Dissertationes:

I. DE CHARACTERE STILI JESAJANI.

§. I.

Cum in animo est, characterem stili Jesajani exponere, nihil ad hujus propositi consilium accommodatius fecerim, quam si in antecessum de natura stili Prophetici generatim disseruerim. Pleraque Prophetarum vaticinia, æque ac cætera Hebrææ poëseos monumenta, non spiritu tantum poëtico animata, sed numeris etiam & metro aliquo adstricta esse, antiquitus negatum fuit, recentius vero probatum a). Ab Hebrææ reipublicæ primordiis sacri fuerunt conventus, in quibus Propheti-

a) Lowth de Sacra Poësi Hebr. Præl. XVIII.

ci muneris candidati, a Deo electi & imbuti, procul a frequentia hominum ad religiosa officia instituti sunt, vate divinæ auctoritatis præceptore eorum & moderatore. Dedicatisque his locis non modo carmina in divini nominis gloriam & sanctum humani generis usum composuisse, sed etiam sua oracula tibiis & fidibus cantasse, & ad citharæ cantum, in majorem fidem & reverentiam, pronuntiata edidisse videntur b). Hinc manifestum est, cur magna pars hymnorum vaticinia dicantur c). Nec hæc res admirationem habet. Cum enim poësis ad commovendos hominum animos multum valeat per se, & musica propriam ei vim adjiciat, facile intelligitur, cur in Prophetico munere altera in alterius societatem se obtulerit. Eamque oracula condendi fundendique rationem imitata videtur religiosa Judæorum consuetudo, qua suos hymnos alternis choris invicem cantarunt, ita ut, altero singulis versibus præcinente, alter versiculum priori aliquo modo respondentem sub-

b) 2 Reg. III. 15. Jerem. XXIII. 9. Hez. III. 14. 15. Dan. VII. 28. X. Hab. III. 2. 16.

c) 1 Sam. X. 5 — 10. XIX. 20 — 24. 1 Paral. XXV. 1 — 3. Prov. XXX. 1. XXXI. 1.

ſubjungeret d). Quem morem etiam primi Chriſtiani, dum in duos choros diviſi pſalmum per ſingulas ſtrophas canebant, tenendum ſibi putarunt e). Si itaque in hac re cauſſam, cur carmina Hebræa per ſtrophas æquales, linguæ & numerorum indoli convenientes, & ad modulationem muſicam accommodatas, ordinate collocarentur, poſuerim, nihil temere & ſine auctoritate crediderim f). Quod vero ad conſtitutionem dictionis Propheticæ, in religionis ſtudio ſic natæ & formatæ, attinet, poëtica eſt verborum & ſententiarum compoſitio, quæ vertitur in æquali totius periodi diſtributione, ut in duobus plerumque membris res rebus, verba verbis quaſi paria reſpondeant, magna formarum per iterationem prioris membri vel integri vel ex parte varietate, oppoſitorum acumine & luce vel ſubtili ſimilitudinis ratione, & accurata numerorum cura, nobis ad inveſtigandum difficillima. Nam etſi ſacra Hebræorum poëmata certis quibusdam legibus, quod in membris proſæ orationis vix fieri potuerit, circum-

d) Ezræ III. 11. Ps. CXXXVI. Jes. VI. 3.
e) Plin. lib. X. epist. 97. f) Lowth l. c.

cumſcripta ſunt & æqualibus ſpatiorum intervallis decurrunt, ut ſæpe vocibus voces & pœne ſyllabis ſyllabæ pares congruant, vitio tamen vetuſtatis factum eſt, ut in hac re non tam aurium judicio quam oculorum adſpectu uti liceat. Cæterum ut Prophetia non modo terrorem & conſolationem ſpectat, ſed etiam eventus rerum, natura & tempore disjunctos, proſpicit, ita neceſſarium fuit, ut læta & triſtia imaginibus variis, elatis & communibus, univerſam totius naturam repræſentantibus, exprimeret. Quoniam itaque Prophetia in extremis rerum lineamentis effingendis & generalibus earum affectionibus deſcribendis verſatur, in promtu eſt, nullum dicendi genus Prophetæ convenientius fuiſſe, quam poëticum, imaginibus in rerum deſcriptione & coloribus in affectuum imitatione uberrimum, ut nec pondus grandidati argumenti, nec impetus incitationi animi deeſſet.

§. II.

Hae via & luce ad Jeſaiæ ſacra limina & ſublimia oracula facilior nobis aditus patebit. Ut ordine & tempore, ita dignitate omnium Prophetarum princeps eſt hic vates, ex familia reverentius

tius ignoranda, quam per Judæorum fabulas cognoscenda ortus, consilioque apud regem, & auctoritate apud plebem plurimum valens. Suumque munus, ad quod semel iterumque divino spiritu excitatus fuit, summa religione & fide, minando, consolando & exhortando obiit. Nam vitia suæ gentis, occulta, manifesta, non minus principum scelera sine artificio simulationis, quam crimina civium sine studio benevolentiæ adgressus est: divinaque judicia prævidens, humana supplicia prædixit. Quin cœlestia arcana prodidit adeo certa, ut eum non futurorum oracula, sed præteritorum historiam scripsisse putes. Id autem agit vera & limata eloquentià, quæ non fuco eminet, sed sanguine & viribus nitet, jam fortibus jam lenibus stagnis effusa, lucida, & instar amnis virentibus utrimque silvis inumbrata. Nihil apud eum affectionis & ambitiosæ in loquendo jactantiæ, remotum a veritate, & fictum verborum gratia occurrit. Idem elegans & sublimis, ornatus & gravis: in sensibus elatus, in imaginibus fervidus, in dictione grandis: magnus, non nimius, pressus, non abruptus, fortis, non temerarius, lætus, non luxuriosus, jucundus, non dissolutus, plenus, non tumidus. Servansque

re-

rerum, personarum, locorum & temporum discrimina, alias ad alia artes adhibet. Similis ille musicis, qui spatia nervorum plurima varietate complent, utitur, ut res exigit, omnibus: nec pro re modo, sed etiam pro rei partibus apte & varie loquitur, moderate, concitate, læte, severe, copiôse, presse, aspere, leniter, magnifice, subtiliter, graviter, urbane: atque ipsi quot ascendenti ad sublimiôra, tot descendenti ad tenuiora gradus. Docendi enim acumine suadendi gratia, conciliandi lenitate, hortandi auctoritate, objurgandi gravitate, laudandi facultate, & querendi flumine animum lectoris ferit, & in plurimas species impellit. In prosa autem oratione simplex, vocibus nec exquisitis nec tectis, sed nudis, rectis & sinceris, vocumque ordine constanti suique simili utitur, præmisso verbo, subjuncto nomine, & frequentibus sine impedimento cæteris: in poëtica vicissim locis insurgit, figuris gaudet, translationibus nitet, rem amplificationibus extollit, vi superlationum erigit, & ubi vaticinatur, non Græciam, ut de Pericle olim dictum est, sed universam mundi naturam fulminibus & cœlesti fragore confundere videtur. Exordium est magnificum: mediisque & ultimis idem

fa-

faſtigium: atque in omnibus elucet dicendi genus, imaginibus crebrum, egreſſionibus amœnum, compoſitone elaboratum, ſententiis populare & verbis ſignificans. Sic Jeſaias eſt vere magnus Propheta, ſive materiam, ſive formam orationis, ſive rerum varietatem, copiam, ordinem & majeſtatem ſpectes, quæ omnia probi lectoris judicium in divini auctoris reverentiam non flectunt, ſed rapiunt.

§. III.

His de charactere ſtili Jeſaiani generatim disputatis, etiam aliquid ſpeciatim de eo dicendum eſt, etſi parvi fortaſſe momenti videbuntur ſingula, quæ univerſa magnam vim habent. Primum omnium animadvertendum eſt, de omni poëſi, & præcipue Hebræa & Prophetica, quæ ex rebus naturæ & artis, vitæ & religionis, plurima ſua ornamenta, occultam aliquam cum proxima ſua origine cognationem habentia, & pro diverſitate locorum aliis magis vel minus familiaria, capit, nec probe nec vere fieri poſſe judicium, niſi ad ſitum habitumque rerum, in quibus verſatur poëma, rite accommodetur. Igitur ſi qua Sacrorum Vatum ſimilitudo, quamvis ad locum & dignitatem compoſita,

ta, delicato nostri sæculi ingenio fastidiosa, tumore verborum turgescens & immodico imaginum colore nitens videtur, id nulli omnino eorum licentiæ, sed morum discrimini, quo non omnibus eadem decora & humilia sunt, tribuendum est. Quoniam vero metaphora copiam sermonis, permutando aut mutuando, auget, & verborum vim ex proprio in alienum locum significantius aut decentius transfert; in carmine Prophetico, ad majestatis speciem conformato, perpetua fere hæc dominatur, fervido orientis cœlo sæpe exiliens, & temperato occidentis ingenio minus conveniens. At vero id, quod illustrandæ rei alterius gratia assumitur, eo, quod illustrabit, clarius esse debet. Quocirca ut in sermone communi certæ voces certas & obvias res significant, ita in stilo Prophetico certæ imagines, de medio sacro vel profano plerumque sumtæ, certas & abstrusas rerum divinarum & humanarum notiones aperta vel latente comparatione illustrant. Nam primum præterquam quod ad majestatem nihil æque comparatum est, ac augustæ rerum species, ex adyto depromtæ, religio Hebræorum, quæ latissime patens, leges quoque civiles complexa est, ita ut eorum mores vix

quic-

quicquam profanum & a facris cæremoniis alienum habuerint, Prophetis copiofam materiam fuæ metaphoræ fpes & opes in ea ponendi dedit. Deinde Hebræis fimplex & eadem fuit vivendi ratio, mobilitate ingenii & temporis diuturnitate non mutata: non ea illis, quæ aliis gentibus, artium & conditionum certantia ftudia, & libertatis atque generis ambitiofa discrimina: nulli inanes tituli, & vix ulli honorum gradus, nifi qui virtutis fuerunt & ætatis. Moresque fui cæteris hominibus contrarii. Sacra illis & concesfa, quæ apud alios profana & illicita: obftinata fides, fuorum amor in promtu, adverfus exteros odium, vel contemtus: armentis fuus honos, & agri colendi ac pecoris pafcendi major, quam mercaturæ faciendæ cura, ita ut fæpe principes & Prophetæ ab aratro & ovili ad augufta & fancta munera accesferint. Illisque ex fontibus, fi quis alius, profecto Jefajas fancte & copiofe haufit, quicquid in translatis & alienis verbis, quibus homines magis delectantur, quam propriis & fuis, venuftum, jucundum & magnificum fit. Metaphora autem lucis & tenebrarum, notisfima profperarum & adverfarum rerum imagine, qua alii frequentius,

Jesajas sublimius utitur. Propitium enim numen & fausta tempora populo suo vaticinans, non purpuream auroram, nec ver imbriferum, sed novum quasi cœlum, novis & in immensum auctis luminibus radians, in scenam mundi producit: "Erit "lux lunæ instar solis meridiani; erunt solares ra- "dii septemplices" g). Neque hoc satis: "Non "amplius diurna solis luce uteris, neque nocturnus "lunæ splendor tibi illucebit; sed erit tibi Jehova "æterna lux, Deusque tuus tibi decori. Non occi- "det amplius sol tuus, nec luna tua deficiet; nam "Jehova erit tibi æterna lux, & dies mœroris tui "desinent" h). Nec prætereunda est illa magnifica torcularis tabula, in qua lineamenta vindicis Messiæ iis distinxit coloribus, ut nihil ad rei magnitudinem aptius & ad motum animi efficacius sit i). Hanc imaginem Latine & præclare imitatus est Lowth k):

"— Ille Patris vires indutus & iram,
"Dira rubens graditur, per stragem & fracta potentum

"Agmi-

g) c. XXX. 26. h) c. LX. 19. 20
i) c. LXIII. 1 — 3.
k) De Sacra Poesi Hebr. Præl. VII.

"Agmina, prona solo; prostratisque hostibus ultor
"Insultat; ceu labra novo spumantia musto
"Exercens, salit attritas calcator in uvas,
"Congestamque struem subigit: cæde atra recenti
"Crura madent, rorantque inspersæ sanguine vestes."

Hujusmodi metaphoris, ex natura & consuetudine petitis, audacibus cum summa perspicuitate & vulgaribus cum summa dignitate, sua oracula passim augusta fecit Jesajas.

§. IV.

At Jesajæ non satis fuit, res divinas & humanas magna imaginum copia & varietate exprimere, & ipsas imagines inter se temperare, sed placuit etiam, in iis illustrandis & amplificandis, subinde in allegoriam materia & forma simplicem sibique constantem, & in apertam comparationem, sensu & verbis vulgarem, excurrere. Easque figuras, quæ plurimum vis & gratiæ rebus adjiciunt, ne in eosdem casus, tempora, numeros & pedes frequenter incurrant, splendide variat & perfecte usurpat. Ex innumeris pauca hujus generis exempla in medium proferam. Quid simplicius sibique constantius allegoria, ex agriculturæ & trituræ mo-

do arcessita, qua docet, Deum in suis consiliis factisque, temporum, hominum rerumque discrimina, severitatis & lenitatis, justitiæ & bonitatis momenta, diligentissime expendere, cap. XXVIII. 23 — 29? Quid rem accuratius & significantius explicat, & ipsius imaginis proprietate atque adjunctorum similitudine plenius & ornatius illustrat, quam comparatio, qua vis divinæ gratiæ fructifera cum hibernis nivibus & æstivis imbribus, terram fœcundantibus, confertur? "Ut enim descendit "pluvia, & nix de cœlo, atque illuc non reverti- "tur, donec tellurem irrigaverit, eamque fœcunda- "verit, & herbescentem viriditatem elicuerit, ut "det semen serenti & panem edenti: tale erit ver- "bum, quod ex ore meo prodierit; non ad me "redibit irritum, quin effecerit quodcumque volui, "& feliciter transegerit, quod ei mandavi" l). Quid amplius & fortius hac similitudine, qua bos & asinus, belluæ, quibus vix quicquam stupidius, quæ tamen ingenerato sensu ad vultum domini & locum pabuli se accommodant, comparantur cum homine, quo nihil per vim rationis ad investigandum caussas re-

rum

l) c. LV. 10. 11.

rum præstantius, qui tamen Deum, cœli & terræ conditorem & moderatorem, non cognoscit? "Novit bos herum suum, & asinus præsæpe domini "sui: Israel autem non novit, populus meus non sapit m).

§. V.

Enimvero Jesajas non res tantum grandes magnifico imaginum & splendido verborum apparatu amplificat, sed etiam summa dictionis & cogitationum sublimitate imagines exprimit, & felicissima affectuum imitatione in intimos animorum sensus influit. Quantumque ad majestatem & nitorem invento & usu figurarum valet, tantum quoque ad dictionis ornatum & mentis concitationem delectu adjunctorum & artificio sententiarum confert. Ut in prosa oratione remisse, temperate, ordinate & aperte loquitur hujus Prophetæ ratio, ita in carmine spiritus ejus huc & illuc se proripiens, cogitationes non tam vestit, quam omnes animi status, subitos impulsus, celeres motus & multiplices flexus nudat, & vibrantes sententias, sensibus elatas, verbis ardentes, compositione novas,

vas,

m) c. I. 3.

vas, & constructione varias, profert. His inquam omnibus, quæ divino instinctui & sublimi auctoris ingenio tribuantur, cœlesti spiritu indolem hominis erigente, non occultante, maxime eminens noster Propheta ea, quæ a sensibus remotissima sunt, ita exposuit, ut, etsi humanitus adumbrata sint, suam tamen divinitatem retineant, & sua quandoque difficultate majorem sui reverentiam faciant. Quicquid enim mens cogitatione complectitur, id omne, res, loca, naturæ & artis simulacra, & animi corporisque actiones & mores apte & subtiliter imitatur, & hac imitatione ad doloris vel voluptatis sensum plurimum momenti adfert. Exemplum, circumfluentibus poëticæ dictionis & compositionis virtutibus & luminibus locuples, nempe cap. XXXIV, XXXV, poëma simplex, unum & integrum, a divino nostro vate ad ultimum accipe. Primum tristia, deinde læta cum hominibus tum regionibus præcinens, exordio utitur magnifico, quo omnem terrarum orbem ad suam concionem excitat: "Accedite, gentes, ad audien-"dum, & populi animum advertite! audiat tellus, "& quicquid ea continetur; orbis, & omnis ejus "propago." Tum divinum de impiarum gentium decre-

decretum proponit, quod copia & delectu signorum, atrocitatem rei designatæ exaggerantium, exponit: "Occisi eorum projicientur; ex cadaveri-"bus ascendet fœtor; montesque eorum sanguine "liquescent." Crescit deinde verbis altius insurgentibus, & imagines ex Mosaico cœli extenso (רקיע), in speciem voluminis convolvendo, depromens, eundem rerum exitum ita amplificat, ac si totius mundi compages dissolveretur: "Et con-"tabescet omnis cœlorum exercitus; cœli ipsi instar "schedulæ convolventur: & omnis eorum exerci-"tus decidet, sicut cassa de vite folia, & ut mar-"cida ex arbore sua ficus." Sequitur alia imago, victima larga & opima, iræ divinæ piaculum: "Nam inebriatus est in cœlis gladius meus; ecce "in Idumæam descendet, in populum a me inter-"necioni devotum. Gladius Jehovæ satiatus est "sanguine, pinguefactus adipe; sanguine agnorum "& hircorum, adipe ex renibus arietum: siquidem "Jehovæ sacrificium est Bosræ, & ingens mactatio "in terra Idumæorum." Porro futura præteritis, nova antiquis, minus nota notissimis illuminans, suum argumentum re gesta, Sodomorum eversione, explicat: "Agitur enim dies ultionis Jehovæ,

annus

"annus pœnarum ſumendarum Sionis vindici: & "vertentur torrentes ejus in picem, & pulvis ejus "in ſulphur; & terra ejus in ardentem picem to"ta redigetur: noctes diesque inexſtincta ardebit; "fumus ejus in æternum aſcendet: in perpetuas "ætates jacebit deſerta; per infinita ſæcula nemo "eam peragrabit." Inter has vero imagines, a ſtrage terreſtri, ruina cœleſti, & ſacro piaculari ſumtas, & vera ſimilium fatorum hiſtoria confirmatas, ultimum locum tenet alia, quæ effectui antecedentium conformata, in ſimilitudinem vaſtæ ſolitudinis, adſpectu fœdæ, ſpinetis arduæ, & feris animantibus horridæ, varie efficta & magnifice depicta eſt. Sed altera hujus vaticinii pars ſcenam ſuperiori oppoſitam oſtendit, eamque æquat vel ſuperat. Pleræque ejus imagines ex rebus naturæ, quæ dignitate & venuſtate eminent, petitæ: Libanus ſua altitudine & cedrorum proceritate veram majeſtatis ſpeciem, & Carmelus ſoli ubertate & frugiferarum arborum cultura eximiam fertilitatis effigiem exhibet. Huc accedit aqua in deſertis & ſitieuloſis copioſe erumpens, quæ ſpem fidemque neceſſitati & voto facit & confirmat.

Sed

Sed hæc & ſimilia Jeſaiæ decora & lumina diligens lector uſu facilius obſervaverit, quam quisquam aut explicata intellexerit, aut intellecta explicaverit. Cum Homero, Virgilio & Horatio contendere licet: Jeſajanam vero vim & celeritatem, origine & progreſſu divinam, quisque mirabitur.

II. DE POËMATE JOBI.

§. I.

De antiquiſſimo carmine, quod nomine Jobi ſingulare, minimam omnium cum cæteris Sacri Codicis monumentis cognationem, nullamque cum Iſraëlitarum rebus neceſſitudinem habet, ſcripturus, ordinem ſervabo, ſi primum de auctore ejus dixerim. In limine occurrit mihi quæſtio: utrum Jobus, vir ſui temporis florentiſſimus, rebusque ſecundis & adverſis juxta memorabilis, an alius quispiam, poëſeos laude conſpicuus, hoc tragicum poë-

poëma condidisse existimetur? Cui vero non ante respondere possum, quam alia dubia, quæ Jobi vitam, locum & tempus spectant, memorata, ne dicam soluta fuerint. Ita enim sunt comparata, ut summa ingenia per multum temporis maxime sollicitaverint. Hellenistæ multique etiam nostri ævi clari Doctores, qui regiam dignitatem opibus & obsequiis metiuntur, sibi persvadent, Jobum hunc fuisse eum Idumææ regem, cujus mentionem injicit Moses a), Damasco cineres ejus & sepulturam jactante b). Alii, qui, medio inter summa & ima invento, Jobi gloriam nimis nec amplificare nec imminuere volunt, verius contendunt, eum privati hominis sustinuisse personam, & quidem talem, qualem Emiri Arabum gerunt; nam in toto libro non princeps regni, sed caput familiæ, dominus servorum, & judex pastorum appellatur. Facturusne vero operæ pretium sim, si de his rebus, quæ historiæ carent monumentis, multum disputaverim, jure meritoque dubito.

§. II.

a) Genes. XXXVI. v. 33.
b) Abulfedæ Tab. Syr. pag. 41. præf.

§. II.

Facilius nobis erit inquirere, quo loco Jobus cæterique, qui in hoc poëmate memorantur, patriam & sedes habuerint. In terra Utzi ponitur scena historiæ, quæ regio est Idumæa, ut fidem nobis facit Jeremias c). Erat autem Utz Seiri Choræi nepos d). Seirus iterum, Seiritarum progenitor e), & princeps troglodyta f), tractum ejusdem nominis montanum ante tempora Abrahami coluit, sed expulsis ejus posteris, regionem invaserunt Idumæi. Idumæa autem pars est Arabiæ Petrææ, tribui Judæ ad meridiem contermina, & inter Ægyptum & Philisteos collocanda. Quibusque bene consideratis, satis constat, sedem Jobi in Idumæa & non alibi quærendam esse. Nec alia patria fuit ejus amicis, qui in Arabia item Petræa, vel in regionibus proxime vicinis habitarunt. Primus Eliphaz, Esavi filius, & Themanites, a The-

c) Thren. IV. v. 21.

d) Gen. XXXVI. v. 20, 21, 28 coll. cum 1 Paral. I. v. 38, 2.

e) Genes. XIV. v. 6. Deut. II. v. 12.

f) Vid. Dissert. de Troglodytis.

Petræa posita erant, & Buz inter eas jacebat, verosimiliter & Buz ibidem collocetur. Sed facile quis quæsierit, an fieri potuerit, ut Chaldæi, homines septentrioni in vicinia Ponti Euxini, Chalybum regione, subjecti, & cum Assyriis, Babyloniæ ad orientem incolis, non confundendi, qui non nisi paullo ante Nabuchodonosorem excursione facta, imperio Asiæ potiti sunt r), in camelos Jobi, longissimo intervallo ad meridiem pascentes, impetum tripartito agmine facere potuerint: nonne hic eventus jubet, ut limites patriæ Jobi propius collocemus? Quid vero obstat, quominus Chaldæi æque ac Sabæi, populi rapinis dediti, atque in morem Curdorum, per deserta Syriæ & Arabiæ non sine latrociniis errantium, prædæ caussa longe lateque grassantes, per has regiones, in singulas familias potius, quam in regna divisas, impune & procul a suis sedibus vagari potuerint? Nonne exempla ejusmodi excursionum atque latrociniorum plurium tam apud majores nostros, quam alias gentes reperimus? Cæterum ex altera parte

r) Michael. Specileg. Geographiæ Hebr. P. II. p. 77 &c.

parte quærere mihi liceat, an ad fidem ſit pronum, famam miſeriæ, quæ in regione prope Chaldæam ſita acciderit, ad omnes amicos Jobi, in extremis Idumææ degentes, eumque mox adeuntes, tam brevi tempore per longa & vaſta terrarum ſpatia perferri potuiſſe? His rite perpenſis, quantum in re obſcura ſperari poterit, ſatis conſtare reor, Jobum in Idumæa ſuam habuiſſe ſedem.

§. III.

Ad quæſtionem itaque alteram, quo tempore Jobus vixerit, jam progrediamur, in qua nec minor & levis eruditorum diſſenſus animum in ſuſpenſo relinquit. Tempora ante orbem redemtum ſi reſpicimus, ſententias Judæorum & Helleniſtarum adeo diſcrepantes inveniemus, ut Jobi vitam alii veram fuiſſe, falſam alii exiſtiment. Ad prima poſt Chriſtum natum ſæcula ſi animum advertimus, Patres hac de re, uti incerta & ambigua, in utramque partem diſputantes videbimus. Sic ſe res etiam habet, recentiorum ſi quæramus judicia, quorum commemoratio ut infirmitatem ſcribentis mole, ita animum legentis faſtidio obrueret. In tanta opinionum varietate, ut quæſtio

pro-

proposita melius intelligatur, de Jobi & operis, quod ei tribuitur, ætate seorsim nobis agendum putamus. Qui, hoc discrimine non facto, aliam hic viam inierit, in errorem incurret Userii aliorumque, qui nostri vitam ad Ægyptiacam, vel ad Babylonicam servitutem restringunt, nulla antiquitatis reverentia. Major veritas & fides eorum constat sententiæ, qui Jobi originem supra ætatem Mosis repetunt, ætate ejus nimis provecta gravissimum vetustatis testimonium afferente; nam ducentesimum fere vitæ suæ annum ille complevit, supra terminum, qui Mosis tempore mortalibus statutus fuit, longe provectus, & Patriarchis æqualis. Cætera ut præteream, quibus probari potest, eum ante legem solenniter latam vixisse, sacra ejus piacula commemorem. Scilicet Deo septem juvencos septemque arietes obtulit s), quod in iis terris eo tempore, memoria creationis intra septem dies nondum deleta, obtinuisse, Balaami constat exemplo. Post legem vero latam nemini nisi Aroni & filiis ejus holocausta offerre permissum fuit. Huc quoque ea pertinent, quæ probare videntur, vitam Jobi

s) Job. XLII. 8. conf. Num. XXIII. 1. &c.

Jobi in tempus pastorale incidisse. Primum majoribus natu constitit honos & auctoritas t). Deinde ipsum poëma est Patriarchale: lacte pedes lavant: sacrificat paterfamilias sua manu: judicium in morem Emiri exercetur u): & certantibus amicis Deus per nocturna somnia velut interna oracula apparuit, quod Abrahami, Isaaci, Jacobi & Josephi temporibus factum est. Hæc via, quam in quærenda Jobi ætate ingressi sumus, hucusque tuta, post hæc incerta erit & vestigia fallens. Quocirca longius progredi nolumus, metu errandi, ne eos sequamur, qui se annalium monumentis consulere putant, dum & annum, quo Jobus natus sit, temere investigant, magno humani ingenii, magis curiosi, quam prudentis, documento.

§. IV

Quod vero ad historiam hujus libri attinet, de ejus veritate diu multumque disputatum fuit, aliis hoc carmen ut verum, aliis ut fictum virtutis & patientiæ exemplum intuentibus. Argumenta ultro

t) Job. IV. 8. V. 3, 27. VIII. 8. XII. 12, 20. XIII. 26. XV. 10, 18, 19. XXXII. 6, 7.

u) Job. XIII. 26. XXIII. 4. XXXI. 13.

tro citroque jactata, nec refutare, nec affirmare ausim: pro suo quisque ingenio fidem eis demat, vel addat. Tamen ne, quod umbratile sit & commentitium, amplecti velle videar, rei gestæ veritatem quoad summam dicam. Nam præterquam quod poëtæ ingenii sui operibus, ne fingendi libertati nimis indulsisse existimentur, heroicas personas ex vero seligunt, in ipso poëmate nulla vestigia, quæ allegoriæ suspicionem faciunt, reperio. Si qua ejusmodi prologus, qui argumentum poëmatis exponit, ejusque nodum solvit, in fronte gerit, similia habent Libri etiam Historici. Tamen non inficias iverim, omnia colloquia, aliaque fortasse adjuncta poëtice esse ornata, sublimi & sententioso, per vices lucis & umbræ temperato & æquabili genere dicendi; quod unum eundemque auctorem, in Arabia quidem natum, sed in Ægypto institutum, ostendit.

§. V.

Ad auctorem poëmatis nos jam conferamus, non eos imitaturi, qui ad arcana historiæ feliciter penetrasse, & nebulas antiquitatis potenter dissipasse sibi videntur, cum levibus rationibus nixi,

res varias & ambiguas ſumma cum auctoritate determinant. Sed veritatem dicamus, quoad fieri poſſit, & ne incerta pro æque incertis ponamus, obſcuriora ſuſpenſo pede transire nobis licebit. Latiſſime patet ea ſententia, qua Jobus ipſe poëmatis auctor fertur. Quomodo autem hæc opinio cum deſiderio & voto Jobi, ut verba ejus in memoriam poſteritatis literis prodantur u), conciliari poſſit, me neſcire fateor. Huc accedit, quod hic vir ſanctus & ſapiens nec laudes proprias canere voluit, nec incertam mortem definire potuit. Igitur vereor, ne auctor libri, ſi vel unquam inveniri poſſit, alibi ſit quærendus. Carmen hoc alii a Moſe in ſolatium Iſraëlitarum compoſitum fuisſe, eorumque res aliquo modo adumbrare cenſent. Hanc vero opinionem, cui firmandæ teſtimonia deſunt hiſtorica, ſane ipſum poëma ſua natura & indole minuit & tollit. Nam Jobo & Moſi eædem quidem ſunt imagines, ex iisdem locis domeſticis vel vicinis depromtæ, diverſus vero poëticus character & ſtilus, quippe qui illius conciſus eſt, heroicus, fortis, & quaſi ſaxis Arabiæ & ſolitu-

u) Cap. XIX. 23.

litudinibus pressus & adstrictus, hujus autem copiosus, temperatus, placidus, & instar pleni alvei in campis Ægypti & agris periodice fluens. Huc accedit ipsa lingua, quæ Jobo, rudis, simplex, pastoralis & vaga est, ultimæ antiquitatis speciem domesticis & nondum determinatis notionibus præ se ferens; Mosi vero exculta, magnifica, regnans, novisque legibus ac consuetudinibus subacta est & mollita. Nec hoc mirum. Testis est temporum historia & dierum experientia, quantum mutationis alieni mores, consuetudines populi, & ipsa constitutio summi imperii linguis moliantur. Documento nobis erit lingua Latina, quæ, florente Republica Romana, pura & illibata mansit, postea vero, summâ rerum in unum collata, vicinarum gentium voces & dicendi consuetudines paullatim accepit, & tandem per irruptionem plurium populorum, quibus aliæ erant leges atque ritus, pristinum suum robur & decus prorsus amisit. De cætero, quod maximum est, ne minima quidem vestigia, speciem, aut umbram morum rerumve Israëlitarum apud Jobum reperio. Vel anne homo, origine & institutione Hebræus, & ingenio ac sapientia Jobum æquans, adeo in patria hospes

vel ambitiosus fuerit, ut Mosem, tantum virum, ignoraverit, vel vestigia ejus aliquo loco sequi noluerit? Si vero post Mosem vixerit, & se suo ingenio suaque arte ante sua tempora, in majorum imitationem, transferre voluerit, an linguam aliter fingere potuerit? Profecto Mosaica lumina & umbras non facile celavisset. His addo & Jobi ideas, quæ Mosem antecessisse videntur. Post Mosem imago Dei, ut summi imperatoris, in speciem Asiatici regis, apud vero antiquos, uti indulgentis patrisfamilias, in formam rei domesticæ, expressa fuit. Sic apud Jobum Deus pater amplæ familiæ, & ubi suam majestatem ostendit, Emirus in cœlo sedens figuratur. Nulloque loco ut Asiaticus Monarcha, in palatio imperans, & frequentia ac pompa sussientium stipatus, sed ut Patriarcha, in tabernaculo cum suis servis de justo & æquo consultans & judicans, repræsentatur x), & aliquando rex, honoris caussa, appellatur. Si hæc & quæ in §. II. dicta sunt, addideris, non facile concesseris, Mosem hujus poëmatis fuisse auctorem, utpote ætate posteriorem. Quibus vero Moses uti auc-

x) Job. II. 1 &c.

auctor hujus poëmatis non placuit, id Salomoni regi, viro sapientissimo, & eorum, quæ ad poëmatis elegantiam & structuram pertinent, peritissimo, tribuendum putarunt y). Sed eadem, quæ contra Mosem jam allata sunt, heic quoque valent. Quibusque hanc quæstionem addam: an Salomon, etsi optimus naturæ magister, qui Ægyptum, ut creditur, nonnisi ex aliorum sermone cognoverat, crocodilum, aliasque res illi terræ proprias, tam bene & accurate describere potuerit? Non puto. Præterea inter ejus & Jobi stilum multum interest: ille poëtico Mosis characteri similis, regius, acutus, artificiosus, verbisque ludens; hic vero sublimis, fortis, pastoralis & durus. Cæterum nihil video, cur Salomon potius inopiam Arabiæ, quam sui regni majestatem effingere voluerit, peregrinæ, quam, domesticæ imaginationis studiosior. Sunt etiam z), qui Judæos, in robore & tenebris Babyloni-

y) Ut Calmet. vid. Jurieus Hist. Crit. T. I. c. 2. p. 14. Olympiod. Polychron. & alii.

z) Ut Thom. Heath Essay toward a new version of the book of Job from the original Hebrew with a commentary and some acount of his life.

Ionicis verſantes, hoc poëma in ſolatium ſuæ ſervitutis condidiſſe putent. Hanc vero ſententiam, quam voce שׁטן, non id, quod ipſi volunt, ſignificante, aliisque Chaldaicis, quæ in hoc poëmate ſe invenire opinantur, vocabulis confirmare ſtudent, Clariſſimus J. D. Michaëlis bene & copioſe refutavit a). Aliisque Elihu, cenſorum ultimus in ſcenam prodiens, hujus hiſtoriæ ſcriptor videtur b), levi argumento ad hanc opinionem corroborandam ex verbis ipſius c) deſumto. Sed conſideratio loci infra citati, quo ille Jobum, cenſores ejus amicos, vel ſemetipſum alloquitur, lectorem aliter docebit. Tanta vero ſententiarum diverſitas cum nihil niſi ambigua ultro citroque jactata probet, auctorem hujus carminis fuiſſe hominem, Jobo ætate parem, cautius exiſtimaverim, quam ipſum Jobum, vel aliquem alium nominatim dixerim, re, ſermone, univerſo charactere, & ipſa obſcuritate, his ſummam antiquitatem arguentibus.

§.

a) Suo Epimet. ad Lowth de Sac. Poës. Hebr. pag. 663. Edit. 2. Gœtt.

b) Quam fovebat Palmer & Ligtfouth.

c) Job. XXXII. 15, 16.

§. VI.

Examinatis hucusque, quæ Jobi personam atque auctorem poëmatis spectant, ad ipsum carmen ejusque naturam & constitutionem properamus. Sunt, qui putent, hoc carmen Chaldaice vel Syriace conscriptum fuisse, significatu aut forma vocum ad Chaldaismum vel Syriasmum nonnunquam declinantibus. Quoniam vero hæ flectiones Arabibus quoque sunt in usu, majoris momenti eorum est sententia, qui hunc librum ex Arabico in Hebræum versum existimant, nullo convenientiæ quæ inter hac linguas intercedit, interposito judicio. Argumenta, quæ multa & gravia in medium afferunt, accipe. Totum opus speciem Arabiæ, vestigiis istius regionis quoad imagines, locutiones & res ubique relictis, habet. Orbis terrarum in חוץ & ארץ d) more Beduinorum e) dividitur: bestiæ solitudinis, asini, leones, onagri suis vocibus aures complent f): latrones & troglodytæ, per vias manifesti, in latebris

d) XIIX. 17. e) Gens Arab. rapinis dedita vid. Buddæi Lex. Univ. Lit. B. f) Cap. IV. 10. XI. 12. XXIV. 5.

bris occulti, prædam anhelant g): paſtores & cohortes huc & illuc errantes h): clamor ſanguinis vindictam ſitientis i): Jobo loquente, reverentia & ſilentium k): agri colendi ſtudium & libertas l): alia ut taceam. Varia etiam ſunt, quæ imaginem Ægypti referunt. Mentio enim injicitur crocodili m) & hippopotami n): Nilus in morem Ægyptiorum mare appellatur o): ſepulcra regum & mecænatum monumenta magnifica, moles Nili, chartaceæ arundines & papyraceæ naves memorantur p): Jobus elephantiaſi, morbo Ægyptiaco, laborat. Quibus examinatis, ſe jure affirmare poſſe contendunt, hoc carmen primitus Hebraice conſcriptum fuiſſe. Quæ vero omnia nihil ſane probant, ſed auctorem tantummodo Arabiæ & Ægypti non ignarum fuiſſe, nec ab his regionibus procul vixiſſe oſtendunt. Plura viciſſim & majora afferre poſſum, quæ eum fuiſſe Hebræum, ſuſpicionem faciunt. Innuunt hoc, primum ſermo liber, ad ali-

---

g) Cap. XXIV. XXX. h) Cap VI. 9. &c. i) Cap. VI. 18. k) Cap. XXIX. l) Cap. I. 2. m) Cap. III. 8. n) Cap. XL. 10, 15. o) Cap. VII. 12. XIV. 11. XXVI. 12, 13. p) Cap. III. 14. VIII. 11, 13. IX. 26.

alienum exemplum, ut fit in vertendo, non coactus, pro regionis & gentis indole, Arabismo tinctus, & pro materiæ & affectuum ratione, poëtica dictione sublimis & arduus; tum plenitudo sententiarum & harmonia, periodorum justa magnitudo, locorumque ab initio ad finem accurata convenientia; & deinde figurarum, quas interpres obscurare solet, nativus nitor. Nec obscura Hebræi vestigia Hebraicæ de homine & creatione notiones q) indicant. Ceterum Golius docet r), Jobum, ejusque amicos a stirpe Heberi, in cujus familia lingua Hebræa conservata, & Arabica, quæ temporibus Mosis ab Hebræa parum diversa creditur, nata est, generatos fuisse. Quod rursus ad memorata Ægypti indicia attinet, certum est, quid respondeam. Quemadmodum nostri ingenium finxit Idumæa, antiqua commercii & sapientiæ ob situm & cultum sedes, ita ornavit Ægyptus, operibus naturæ & artis famosa, cujus imagines pauciores quidem, sed fortiores expressæ sunt s), ani-

q) Job. X. 9. XXVII. 2. Gen. II. r) Præf. in Lex. Arab. s) Job. XL. & XLI. exemplum habes in descriptione Crocodili & Hippopotami.

mo extera vividius, quam domeſtica concipiente. Eamque terram, ſi minus adeundi facultatem, tamen per Hebræorum paſtores, quorum provincia Goſen non capax erat, & quos Moſes primum profugus petiit, nec deinde ſuo usque ad fines Idumææ itinere inimicos expertus eſt t), cognoſcendi occaſionem facile Jobus habuerit.

§. VII.

Ad ipſum poëmatis argumentum quod attinet, omnium primo cavendum eſt, ne id cum argumento & fine hiſtoriæ univerſæ confundatur. Proponitur exemplum Jobi, viri boni, eximiæ pietatis, & inſignis patientiæ ac virtutis, de proſperitatis faſtigio in miſeriæ profundum ſubita ruina dejecti. Jumenta, agri colendi ſubſidia, partim infeſto Sabæorum impetu, partim triplici Chaldæorum agmine direpta, ſervis in crimen ſanguinis cæſis: pecora, ſolitudinis ornamenta & commoda, de cœlo tacta, paſtoribus eodem fulmine ictis: liberi, conjugii ſolatia, ſæva tempeſtate & conclavis ruina oppreſſi: homines, multiplicis cladis & tri-

t) 1 Chron. VII, 21.

triſtitiæ nuntii, alius alium ſecuti: ad ultimum ipſe Jobus, morbo terrorem & miſerationem commovente affectus. Tot tantisque fortunæ, animi corporisque malis ſuper vires humanas repetitis, Jobus ſollenni habitu in lugubrem mutato, veſte ſciſſa & laceratis crinibus dolorem cineri inuſſit. Rumoreque tam acerbæ ſortis ſparſo, undique etiam concurſum fuit. Primum omnium ludibria conjugis tolerata: deinde ſolatia amicorum tentata, ſed ad ultimum in opprobria & iras verſa. Scilicet, calamitate Jobi procul audita, & ex propinquo viſa, per ſeptem dies noctesque in ſordibus & lacrimis jacent ipſius familiares taciturni, voce ob molem miſeriæ faucibus hærente. Tandem vero initium dicendi Jobus fecit, cœlum per ſuam innocentiam obteſtans, factum ſuum graviſſime querens, & Deum ſubinde injuriæ arguens. Quibus tamen vocibus amici ſtupentes & excitati, perſona commiſerationis depoſita, & ſapientiæ induta, nullo humanitatis ſenſu, & ſimulatæ amicitiæ ſpecie, cauſam Dei ſuſcipiunt, agunt. Hinc certamina afflictæ virtutis & malignæ accuſationis inita. Amici Jobum criminibus, occultis, manifeſtis, certatim areeſſunt, pro ſuo quisque ordine, ingenio

&

& cognitione, de Dei consiliis factisque placidius, vehementius, verius, falsius argumentantes. Jobus autem inter optimam conscientiam & iniquissimam fortunam constitutus, & his calumniis magis, quam occulta fatorum lege inflammatus, nonnunquam temere de divina providentia, secundis scelerati, & adversis probi rebus etiam loquitur, tamen extemplo ad se rediens, inconsulta verba repetens, & lenioribus mitigans: adversariis nec minus sua exacerbantibus. Deus demum, qui omnibus praeest, hanc gravissimam vocis & virium contentionem Jobo laudi sapientiae & pietatis, amicis autem vitio iniqui judicii vertit.

§. VIII.

Imagine hujus scenae sic breviter expressa, singulas ejus personas, de providentia divina per vices disputantes, propius intueamur. Jobus, carminis heros, nuper ad invidiam felix, jam ad divinam & humanam misericordiam miser, primus omnium verba facturus in theatrum prodit. Jacturam bonorum, exitium liberorum, & morbi gravitatem, quibus rebus homini nihil est gravius, pari animi magnitudine & verborum modestia sustinet.

net. Sed, viribus exhaustis, amicorum speciose eum consolantium iniquis suspicionibus & acerbis accusationibus succumbens, in gravissima lamenta paullo impotentius se effundit. Recti quidem sibi conscius, & falsi criminibus lacessitus, aliquando de integritate suæ vitæ fidentius, de magnitudine suæ miseriæ desperantius, de Dei severitate impatientius, de pravorum impunitate animosius, & de sociorum inhumanitate acrius loquitur. Amici vero, his magis accensi, quanto fortius ei consilia & facta ut vitia objiciunt, tanto pertinacius ipse suam innocentiam retractat, & tandem ad Deum, venia imbecillitatis humanæ petita, suam caussam provocat, atque, victis adversariis, solus in scena sententias vere & magnifice profert. Eliphaz adversariorum dicendo primus, & eorum omnium judicio modestissimus, initio misericordiam Jobo impertiens, sua dicta, ut ei parcat, ad oraculum tecte & oblique refert; sed progressu vehementior Jobum jubet, ut memoriam suæ juventutis repetens, submissius loquatur; eumque ad finem malefacti reum agit, item pœnæ patientiam inculcans, dum docet, Deum solum peccatores punire, & innocentibus parcere. Namque per totum sermonem, characteri ejus similem,

jacta-

jactabundum, & epilogis prolixum, suam sapientiam ostentat, quam se divinis colloquiis & somniis consecutum affirmat. Alter censorum Bildad, omnibus jam exacerbatis, nec tantæ, quantæ Eliphas, verborum lenitatis initio dicendi potens, exordium suæ orationis a conditione ducit, & Jobo, si nullius facinoris sibi sit conscius, prospera quævis & felicia, virtutis & constantiæ prœmia, auguratur At, procedente controversia, eum aperte & ridibundus aggreditur, & pro comperto sese habere contendit, liberos ejus scelerum suorum justas luisse pœnas. Tristemque improborum exitum tristioribus verbis perstringit, & ad ultimum quasi ipse esset fatorum conditor & moderator, Jobo ea infausta crudeliter minitatur. Tertius Zophar, verborum & rerum inops, breviorem prioribus habet orationem. Qui hunc sequitur, Jobum arrogantiæ, vanitatis & mendacii accusat, propterea quod contra amicos sinceros, egregiosque consolatores suam rem defendere conatur, & ad finem sermonis eum ad pœnitentiam & vitam sanctiorem hortatur. Sed ubertate ingenii & dicendi vi multum inferior, primo congressu vincitur. Perculsis vero his heroibus, Elihu, præsum-

sumta juventutis opinione fidens, in vacuam arenam se proripit, periculum ultimi tentaminis facturus. Arroganter perorat, & quasi ex tripode loquitur, certus animi, Jobum victorem, hac petulantia non minus irritatum, quam vulneribus fessum, obviam ipsi iturum. Abrumpit quoque suum sermonem, & initium certaminis exspectat. Silet vero Jobus, & contemtim dicit: quis heros se cum infante comparat? Incipit tum alter, & flosculis magis quam argumentis utens, de homine peccatore Deoque vindice differit. Cum autem Jobo nullam salutis spem orando fecisset, Summum Numen inania & inconsulta ejus verba factis refellit. Hic tristis scenæ finis, & divini carminis fastigium. Deus, prosperi auctor, adversi moderator, & memorati certaminis sublimis spectator, ut disputantibus silentium, culpæ pœna, & innocentiæ præmium constaret, gravem tempestatem, suæ vocis & sententiæ nuntium, opportune misit. Primum universam rerum naturam citat, cœlique & terræ opera, multitudine innumerabilia, magnitudine stupenda, & specie admirabilia, totidem summæ sapientiæ & potentiæ testimonia, ordine & singulatim provocat. Jobo deinde, qui

pie

pie & prudenter se gesserat, de tot tantarumque rerum secreta origine & gubernatione quæstiones non solvendas proponit, menti divinæ humanam infinite cedere ostendens. At ejus amicis, qui plus iræ & amentiæ, quam consilio & rationi tribuerant, gratiam non nisi inclementis alloquii facit, eos in universum jubens, ut suum quisque crimen sacris Jobi expiaret. Enimvero ut artem hujus poëmatis, vim & elegantiam facilius perspiciamus, verba ejus sensim crescentia gradatim sequamur. Jobus de immerita sua miseria, sæva Dei crudelitate, & inhumana amicorum acerbitate initio lenius, deinde vero gravius mœrens, querens, desperans loquitur; sensu mali vim caloris excusante. Sed adversariorum hæc acies. Eliphas oratione primus, & initio, utpote nullas adhuc odii & iræ caussas habens, mitis, prima dicendi vice modeste loquitur, secunda vero acerbior, quædam opprobria jacit, & tertia sui impotens, Jobum sceleris arguit. Sed Bildad sermone secundus, ideoque principio, omnibus jam accensis, non æque ac Eliphaz voce temperatus, prima loquendi data veniâ, Jobum sub conditione damnat, secunda sine comparatione condemnat, & tertia miserum quasi pedibus conculeat.

culcat. Nec idem illis & ceteris dicendi genus, ſed pro dignitate perſonarum diverſum. Jobus majorem, quam ab antiquiſſimis, ejus vero amici minorem, quam ab antiquis hauriunt fontibus, ſcientiam naturæ & poëſeos teſtatam faciunt. Deus autem omnes vi & majeſtate dicendi ſuperat. Certe eæ rerum verborumque vices, ſimplicitas & ſimilitudines per omnia ſunt obviæ, ut quo attentius conſiderentur, eo clarius & pulchrius emineant u).

§. IX.

Poëma hoc nuper recenſitum plerique Drama vel opus Dramaticum vocarunt v); quod vero nomen utrum huic poëmati conveniat, nec ne, ſciamus neceſſe eſt, quo ſignificatu vocabulum Dramatis heic loci ſumatur. Si genuinam & ſtrictiſſimam hujus ſignificationem ſequamur, eam actum Tragædiæ vel Comœdiam, Fabulam vel figmen-

u) Vid. Eichhorns Einleitung ins Alt. Test. 3 Th. §. 460. v) Qui de hac quæstione solidiora desiderent, legant Lowth de Sacra Poesi Hebr. Oxon. 1775. pag. 435 seqq.

mentum quoddam valere inveniemus. Si contra communi ſenſu id ſumatur, quo colloquium tantum plurium denotat, poëma hoc eſſe Dramaticum omnino contendimus, ſin autem priori ſenſu, id negamus. Univerſum opus complexim conſideratum actionem quidem continere concedimus, quam tamen ad hiſtoriem Jobi in prologo & epilogo præcipue expoſitam referimus. Præterea opera Dramatica ad ſenſum Græcorum ignota orientalibus fuere, nullo eorum apud Arabes veſtigio x). Unde patet, poema Jobi nec Drama, neque aliam, quæcunque ſit, ſcenæ partem continere.

§. X.

Quoniam vero quædam hoc codice continentur, quæ nullam poëſeos ſpeciem habent, nec ea prætereunda putavi. Prologus in fronte & Epilogus ad finem, qui fata Jobi, triſtia, læta, commemorant, ab ipſo poëmate, quod illius cum amicis certamina ſuo complexu fovet, non uno nomine differunt. Prodit uterque proſam orationem, & Deum non אלהים, ut in ipſo poëmate, ſed

יהוה

x) Caſiri Biblioth. Escur. Arab. Tom. I. p. 103.

יהוה apellat y). Eaque ſtili varietas, qua tragicus poëta utens, alium ſibi, quam Jobo ejusque adverſariis, characterem dare voluit, opus elegans, & lectorem attentum reddit: tamen nemini ſuſpicionem diverſi auctoris hæc faciat. Nam præterquam quod prologus & epilogus ſcenam totius libri aperiunt & claudunt, unus æque ac alter eadem, quæ per omnes ejus partes videtur, verborum & imaginum ſimplicitate curam agri colendi & pecoris paſcendi conjungit. De cætero, quod maximum eſt, hoc poëma non ſolum valde obſcurum & ambiguum, ſed etiam mancum & imperfectum foret, cauſſa, materia, initio & fine ſublatis. Adeo prologus & epilogus ætate ab hoc carmine non differunt; nec quis hanc veritatem in dubium vocaverit, niſi dubitandi occaſionem vox Chaldaica שטן in prologo obvia dederit z). Ad hanc vocem quod attinet, nomen eſt rei peſſimæ & potentiſſimæ, cui Chaldæi religionem numinis tribuerunt

y) Excipe Job. XII. 9. XXVIII. 28. ubi in Bibliis impressis יהוה in codicibus vero manuscriptis אדני legitur. z) Job. I. & II. conf. §. V.

sunt a). Quantum vero hæc significatio menti auctoris nostri repugnet, satis constat, cum prologus Satanam tantummodo divini numinis ministrum exhibeat, nulla pravitatis mentione facta. Idea Satanæ est antiquissima, & Hebræi eum angelum mortis vocarunt b); quo nomine jussa divina & peccata humana exsequendi munus ad eum retulerunt. Qui etiam sensus consilio poëtæ & argumento poëmatis optime convenit. Deus patrisfamilias, optimi, maximi, vicem gerens, cum secreti sui consilii sociis in cœlo de gubernatione amplissimæ suæ familiæ in orbe terrarum comitia habet, eosque constituit, qui, in morem præfectorum, cujuscunque rationem facti exigerent; munere autem malefacta nuntiandi & ad nutum puniendi Satanæ commisso. Igitur hic exposcendæ pœnæ legatus, cum Jobum omnibus naturæ & fortunæ malis affligeret, mandato Divino, suoque officio, in singularis pietatis tentamen, constantiam & exemplum, satisfecit.

§. XI.

a) vid. Ruhemb. Hiero Lex. sub littera B.
b) Poli Synops. critic. Vol. II. pag. 7.

§. XI.

Sed ftilum hujus poëmatis paullo altius repetam. Licet poëma Jobi, ut vidimus, fenfu Græcorum Drama non fit, tamen jufti Dramatis imaginem, & præcipuas ejus partes, quarum una Morum imitatio, altera Sententia dicitur, habet. Mores, quibus loquentis confilium, & vivendi, fentiendi agendique ratio exponitur, perfonas fpectant. Sic princeps in hoc carmine perfona eft Jobus, vir fanctus, probus, dolorum patiens, in fufpiria pectoris votaque mortis fe effundens, & tandem iniquis amicorum fufpicionibus & accufationibus irritatus, parum decoras cum Deo lites confcientia fuæ integritatis fufcipiens. Eamque tractans, magnam judicii, acuminis & ingenii vim oftendit facer poëta. Jobi enim mœrorem, qui gradatim affectuum impetu erumpit, imaginibus primum lenioribus expreffit, ut hucusque virtus illæfa fibi conftaret, deinde vero crebris & fervidis fententiis ita amplificavit, ut cenforibus non deeffet calumniandi occafio & materia. Nec occafioni defunt Cenfores. Cum vero nimis anguftum campi fpatium habuiffet perfona fingularis, partes obtrectandi tribus fatis commode datæ fuerunt. Qui etiam obtrectatores eo-

dem

dem fere modo rem suam agentes, a lenioribus ad acerbissima progrediuntur. Primum de Deo, pœnas a probis non repetente, palam differentes, Jobum veluti callidum simulatorem, magis vultum, quam ingenium probum præ se ferentem, haud obscure petunt; deinde, & longitudine ac magnitudine contentionis inflammati, sanctissimum hominem gravissimus criminibus notant. Vehementiores vero Jobi posthæc contra divinam justitiam voces & integritatis suæ obtestationes affectuum potius sunt, quam morum; arguunt enim virum, non impium, sed nimia suæ vitæ fiducia longius provectum. Amicisque tacentibus, quamvis Jobus adhuc iræ rectique sit pervicax, tamen, subsidente paullatim doloris & indignationis æstu, mentis ille compos suam sententiam sedatius & apertius exponit. Si autem in hac parte, ubi affectuum gradationi, quam morum diversitati, impensius studetur, aliqua varietas delicato & fastidioso recentiorum critico ingenio defuerit, nascentis poëseos simplicitas excusanda erit, rerumque gravitate & sententiarum pondere compensanda. Altera pars, in hoc poëmate consideranda, est Sententia, quæ latius patens, orationem cum prosam tum ligatam

gatam ſpectat, & rationem non modo perſonarum in Morum & Affectuum imitatione, ſed etiam Rerum in earum deſcriptione habet. In vehementioribus affectibus, dolore, iracundia, luctu, queſtu, ad terrorem & miſericordiam commovendam, & in maximis cœli & terræ rebus, animatis, inanimatis, ad reverentiam faciendam, ita verſatur hoc poëma, ut impetus incitationi animi, & dicendi majeſtas granditati argumenti reſpondeat. Profecto hoc carmen cætera omnia Hebrææ poëſeos monumenta diſpoſitione rerum, elocutionis ſublimitate, poëtica conſtructione, juſta totius periodi conformatione, & accurata membrorum diſtributione æquat vel ſuperat.

§. XII.

De fatis demum hujus libri eo difficilius nobis eſt diſſerere, quo clarius conſtat, nihil omnino ante exilium Babylonicum hac de re memoriæ proditum eſſe. Quem tamen Judæis illo ſervitutis tempore notum, ab iis lectum & pro canonico habitum fuiſſe, ſpecie quadam veritatis contendere poſſumus. Præſtantia ipſius, vis linguæ, & ſcripta Judæorum, ſimilia tractantium, perſuaſionem canonis

nis nobis faciunt. Nec desunt hujus opinionis testimonia, sacra, profana. Fidemque addunt, nominatim Hezechiel c), Jobum memorando, aperte Jacobus d), patientiam ejus celebrando, occulte Philo Judæus e), unum hujus libri locum citando, & haud obscure Josephus, canonicos Judæorum libros viginti, tredecimque Prophetas minores numerando. His accedunt Patres gravissimi, quorum Melito illum Cantico canticorum f), Origenes g) Hezechieli, Hieronymus h) Prophetis minoribus postponunt. Quin etiam Talmud hunc librum allegavit, & Masorethæ, teste Elia Levita, post Psalmos collocarunt. Adeo quo reverentius est, librum Jobi canonicum habere, eo incertius erit, locum, qui variis temporibus varie ei datus fuerit, definire.

III.

c) Cap. XIV. 14. 20. d) Cap. V. 11. e) De mutat. nom. Opp. T. I. p. 584. M. 1051. Fr. f) Epist. ejus ad Fratrem Ones. apud. Euseb. Hist. Eccles. Lib. IV. Cap. 26. g) Euseb. Hist. Eccles. Lib. VI. cap. 25. h) Ejus prolog. Galeat. & Biblioth. Hebr.

III.

VOTUM JOBI,

PRO EPITAPHIO SUSCEPTUM;

CAP. XIX. 23, 24.

---

§. I.

Nomini rebusque geſtis mortuorum tam olim quam hodie, pari eorum reverentia & poſterorum cura, æque barbaræ atque politæ nationes magis vel minus ſpecioſe & ſumtuoſe conſuluerunt. Epitaphia vero Hebræis, Ægyptiis & Arabibus, gentibus antiquiſſimis, majorumque ſuorum obſervantiſſimis, in uſu fuiſſe, nullum nobis concedunt dubitandi locum hiſtorica cum ſacræ tum profanæ auctoritatis monumenta. Commemorant V. T. Scriptores ſtatuam, ſepulcro Rachelis appoſitam, etiam columnam, memoriæ Abſalomis conſecratam, monumentumque ſepulcrale, Vati, Sacra regis Jerobeami damnanti, conditum, quod ad imperium usque Joſiæ ſuperſtes fuit a). Refert claris-

a) Gen. XXXV. 20. 2 Sam. XVIII. 18. 1 Reg. XIII. 30. 2 Reg. XXIII. 17.

خلال نخيل باسقات نواطرها
نغت بالغسب المجزع والتمر *
ونصطاد صيد البر بالحبل والغنا
وطورا نصيد الذون من لجج البحر *
ونرفل في المرقم تارة
وفي الخز احيانا وفي الحلل الخضر *
يلينا ملوك يبعدون عن الخنا
شديد علي اهل الخيانة والغدر *
يقيم لنا من دين هود شرايعا
ونومن بالايات والبعث والنشر *
اذا ما عدو حل ارضنا يريدنا
برزنا جميعا بالمثقفة السمر *
نحامي علي اولادنا ونسائنا
علي الشهب والكميت المعانيق والشقر *
نقارع من يبغي علينا ويعتدي
باسيافنا حتي يولون الدبر *

"Viximus longum tempus, in ſpatioſa hujus arcis ſede,

"Laxiſſimam vitam; non anguſtam; non inopem.
"Redundabat in nos mare æſtu tumeſcens jugiter:
"Et fluvii noſtri aquis copioſi ibant.
"Inter palmeta procera, cujus cuſtodes

"Con-

"Conferebant dactylos maturos & ficcos omne genus.
"Et venabamur venationem terræ fune & arundine;
"Viciffim venabamur pifces e gurgitibus maris.
"Delicateque incedebamus in fericeis fæpe acupictis,
"In holofericis alias, ftolisque viridibus.
"Præerant nobis Reges remotiffimi a turpitudine;
"Vehementes in omnes fraudi & perfidiæ deditos.
"Hi fanciebant nobis de Religione Heberi vias regias;
"Et fidem habebamus miraculis, & refurrectioni, & vitæ futuræ.
"Quoties hoftis defcendiffet in terram noftram, impetens nos,
"Proceffimus cuncti rigidis fufcisque in haftis.
"Defenfantes ftrenui pro liberis atque uxoribus, fuper cinereis & fpadiceis longicolium, & rufis.
"Contundentes qui ferox contra nos hoftisque infurgeret,
"Gladiis noftris, donec terga nobis darent."

§. II.

Ritum hunc, invento vetuftum, ufu pium, orientalibus vulgarem, hominibusque nobilitate generis

neris vel vitæ post fata venerandis, consecratum, nostro loco spectasse videtur Jobus, dum animo pariter atque corpore æger & saluti suæ desperans optat, ut aliquis etiam sibi, rebus secundis & adversis maxime memorabili, lugubre carmen componeret, suoque tumulo superadderet. Veterum vero ingenium veterisque linguæ indoles id tulit, ut præclare gesta, & simpliciter narranda, quasi in rerum actum revocata dramatico more repræsentarentur, numerisque adstricta, comite metro, fidiori, quam prosa oratio, utpote casui & studio magis obnoxia, historicæ veritatis custode, animumque & memoriam fortius afficiente, per sæcula memoriam præteritorum incorruptam posteris commendarent. Hinc prima historiæ monumenta non modo apud Hebræos e), sed etiam apud Arabes metrice condita sunt, quibus nihil fuit solennius, sanctius nihil, quam grandia & memorabilia, versibus intexta, decantare. Celebrant enim per longam annorum seriem vel domesticos & annuos vel solenniores & panegyricos tribuum vel cognatarum vel fœderatarum conventus, ubi eximiis privati hominis,

---

e) Gen. IV. 23. 24. III. 24. IX. 25. 27. &c.

nis, vel cujusdam familiæ, vel totius tribus factis dicendis ingenia non defuerunt poëtarum f), qui tandem in nundinis etiam Occadenſibus decora heroum laudibus in cœlum certatim extulerunt g). Magnamque ejusmodi carminum copiam complectitur liber, Hamaſa ſive Anthologia Arabica dictus, ab Alb. Schultenſio editus & notis illuſtratus. Quæ cum ita ſint, eo veroſimilius eſt, Jobum his ſuis ſuſpiriis id intendere, ut aliquis, laude poëſeos conſpicuus, juſta ſuo quoque funeri in poſteritatis memoriam ſolveret, quo certius ex ejus poëmate conſtat, ſummos tunc temporis poëtas in Idumæa floruiſſe.

§. III.

His diligenter collectis, & in lucem eorum, quæ ſequentur, breviter allatis, ad ipſa Jobi verba me confero:

מי יתן אפו ויכתבון מלי מי יתן בספר
ויחקו בעט ברזל ועפרת לעד בצור יהצבון

Qui veterum & recentiorum eſt in hoc loco vertendo diſſenſus, ita eſt comparatus, ut non ex legendi

f) Eichornii Monument. Antqu. Hist. Arabum p. 8. g) Pocockii ſpecimen Hist. Arabum p. 159.

gendi varietate; ſed intelligendi difficultate ortus videatur. Quem vero nominatim & ſingulatim exponere, nec vacat, nec lubet. Syrum & LXX interpretes, omnium antiquiſſimos & ad criticum judicium optimos, tantum conſulere fo ſitan ſufſecerit. Syrus: ܡܢ ܕܝܢ ܢܬܠ ܕܢܬܟܬܒܢ ܗܘܝ ܡ̈ܠܝ ܘܢܬܪܫܡܢ ܒܣܦܪܐ ܘܒܩܢܝܐ ܕܦܪܙܠܐ ܘܒܐܒܪܐ ܕܐܒܪܐ ܠܥܠܡ ܘܥܠ ܟܐܦܐ ܢܬܓܠܦܢ "Quis autem faciat, ut ſcribantur verba mea, & "imprimantur in libro? & calamo ferri, & peni-"cillo plumbi in æternum & ſuper lapide ſculpan-"tur?" LXX interpretes: Τις γαρ αν δῳη γραφηναι τα ρηματα μȣ, τεθηναι δε αυτα εν βιβλιω εις τον αιωνα, εν γραφειω σιδηρω και μολιβω, η εν πετραις εγγλυφηναι ※ εις μαρτυριον; quæ Syrus Hexaplaris ad verbum reddidit: ܡܢܘ ܓܝܪ ܢܬܠ ܗܘܐ ܕܢܬܟܬܒܢ ܡ̈ܠܝ ܕܝܢ ܢܬܬܣܝܡܢ ܕܝܢ ܒܟܬܒܐ ܠܥܠܡ ܠ ※ ܒܠܘܚܐ ܕܦܪܙܠܐ ܘܕܐܒܪܐ ܠ ܐܘ ※ ܒܫܘܥܐ ܠ ܢܬܓܠܦܢ "Quis enim det, ut ſcribantur verba mea, ponan-"tur vero in libro in æternum, ⊤ ※ in tabula "ferri & plumbi ∠ aut ※ in petra ∠ inſculpantur." Tria hîc in criſin verſionis LXX:viralis animad-

ver-

vertimus. Primum non modo verba εν γραφειω σιδηρω, ut in Græco eſt, ſed etiam και μολιβω, ut apud Syrum legitur, textui LXXvirali, & quidem ex Theodotione, quod ex præmiſſo T manifeſtum eſt, item ſequentia εν πετραις ex eodem auctore, quod ſuſpicari licet, præfixis aſteriſcis inſerta ſunt. Tum Græca ※ εις μαρτυριον, ad finem verſus poſita, teſte Syro, qui ea ex Theodotione etiam ſumta in margine codicis per ܠܣܗܕܘܬܐ in teſtimonium vertit, & ante ܒܫܘܥܐ in petra, eodem ſigno in textu notatum, collocavit, vocibus η εν πετραις præmitti debent. Deinde Syrus reddidit γραφειον, a Græco γραφῖον ſcriptione, non pronuntiatione & notione diverſum (utrumque ſignificat penicillum, qui inſtrumentum, quo in pugilaribus ſcribitur, ab Ovidio definitur) per ܠܘܚܐ tabulam; magis, ni fallor, melioris ſenſus ſtudio, quam veræ ſignificationis inſcitia, ſiquidem hanc vocem, apud Symmachum Pſ. XLIV. 2. occurrentem, per ܟܪܘܣܐ ſtilum ſeu calamum æneum, quo in pugillaribus ſcribunt, expreſſit. Et tandem Græcum plurale πετραις per Syriacum ſingulare ܫܘܥܐ petra, ad perfectam cum Hebræo nu-

numero צור convenientiam, neque mancam falsæ apud Græcum lectionis suspicionem, expositum est, nisi duo puncta, pluralem numerum indicantia, huic Syriacæ voci per incuriam scribarum deesse, tibi persuaseris.

§. IV.

Ne autem relata tantum referre, nec aliquid proprii audere videar, de sensu difficilis hujus loci quid & ego sentiam, dicere licebit.

Primum omnium phrasis מי יתן אפו explicanda est. אפו est interdum particula, ut ajunt, expletiva, ubi vero conjungitur cum optandi formula מי יתן quis dabit, plus ea roboris addit voto, affectumque prodit vehementiorem, & Arabicæ ليت احد كان utinam quis esset respondet; unde Coccejus h) hunc in modum hæc verba reddidit: "Quis dabit? quacunque ratione? utinam! quomodo?" Idem commonstrant alia Sacri Codicis loca, in quibus eadem ferme occurrit dicendi ratio, e. g. Jobi XI. 5. Ps. XIV. 7., plura

h) Lex. p. 1064.

ra ut taceam, quæ copioſe citata a Noldio in Concordantiis Particul. Ebræo-Chald. p. 100 & 600. ſqq.

Itaque vertenda מי יתן בספר דוחקו Utinam in libro imprimantur. Sunt, qui novitatis magis ambitioſe cupidi, quam veritatis integre ſtudioſi, inverſum dictionum ordinem ſtatuant, vel levius cum Vulgato: quis mihi det, ut exarentur in libro, qui transponendi modus tanto minus eſt neceſſarius, quod ſenſus eodem redit; vel gravius cum Fabro: מי יתן אפו ויכתבון מלי בספר מי יתן ויחקו בעט ברזל בעפרת לעד, בצור יחצבון, quæ correctio nimis eſt ardua, & ſine codicum translationumque auctoritate non audenda. Nobis autem hæc Jobi verba accuratius conſiderantibus, de veterum ſcribendi modo pauca diſſerendi ſponte ſeſe offert occaſio. Orientalibus duplex illius fuit genus, alterum, quo res libris vel ſaxis in ſempiternam memoriam inſcripſerunt, alterum, quo res non niſi ad tempus in pugillaribus pernotarunt. Quod poſterius, id Africanis adhuc uſitatum. Namque eorum ſcolares, teſte Celeberrimo Docto-

re

re Schavo i), in tabula quadam lævi tenuique, albo colore tincta, discenda stilo scribunt, scripta pro arbitrio delent, nova iterum pingunt, & sic priora oblivioni facile tradunt. Quæ vero scribendi ratio si ætate etiam Jobi in usu fuerit, caussa est in promtu, cur ardenter optaverit, ut verba ejus non in tabula, sed in libro quodam, non facile perituro, vel potius in petra, nunquam casura, scriberentur, quo diutius injuriam temporis sustinere possent. Quod vicissim ad orientalium librorum materiam attinet, ut Ægyptii recentius ea papyracea k), ita antiquitus linea usi fuerunt. Testes sunt primum Ægyptiarum Mumiarum lintea, characteribus a dextra versus sinistram ductis signata l): deinde volumen, in conclavi Regis igni datum m), quod si pelliceum fuisset, odorem teterrimum dedisset: & tandem Plinius, qui linteorum monumentorum usum supra Trojana tempora repe-

---

i) P. 194. k) De usu papyri vid. Dissert. de Veteri papyri & utrium in trajectu amnium usu. l) Laillet Let. VII. p. 278. m) Jerem. XXXVI. 23.

repetit n). Adhæc si Caylo o) & Büttnero p), qui in Mumiarum linteis Phœnicum litteras, i. e. Hebræorum Ante-Babylonicas & Samaritanas, animadvertisse sibi visi sunt, fidem habeamus, antiquissimi Hebræorum characteres tanto minus nobis incerti erunt, quanto pronius est ad fidem, Mosem, sanctissimum eorum in dicendo, scribendo vivendoque ducem & magistrum, non aliis, quam ad quos in Ægypto natus & institutus fuerat, usum esse. Sed reliqua persequemur.

בעט ברזל. Vocabulum עט, ex Arabico عطل effodit derivatum, significat instrumentum quoddam durum, quo in plumbo, saxo, cera, palmarum foliis aliave materia scribebatur, ad similitudinem fere stili Latini factum, altera ejus extremitate instar cuspidis acuta, quo facilius litteræ inciderentur, altera vero latiori, ut, errore commisso, citius obliterarentur q): unde Cicero r): "vertit stilum in tabulis suis, quo facto caussam om-

n) Lib. XIII. 11. o) Recueil d'Antiq. Ægypt. Tom. I. p. 65. p) Vergleichungstafeln.
q) Godvini Moses & Aaron p. 933. r) 4 Verr. 70.

"omnem evelit suam." Quo autem ipso frequenter usi sunt Orientales, testante codice Sacro. E multis unum afferam locum Jer. XVII. 1, cujus hæc verba: "Peccatum Judæ scriptum בעט ברזל "stilo ferreo, & ungue (id est graphio) adamantina, super tabula cordum eorum."

ועפרת & in plumbo. Interpretaturi hoc vocabulum, lubenter sequimur Vulgatum & Chaldæum, qui in lamina plumbea illud reddunt. Neque talis scribendi modus apud veteres fuit insolitus: Romanorum, ut testatur Plinius s), actis publicis in plumbo scriptis. Deserendusque Bochartus, ita interpretans: "cum plumbo superinducto & litterrarum sulcis infuso" t) quia hæc interpretatio magis videtur esse artis quam simplicitatis, & præterea repugnat naturæ plumbi, quod liquefactum se expandit, refrigeratum vero concrescit; unde ex characteribus in rupe incisis successu temporis id excideret: irrito tum ipsius in curam æternitatis usu; quod menti Jobi non congruit.

לעד in perpetuum. LXX interpretes *εἰς μαρτύριον* convertunt. Unde haud per ambages

---

s) L. XIII. c. 11. t) Hieroz. I. 466.

ges colligitur, eos pro לָעַד legisse לָעֵד, codicemque vocalibus instructum non habuisse. Nec incommodum hæc interpretatio parit sensum. Verba enim Jobi, tenacissimæ commissa materiæ, gravi testimonio forent, quæ ejus sors fuerit, quales amicos habuerit. Tamen cum nec aliquam difficultatem habeat lectio Masorethica, quæ multis aliis ejusmodi locis, præcipue Jes. XXX. 8. עתה בוא כתבה על לוח אתם ועל ספר חקה ותהי ליום אחרון לעד עד־עולם׃ "Nunc i inscribe id tabulæ apud eos, & libro imprime id, ut sit in diem posterum, in perpetuum, usque in æternum," convenit, & præterea interpretum Syri, Chaldæi & Arabis auctoritate confirmatur, nihil video, cur spernenda sit, & alia quærenda.

בצור יחצבון in rupe, h. e. in morem inscriptionum, in rupibus Arabicis obviarum, incidantur, ne ulla unquam ætas eis finem allatura sit.

§. V.

Sensum hujus loci totius ad ultimum sic amplificare licet: quousque, Bildad, tuique qui similes sunt socii, & mei in speciem amici, vestra huma-

humanitate & mea patientia abutemini? Quamdiu furor iste vester me misere patientem, tamen vere innocentem repetitis vicibus eludet? Quidni pudor pertinacis vestri consilii stuporem vobis & silentium facit? Nihilne divina fulmina, quibus ictus, humana latrocinia, quibus exhaustus, & intoleranda tormenta, quibus cruciatus sum, vos movent? Omnia animi, corporis & fortunæ mala in me uno impetu & quasi turmatim irruunt: sed nulla solatia vel accepta, vel speranda. Conjugi sum ludibrio, necessariis odio, servis & ancillis contemtui, pueris irrisui, notis oblivioni, Deo piaculo, mihi oneri, querimoniæ, morti. Quamobrem, vos, qui judicio taciturnitatis oppressi estis, me occculta fatorum lege prostratum ne amplius contumelia vocis lacessatis, sed meo dolori & vestræ malignitati tandem parcatis. Utinam aliquis, divino carminis munere ingeniosus, sensuque humanæ sortis haud carens, hæc gravissimi fati arcana, hæc temporum rerumque discrimina, dicam, non modo pristinam meam felicitatem, honestam familiam, splendida tecta, numerosa armenta, amplum servitium, frequentia domi hospitia, promta foris obsequia, gratiam oris, hilaritatem

sed

mentis, pompam vestis, & copiam supellectilis, sed etiam præsentem casuque improvisam vitæ conditionem, inexorabile & implacabile numen, miseram orbitatem, fœdam paupertatem, probra ex propinquo & longinquo jacta, suspiria pectoris, vulnera corporis, & lugubres sordes lacrimoso carmine persequatur! Meo autem voto non satisfecerit, si mea læta & tristia in hospitiis vel in foro, ubi clamore obstrepuntur vel sono turbantur, memoraverit, felicem celebrans, jacentem extollens. Oro & obtestor, ut hæc omnia & singula in librum, qui res gestas tenacius memoria tuebitur, referat, vel potius plumbo, quod difficilius conficiet vetustas, inscribat, vel potissimum petræ, quæ nec igne liquescet, nec tempore consumetur, incidat, ut mea fata posteritati exstent utilia divinæ Providentiæ exempla, in æternitate temporum, fama rerum mansura.

IV.

IV. DE TROGLODYTIS JOBI, CAP. XXX. 1-8.

§. I.

De troglodytis, obſcuris ſpecuum incolis, multa ſeria, non pauciora ridicula antiquitus narrata, & recentius credita fuerunt. Scilicet majores, falſa veris miſcendo, imaginem horum hominum, dimidiam humanam, dimidiam feram, nimia fingendi audacia in fraudem poſteritatis expreſſerunt. Quibus vero figmentis originem dedit hæc gens ſui tantum ſimilis, aliarum nationum hoſpitiis propter periculum ignota, & cultu adſpectuque fœda, quæ ex longinquo viſa, lubricum oculum falſa ſpecie eluſit, & præceps judicium vana fide fefellit. Quæ tamen mendacia, longi & fabuloſi erroris ſemina, diu clari etiam viri, de ingenio ſuo fidem eis demere vel addere non auſi, nec affirmanda, nec refellenda putarunt, donec beneficio illuſtrioris temporis, melioriſque occaſionis copia, certiora comperta fuerint. Jam autem nobis locupletes ſunt teſtes, æque ingenio ad veri & falſi diſcrimen no-

biles, atque audacia ad itinerum pericula insignes, qui communi suffragio testantur, troglodytas non nova generis humani specie, sed, quantum cœlo & terra, tantum ingenio cultuque a nobis differre, tali discrimine, quale inter alias gentes politas & intonsas intercedit. Attamen ut nostri instituti ratio non gratiam novitatis, sed antiquitatis studium spectat, ita non de omnibus omnis temporis troglodytis passim memoratis, sed de iis duntaxat, quorum vitam Jobus a) exposuit, agere in animo est. Neque in hoc argumento nos aliis, sed alii nobis erunt exemplo; quorum vestigia & auctoritatem sequemur, nullius invidia & livore. Indicataque Jobi loca, quantum brevitate gravia, tantum intellectu difficilia, pro virili parte, interpretari studebimus, non ut major eis veritas, sed claritas constet.

§. II.

Tractum montanum, antiquitus Seir a Seiritarum progenitore Seir, recentius Idumæa ab Esavi cognomine Edom appellatum, partem Arabiæ Petrææ,

---

a) Cap. XXX. 1 - 8.

træ, tribui Judæ ad meridiem conterminam, & inter Ægyptum & Philiſtæos ſitam, ante Abrahami tempora, tenuerunt monticolæ b), Hebræo nomine Horæi, Latino ſenſu troglodytæ c) Quæ autem regio, ſi profanam conjecturam ſacris annalibus addere licet, iis placuit, vel metu vicini & potentioris populi, vel amore ſoli petroſi, otioſis hominibus parata tecta ſupra vel infra terram præbentis. Tamen hi homines nobili genere nati, quamvis degeneres. Nam Ana, filius Sibeonis, & nepos Seiri troglodytæ d), dicitur Hettæus, i. e. ab

---

b) Gen. XXXVI. 20. XXV. 25, 30. Num. XXXIV. 3. Jos. XV. 1, 21. Jerem. XXV. 20.

c) חורים Hebræis *troglodytas* significat, ab חר *caverna*, quod Chaldaico חורא et Syriaco ܚܘܪܐ *foramen* convenit.

d) Gen. XXXVI. 20, 24. Ana, qui v. 24. dicitur *filius Sibeonis*, vocatur v. 2. *filia Sibeonis*. Si reverentius tibi est, contradictiones tollere, quam defendere, hunc scrupulum tibi eripiet codex Samaritanus, ubi loco posteriori pro בת צבעון *filia Sibeonis* legitur בן צבעון *filius Sibeonis*, quæ lectio non modo a LXX. et Syro, sed etiam constanti Orientalium, in Genealo-

ab Hett, Canaanis filio, oriundus e). Qui vero Canaan, Noachi nepos, ex Ham generatus, gentem sibi cognominem condidit, a Græcis & Latinis Phœnices appellatam, cui primam sedem Bochartus, Hebraicis etymologiis subinde nimis indulgens, in Palæstina & Phœnice, J. D. Michaëlis ex contrario, testimoniis Herodoti f), Justini g) &

---

giis paternum, non maternum nomen ponentium, usu confirmatur.

e) Gen. XXVI. 34. X. 15, 16. Sed Ana, qui Gen. XXVI. 34. *Hettaus* dicitur, Gen. XXXVI. 2. *Hevæus* appellatur. Hettæi autem et Hevæi diversæ fuerunt Phoenicum olim familiæ, deinde gentes. Quoniam vero חרי ab חוי uno tantum litteræ apice differt, duo memorata loca facile conciliabis, si posteriori, pro חוי *Hevæus* legendum esse חרי *troglodyta*, tibi persuadeas. Exemplum ejusmodi mutationis, a librariis negligenter factæ, habes in Gen. XXXIV. 2. ubi duplex est apud LXX. lectio, una Ευαιος altera Χοῤῥαιος, sine dubio a duplici quoque Hebræa החוי et החרי orta.

f) In initio operis refert: Φοινικας απο της Ερυθρης καλεομενης θαλασσης απικομενες

& Abulfedæ h) tutius confidens, in Arabia ad mare rubrum tribuit i). Etenim duplex Cananæorum fuit natio, quarum una cupidine soli paterni in Arabia constanter hæsit, altera vero spe lucri pere-

---

επι την δε την θαλασσαν, και οικησαντας τουτον τον χωρον, τον και νυν οικουσι, αυτικα ναυτιλιησι μακρησιν επιθεσθαι. *Phœnices a mare rubro ad hoc nostrum profectos, eamque regionem, in qua adhuc habitant, occupantes, longinquis continuo navigationibus se dedisse.*

g) Lib. XVIII. c. 3. *Tyriorum gens condita a Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patrio solo, Assyrium stagnum* (i. e. lacum Tiberiadis) *primo mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi urbe, quam Sidona appellaverunt a piscium ubertate.*

h) وانما سمي شاما لان قوما من بني كنعان تشاءموا اليها اي تياسروا اليها لانها عن يسار الكعبة *
Nominata est Scham seu Sinistra, quod coloniæ filiorum Canaan sinistrorsum in illam migrarunt, utpote Caabæ sinistra (septentrione) sitam. His consentit Turcicus meus Geographus. vid. Geogr. Orient. P. I. p. 9.

i) Specileg. Geograph. Hebr. Exter. p. 168. seqq.

peregrini in Palæſtinam & Syriam migravit maturius, ſerius; nepotibus exempla majorum ſecutis. Atqui poſt Sidonios omnium antiquiſſima eſt Hettæorum colonia. Complectens hæc latiori ſenſu totam Cananæorum ab Euphrate ad mare mediterraneum gentem, ſtrictiori eam tantum Hettæorum indicat coloniam, quæ circa Hebron, urbem antiquiſſimam, ſeptennio ante Tanin Ægypti conditam, ſedem fixit, & quidem initio, ad morem majorum, in ſpecubus vitam traduxit. Fidemque nobis faciunt ſpeluncæ in hoc tractu amplæ & frequentes k). Quin etiam tres tribus ex troglodytarum poſteris, ſalvo priſcæ habitationis nomine, Anacæi i. e. troglodytæ appellatæ l), urbem Hebron, ipſam quoque Anac dictam, coluerunt, quomodo Hettæi montes circumjectos tenuerunt m). Ut autem ea Cananæorum gens, quæ Palæſtinam & Syriam petiit, Phœnices, ita

ea,

---

k) Jos. I. 4. 1 Reg. X. 29. Num. XIII. 22, 23. Gen. XXII. 7, 20.

l) בני הענק *Filii specuum* seu *troglodytæ* ab عنق, *latibula subterranea intravit.*

m) Jos. XV. 13. Num. XIII. 23. Jos. XV. 14. Jud. I. 20.

ea, quæ in Arabia semper habitavit, Amalecitæ dicta est. Hæc tamen non fuit Idumæa, ab Amalek Esavi nepote oriunda, sed multo antiquior & Cananæa, Abrahami tempore celebris, & Bileamo primitiæ gentium vocata n). Ita sentire nos jubent non solum Arabes, qui Amalecitas ad aborigines Arabiæ referunt o), sed ipse etiam Moses, qui de Phœnicibus in plures gentes minores divisis loquens, Hettæos quidem montani, & Cananæos strictiori sensu sumtos maritimi, Amalecitas vero australis tractus, i. e. Arabiæ, incolas memorat p). Igitur ad Amalecitarum turbam, & quidem tribum Hettæam, ut supra dictum est, referendi sunt troglodytæ Seiritæ, a priscis circa Hebron incolis non origine, sed sede diversi.

§. III.

De stirpe Seiritarum satis supra: jam reliqua persequemur. Hæc troglodytarum gens non nisi ob-

n) Gen. XXXVI. 12. XIV. 7. Num. XXIV. 20.

o) Herbelot. Biblioth. Orient. p. 110.

p) Copiose de his Amalecitis egit J. D. Michaëlis in Specileg. Geogr. Hebr. Exter. P. I. p. 170. seqq.

obſcuras in ſacris litteris imagines habet, ſolis ſeptem tribuum nominibus q), quam rebus earum geſtis clarior, & infelici bello turpique fuga, quam gloria & virtute notior. Parva quæ Moſes ejus veſtigia reliquit, ſtudioſe ſequemur, & quæ oculis non patent, mente aſſequi enitemur, conſilio pio, non audaci. Clades infauſta, a Cedorlaomer ei illata r), index eſt, ſi minus fortitudinis, tamen turbæ. Alioquin ille Elymæorum rex, tunc temporis Aſiæ potentiſſimus, quippe qui e ſuo regno trans Tigrim ſito, reges Cananææ vectigales, ſed rebelles ſubigendi cauſa profectus erat, hanc & quasdam alias gentes, a quibus ſibi periculum improviſi impetus, hoſtibus vero occaſionem certi auxilii augurabatur, bello, cæde & vaſtatione non perſecutus fuiſſet. Eſavus vero majorem, quam pro amplitudine tractus Cananæi, quem peregrinus colebat, & commoditate fratris Jacobi, qui in eadem regione curam paſcendi pecoris ſuſceperat, armentorum copiam habens, majus ſpatium ſibi ſuæque fortunæ in terra aliena circumſpicere cœpit, ſecunda vice hoſpes futurus. Fatisque ad majora

q) Gen. XXXVI. 20 - 30. r) Gen. XIV. 6.

majora rerum initia ducentibus, regionem Seir, ſilvoſis montibus vallibusque herbidis diſeretam, venatori gratam, paſtori opportunam, cum omni ſua re familiari, amplo conjugii & ſtudii in Canaanæa fructu, optimis ominibus petiit s). Quo autem ubi felici per loca æqua & iniqua itinere pervenit, indigenas offendit noſtros troglodytas, magis vita obſcœnos, quam aditu difficiles. Populumque hunc nec inermem, nec imbellem ille adii, non ſedem ut videtur, regno condendo, ſed gregibus paſcendis locum quærens; majori præſentis neceſſitatis cura, quam futuræ majeſtatis ambitione. Si vero conſilia novi imperii, quod non crediderim, ſecum agitaverit, ea utpote nondum tempeſtiva diſſimulavit, & gratiam hoſpitii ambiens, ejusmodi tantum loca, quorum jus erat poſſeſſori, non uſus, ſibi & ſuis petiit. Quæ etiam impetrandi plures habebat cauſas. Grata memoria Abrahami, qui avus novi hoſpitis, improviſæ injuriæ, a memorato orientis tyranno acceptæ, vindex fuit t), nondum deleta;

s) Gen. XXVI. 6. 8. t) Gen. XIV. 14, 16.

leta; nuptiæ ipſius, cum Aholibama, filia Anæ, & nepte Sibeonis, principis in Seir troglodytæ u), (amor imaginem, non cultum intuetur) ibi celebratæ: & hoſpitalitas Arabum, a natura eis tributa, conſuetudine corroborata, & tempore diuturna, haud ignota erat. Sic, ut mihi perſuaſerim, Eſavum venientem benigno & communi hoſpitio exceperunt Seiritæ; nulla terræ ad paſtum conceſſæ invidia nulloque futuri per Idumæos exitii præſagio. Neque non, ut videtur, inter utramque gentem, nativam & peregrinam, primum publica amicitiæ in mutuam ſecuritatem, deinde privata connubii in propiorem animorum conjunctionem fœdera fuerunt inita: unde ſenſim jura & officia mixta, & vitæ morumque ſimilitudo orta: atque Seiritæ nati, Idumæi facti ſunt troglodytæ. Si autem eſt veriſimile, Eſavum ſuæ in Seir vitæ primordio, timida domeſticæ paucitatis conſcientia, & memoria exteræ benevolentiæ adhuc recenti, modeſte & quiete egiſſe, ambiguum eſt, utrum fidem Seiritis datam ſancte & perpetuo ſervaverit, nunquam ſeditionis auctor, an in faſtigio ætatis & for-

u) Gen. XXXVI. 2, 24, 25.

fortunæ constitutus, magni nominis avidior, quam veteris hospitii memor, in suos hospites, qui ei erranti gratiam stabili certaque sede finiendi erroris fecerant, ingrata belli & fugæ arma verterit, votis paternis irascens, & auspiciis fraternis invidus. Utcumque hæc existimata erunt, haud in magno ponam discrimine. Hoc, teste Mose v), certum est, Seiritas ab Idumæis, Esavi posteritate, illustris venatoris progenie, ad cædem & sanguinem nata, partim occisos fuisse, partim sua sede expulsos; sive credideris, id prævio Esavi exemplo, vel ambitioso terræ alienæ occupandæ consilio, vel nimio injuriæ publicæ aut privatæ vindicandæ studio, his causis singulis, vel conjunctis factum esse. Qui autem celeritate fugæ, vel victoris clementia evaserunt, majorum sedes consuetudine magis, quam specie amœnas, reliquerunt, & novas speluncas vel factas, vel quærendas, profugis effugia, petierunt. Iisque in locis, odio & metu prævalentis populi, amissæ patriæ dolore, nec ulla ejus recuperandæ spe & facultate torpentes, miseram vitam egerunt, & quo diutius, eo propius ad bruta

v) Deut. II. 12, 22.

bruta animantia, solitudinis exempla, cultu habituque accesserunt, donec, omni humani decoris disciplina paulatim labente, ad tempora Jobi, quibus, ut ille infra refert, similitudinem feræ magis, quam personam hominis gerebant, perventum est. Sed troglodytica vivendi ratio, quamvis homine indigna, tamen ætate spectabilis est, utpote principio rerum fere coæva, & rudi vetustati conformis. Nam primi homines sub dio & frondiferis arboribus, tectis divinis, ardorem solis frigore umbrarum distingventibus, bene beateque egerunt. Eorum autem posteri, ingenio & cupiditate non æque temperati, & cæli, imbribus ac fulmine subinde sævi, minus patientes, diversam habitandi viam inierunt. Nam troglodytæ, a Caino oriundi, tantum improbitate, quantum agri colendi studio celebres, specus subterraneos subierunt, magis commodæ, quam claræ vitæ studiosi. Schenitæ vicissim a Setho generati, æque pietate, atque vitæ pastoralis amore nobiles, sub tentoriis primum, ut verisimile est, pelliceis, tum laneis, & deinde linteis, in pace pedetentim ambulatoriis, in bello raptim translatitiis, spiritum liberi aëris duxerunt; arte a stabulo ad textrinam instar calami articulatim crescente. Sic

&

& Iſraëlitæ, ab Abrahamo orti, non minus arte, quam luxu & libidine famoſi, primum tuguria, ex ſarmentis, arundinibus, aliove ſimili genere tecta, ædium primordia, exſtruxerunt, deinde vero domos ex lapidibus, lignis & ſtramentis mixtis, vel non mixtis, ſimplices, multiplices, ſtragulisque textilibus ornatas, condiderunt; faſtigio præviis longi temporis & artificis ingenii operibus impoſito x).

Job. XXX. I.

ועתה שחקו עלי
צעירים ממני לימים
אשר מאסתי אבותם
לשית עם כלבי צאני

Sed nunc me derident minores me natu, quorum ego patres pecuariis meis canibus componere detrectaſſem.

Paraphrasis.

Ego, qui olim, rebus ſecundis, pauperi hoſpitiis domi, & periclitanti conſiliis in foro, ſine ſpe

---

x) Vid. Fabers Archäolologie der Hebræer.

Hunc versum, nec clarum, nec obscurum, interpretes veteres et recentes, de vero ejus sensu suspensi, varie, et melius et pejus interpretantur. LXX. Νυνι δε κατεγελασαν με ελα-

ſpe præmii adſui, de nomine boni & juſti optime meritus: ego, inquam, quem ſenes conſcientia meæ ſapientiæ alloqui, meæque majeſtatis verecundia juvenes

---

χιϛοι νυν νȣθετȣσι με εν μερει ημεραν, αν εξȣδενȣν, τȣς πατερας αυτων, ȣς ȣχ ηγησαμην αξιȣς ειναι κυνων των εμων νομαδιν. Quæ verbotenus Syrus noster Hexaplaris reddit: ܗܫܐ ܕܝܢ ܓܚܟܘ ܒܝ ܒܙܥܘܪܐ ܗܘܐ . - . - ܡܪܕܝܢ ܠܝ ܒܡܢܬܐ *ܕܐܒܗܘܢ ܕܫܝܛܬ ܗܘܝܬ ܐܒܗܬܐ ܕܠܗܘܢ ⁓ ܠܗܘܢ ܕܠܐ ܚܫܒܬ ܕܫܘܝܢ ܠܟܠܒܐ ܡܪܥܝܬܐ ܕܝܠܝ.

Nunc autem me irrident minimi ætate: nunc me erudiunt in sorte (vox ημεραν vel vitio exempli, vel culpa interpretis, vel incuria scribæ deest) * *quorum ego patres contemsi* ⁓ *quos non putavi canibus meis pecuariis æquiparandos*. Tria hic observanda. 1:o. In textu Hebræo verba, Græcis νυν νȣθετȣσι με respondentia, non vides; quæ si injuria temporum hominumque incuria excidisse credideris, Jobum עתה יכרוני vel אתה יבוננוני *nunc me erudiunt* (verbis יסר Job. 4: 3. et בון Job. 34: 16. 38: 18. a LXX. per νȣθετειν redditis) scripsisse, putabis:

venes intueri non audebant; (Cap. XXIX) nunc nullo meo crimine, sed occulta fatorum potestate, ad

---

quod tamen sine codicum auctoritate, et veterum interpretum testimoniis ne temere sentias, modeste moneo. 2:o. Hebræa ממני לימים LXX expresserunt per *εν μεϱει ημερων* *in parte dinumerata s. sorte dierum*, voce ממני pro מני *numerus* vel מנה *pars, portio* accepta, quod non fecissent, si codicem punctatum habuissent, et simul ad Job. 32: 4. כי זקנים המה ממני לימים *quia seniores illi ipso erant ætate* (eadem est, quæ hic, construendi ratio) attendissent. Lectionem nostram Masoreticam confirmant ceteri Græci antiqui temporis interpretes, in margine codicis nostri Syriaco-Hexaplaris Syriace eminentes, ubi Aquila: ܗܫܐ ܓܚܟܘ ܒܝ ܕܒܨܝܪܝܢ ܡܢܝ ܛܒ ܒܝܘܡܬܐ *Nunc vero me derident, qui me sunt multum minores diebus.* Symmachus: ܗܫܐ ܕܝܢ ܡܒܙܚܝܢ ܒܝ ܐܝܠܝܢ ܕܛܠܝܢ ܡܢܝ ܒܙܒܢܐ *Nunc autem mibi illudunt, qui me sunt recentiores temporibus.* Theodotion: ܗܫܐ ܓܚܟܘ ܒܝ ܐܝܠܝܢ ܕܛܠܝܢ ܒܝܘܡܬܐ *Jam me vero irrident, qui sunt recentiores diebus.* 3:o. Hæc Græca, *ων εξε-*

ad misericordiam divinam miser, immisericordi humani generis, tum ambitiosæ nobilitatis, tum infimæ

δενουν τους πατερας αυτων, utpote asterisco apud' interpretem Syrum Hexaplarem notata, non propria sunt LXX interpretum verba, sed suplementum Origenis aliunde arreptum, manifesto corruptionis, cui origines Græcæ, signis Originianis paulatim sublatis, obnoxiæ fuerunt, exemplo, et insigni emendationis, cujus maximam nobis spem effigies earum Syriaca facit, specimine. Sequentia hujus versus verba, אשׁר מאסתי אבותם לשית עם כלבי צאני vertunt interpretes hujus sæculi, I. H. Michaëlis (adnotat. in Hagiogr.) quorum *patres recusassem ad ponendum* tanquam custodes *cum canibus gregis mei*, orientali vitæ pastoralis honore læso; I. D. Michaelis (in Syntagma Comment. p. 198.) *Quorum patres canibus gregis mei adjungere detrectassem*, i. e. ut uberius explicat, *homines tam perditi et nequam, ut gregem talibus credere dubitassem*, quasi Jobus hæc diffidenter, non contemtim dixisset. Svecus hodiernus: *Hvilkas Fäder jag icke agtat värda, at sköta min hjords hundar*, sensu admodum incommodo, quasi cura pecorum canumque pecuariorum diversis pastoribus commendata fuisset. Hi auctores,

fimæ plebis, opprobrio fum & irrifui: fi autem meæ innocentiæ acerba funt accufatorum mendacia, meæ fenectuti acerbiffima certe funt eorum juvenum ludibria, quorum ego patres canibus me:

pecu-

opera et nomine immortales, non animadverterunt, verbum, שוה cum variis particulis constructum varia significare, scilicet cum ב *interposuit* Jerem. 3: 19. 2 Sam. 19: 29. cum ל *apposuit* Gen. 4: 15, cum על *imposuit* Gen. 46: 4, et cum עם *composuit*, et quidem hoc loco *comparavit* quam vim etiam *composuit* apud Latinos habet, e. g. *magna parvis componere* Virg. *dicta cum factis componere.* Sal. Primus interpretum, quos amplitudinis causa nominavi, primam harum notionum, secundus secundam, tertius tertiam, nullus vero quartam, textui et contextui optime convenientem, quamvis LXX. Interpretibus, id quod ex versione eorum supra allata satis constat, præeuntibus, secutus est. Vox αξιος a LXX. usurpata, Hebræo שוה et Syriaco ܫܘܐ respondet, et non solum *dignus*, sed etiam *æqualis* notat, e. g. Prov. 3: 15. 8: 11. παν δε τιμιον εκ αξιον αυτης εςι *omne autem pretiosum non est illi* (Sa-

pecuariis componere noluissem, sagacem horum fidelitatem pluris quam brutam illorum rationem faciens. V. II.

---

pientiæ) *æquiparandum*. Et apud Homerum Il. O. νυν δ' ȣδ' ενος αξιοι εσμεν Εκτορος. *Nunc vero ne uni quidem Hectori comparandi sumus*. Quod vero ad canes pecuarios hic loci memoratos attinet, nec hodiernis Arabibus desunt, quod ex ore Maronitæ Constantinopolitani comperui, nec antiquis Græcis defuerunt, teste Homero Il. M. v. 302, 303, 304.

Ειπερ γαρ χ' ευρησι παρ' αυτοφι βωτορας ανδρας,
Συν κυσι και δȣρεσσι φυλασσοντας περι μηλα,
Ου ρα τ' απειρητος μεμονε σταθμοιο διεσθαι.

Etsi enim invenerit (leo) *apud ipsam* (caulam) *pastores viros*
Cum canibus et hastis custodiam agentes circa oves,
Haud tamen non facto periculo sustinet a stabulo pelli.

Canes, quamvis pastoribus ad socium gregis tutamen fideles servuli, tamen viles vulgo habiti sunt, quippe qui quantum domesticis amici, tantum hospitibus inimici sunt; inde imaginem vilis hominis, in canis latrantis et mordentis morem, dictis factisque alios infestantis, ab his animalibus olim petierunt Orien-

V. II.

גם כח ידיהם למה
לי עלימו אבד כלח

Quid mihi prodest vis, quæ eorum manibus inest? ætas ad tetricam usque senectutem eis perit.

Paraphrasis.

Quæ officia ingenii, operæ vel artis, ego omnium meæ ætatis mihi in amplitudinem, & aliis in

---

tales, et adhuc petunt. Exempla tum sacra tum profana passim obvia.

Magna etiam hoc loco inter veteres et recentiores interpretes dissentio est, quæ a varia eorum lectione orta videtur. LXX. vertunt: Καιγε ισχυς χειρων αυτων ινατι μοι; * επ' αυτους απωλετο συντελεια. Hæc Græca Syrus noster Hexaplaris ad verbum transfert : ⁒ * ܐܦ
ܓܝܪ ܚܝܠܐ ܕܐܝܕܝܐ * ܕܠܗܘܢ ܠܡܢܐ ܠܝ
ܥܠܝܗܘܢ ܐܒܕ ܫܘܠܡܐ ↙

T* *Quorsum mihi robur manuum eorum? Quibus periit consumtio.* ↙ Qui interpres cum non tantum posterius, sed etiam prius hujus versus membrum asterisco notet, nos docet, æque unum ac alterum non esse LXX. Interpretum, sed utrumque Origenis aditamentum, et

in gratiam vel terrorem potentissimus, ab his petere & exspectare potui hominibus, qui miseri con-

---

quidem ex Theodotione desumtum, littera *Tau* præmissa hoc indicante. Adeo spem illam, quam Syrus noster Hexaplaris in versu præcedenti tibi fecit, in hoc præsente cumulate auget. Cum vero Theodotionem nomen כלח per συντελεια expressisse videas, eum non כלח sed כלה quod a LXX. per συντελεια Neh. 9: 31. Jerem. 5: 18. 46: 27. Nah. 1: 8, 9. Soph. 1: 19. redditur, legisse, suspicaberis. Nec aliam lectionem habuisse cogitabis Aquilam, qui memoratam vocem, ut noster Syrus in margine refert, paraphrastice per ܟܠ ܟܠܗ ܠܚܘܣܪܢܐ *penitus omnia in damno*, interpretatur. Quid autem sibi velit versio Theodotionis, æque obscura, ac concisa, ostendit Svidas: Συντελεια, παν το προς ζωην. Ιωβ. Επ αυτους απωλετο συντελεια, αντι του, ουδεποτε τι χρηστον συνετελεσαν. Συντελεια *quicquid ad vitam perficiendam pertinet. Jobus; super ipsos periit, quicquid ad vitam perficiendam pertinet,* i. e. *nunquam utile quid fecerunt.* Si igitur lectio כלה, cujus suspicionem duo memorati interpretes nobis fecerunt, penitus re-

conditione nafcendi, miferiores ratione vivendi, nulla animi, corporis & fortunæ curâ, languore otii puerafcunt, licentia libidinis adolefcunt, neceſſitate latrocinii juvenefcunt, gravitateque paupertatis fenefcunt.

V. III.

בחסר ובכפן גלמוד הערקים ציה אמש שואה ומשאה.	*Inopia & fame preſſi, certoque prole carentes, vaſta & ſqualida ſectantur.*

PA-

---

pudianda non videatur, uti in libris sacris frequens, et tum huic loco, tum Job. 5: 26. optime congruens; tamen lectio hodierna כלח non temere sollicitanda erit, uti consensu omnium codicum, quos videndi Kennicotto ejusque amicis copia fuit, confirmata. Etsi enim maxime singularis est, siquidem vox כלח hic tantum et Job. 5: 26. occurrit, ideoque admodum obscura est, tamen, lingua Arabica duce, quodam modo explicari et utrique loco accomodari poterit. Nam كلح apud Arabes *austero et tetrico vultu fuit* significat. Hinc כלח apud Hebræos, ex quorundam interpre-

PARAPHRASIS.

Hi homines, profuturi ad vitam tuendam laboris inscitia vel odio, dira egestate & obscœna fame

---

tum sententia, *tetricam senectutem* notabit. Quæ conjectura licet mihi non satisfaciat, tamen defectu melioris sufficiat.

כפן vocabulum Syriacum et Chaldaicum, qualia plura in hoc libro, quæ suis non solum formis, sed etiam significationibus ad linguam Aramæam declinant Hæc origo fuit opinioni, rem Arabice scriptam, Hebraice vero translatam esse, effigie in sui similitudinem exempli conformata. Consensui vero locus non est. Ea enim, quæ quis ex alieno in suum sermonem converterit, aliquid pinguis et coacti ex peregrina origine contrahunt. Jobi autem oratio libera et fluens: verba non facta, sed nata: compositio facilis et concinna: et figuræ ac similitudines suo nitore populares et plausibiles. Nec mireris, si in hujus carminis Hebraismo vestigia Arabismi deprehenderis. Nam Jobus ejusque amici ex stirpe Heberi generati fuerunt: in cujus familia sermonem non Hebræum modo conservatum, sed Arabicum quoque natum esse, uno ore consentiunt eruditi.

fame torpentes, ſine nuptialibus ſacris & caſti amoris vinculo, ſine certis liberis paternique nominis

---

גלמוד vertit A. Schultens *dura et misera*, J. D. Michaëlis *duri silices*, his notionibus ex Arabico جلمود *saxum*, *vir durus*, petitis. Magis placet LXX virale αγονος, significatio optime translata, et ad propriam *saxi* vel *silicis* proxime accedens; quæ vox Græca apud Hesychium ατεκνος, ακαρπος, ασπορος valet, et Hebraicæ משכל aut עקר respondet. Nostræ opinioni robur accedit ex Cap. III. 7. XV. 34. ubi idem, quod hoc loco vocabulum occurrit, nec alium, quam *sterilis* significatum admittit.

הערקים varie a variis explicatur. Quid ego sentiam dicere etiam licet. Prima hujus verbi potestas est *radices agere, et per terram se diffundere*, unde ortæ sunt apud Arabes, Chaldæos et Syros secundariæ, *radices evellere*, *corrodere*, et *per terram abire*, quas omnes hac una, et nostris Troglodytis congrua, *pastum*, *surculos*, *radices per terram serpendo quærere*, facile comprehenderis. Hujus gentis sicut agrestis et inhumanus cibus proximo, ita instabilis per silvas et montes sedes hoc loco describitur.

minis heredibus, sine subactis arvis & spe messis, vastas solitudines, cœlo soloque horrendas; nec ullis, nisi quibus profunda arenarum aut juga montium placuerint, colendas, more ferarum pererrant.

V.

Nec aliter sensisse videntur LXX interpretes, qui *φευγοντες* posuerunt, cui verbo *currendi, se recipiendi* potestatem sæpe tribuunt.

אמש difficilius explicatur. Apud Hebræos idem significat, quod أمس apud Arabes, *heri, heri vespera, hesterna vel præterita nocte*: quæ autem vis contextui non convenit, nisi augeatur, et ab hesterno ad præteritum tempus et multa retro sæcula extendatur. Nec huic interpretationi repugnat vocis origo, apud Arabes superstes, مس aut مسح *fricuit, palpavit*, ex quo notio oritur *contigui*, quatenus *palpari* dicuntur, quæ proxime tanguntur. Ita quæstionis vocabulum præteriti temporis, brevioris, longioris, dierum, annorum continuam seriem notaret. Si magis placuerit, in comparationem vocare Syriacum ܐܡܣܐ *ager*, eo minus dissentio, quo clarius video, hanc notionem ubi sequentibus juncta fuerit, bonum prodere sensum.

V. IV.

הקטפים מלוח עלי שיח ושרש רתמים לחמם

Carpunt sapida ex fruticibus, & genistarum radicibus vescuntur.

מלוח in versione LXX virali bene ἁλιμα: quod Syrus Hexaplaris male per ܡܫܚ̈ܐ *unguenta* expressit. Nam ἁλιμον est frutex, nomen a salsedine habens, et sepimentis idoneus: cujus folia sicut olera comedi possunt. De hoc Svidas: ἁλιμόν βοτανη δενδροειδης παρα θαλασσαν, *Halimun planta arborisimilis, ad mare nascens.* Dioscorides Lib. I. Ἁλιμος θαμνος εστι φραγμιτης, ὁμοιος ῥαμνῳ, ουκ εχων ακανθας, φυλλα δε ελαια παραπλησια, πλατυτερα μεντοι· φυεται εν παραθαλασσιοις και φραγμοις, *Halimun est arbustum, ex quo fiunt sepes, rhamno simile, spinis carens, folia habens olea similia, sed latiora: crescit ad littora maris et circa sepes.* Et rursus idem: λαχανευεται αυτης τα φυλλα εψομενα εις βρωσιν, *folia ejus cocta esui sunt idonea.* Galanus lib. VI. Simpl. c. 22. Ἁλιμον θαμνος· τουτο εστι το

PARAPHRASIS.

Hi inquam, quibus pro agro dura ſunt rubeta & aſpera fruticeta, ne inertia & inedia pereant,

---

φυτον εν Κιλικια μαλιϛα πλειϛον γενναμενον, ινα και τȣς βλαϛȣς αυτȣ εϛιȣσι, προσφατȣς τε, και εις αποθεσιν θησαυριζοντες· εϛι δε και σπερματος και γαλακτος γεννητικον το φυτον, και κατα την γευσιν αλυκον τȣ εϛι, και υποϛυφον εχον. *Halimun arbustum est planta, in Cilicia copiosissime crescens, cujus summitates, cum sunt recentes, comeduntur, et collecta conduntur: semen et lac gignens, sapore autem salso et modice adstringente.* Iben Bejtar, qui hæc Dioscoridis et Galeni verba Arabice reddidit, testatur, hocce *halimun* a Syris ܡܠܘܚ (i. e. Hebraicum מלוח) apellari. Lucem his addit Antiphanes apud Athenæum lib. IV. c. 16. Των πυθαγορικων τυχον αθλιοι τινες, εν τη καραδρα τραγοντες αλιμα, και κακα τοιαυτα συλλεγοντες. — *E Pythagoricis forte quidam pauperes, Halima edentes, quæque talia colligunt insipida terra in hiatibus.* Bellonius (Lib. I. Observat. c. 18. et Lib. II. c. 78.) refert, halimun in Creta halimaciam vocari, nec solum

ant, qui fumma & ima circumfpiciunt, nec recentia folum & falfa fruticum extrema decerpunt, fed tenera etiam & fucculenta geniftarum initia evellunt: quæ dentibus vel lapidibus mollita vitæ neceffitatibus ferviant.

V.

---

in illa insula sepimentis agri, sed etiam in Ægypto munimentis Nili usui esse.

עלי שיח LXX. vertunt *επι εχοντι*, apud Syrum Hexaplarem ܥܠ ܓܢܒܐ ܘܐܩܠܐ *super edente strepitum*, i. e. littore: ita ut hi interpretes respexisse videantur notionem, non *fruticis*, quam שיח Gen. II. 5. habet, et quam Symmachus, item apud Syrum Hexaplarem Aquilas recte huic loco tribuerunt, sed *querelæ*, quam Job. X. 1. aliique loci sibi vindicant. Idem dicatur de Græcis *ανα μεσον ευηχων* in versu hujus capitis septimo, quæ Hebraicis בין שיחים respondent, et quæ Syrus Hexaplaris ܒܝܬ ܡܙܡܪܢܐ ܘܐܩܠܐ *inter canora*, Symmachus vero *μεταξυ φυτων αγριων* reddit.

רתמים i. e. Arabicum رتم *genista*, crescens in solitudine 1 Reg. 19: 4, et, ut asserit Bellonius (Observat. Sing. c. 44), in deser-

V. V.

מן־גו יגרשו יריעו עלימו כגנב

Pelluntur e medio, & eis tanquam furibus acclamitatur.

PA-

---

tis locis Arabiæ et Ægypti obvia. Diodorus Siculus de Hylophagis scribit (lib. III. c. 24.) *Hylophagi cum filiis suis uxoribusque pascentes, conscendunt arbores, mollia ramorum comesturi — et ramum quemvis succulentum dentibus conficientes, bene concoquunt.*

יריעו עלימו כגנב LXX. vertunt *επανεστησαν μοι κλεπται*, quæ Syrus Hexaplaris transfert ܩܡܘ ܥܠܝ ܓܢܒ̈ܐ *surrexerunt adversus me fures*; quasi scriptum fuisset in Hebræo יעירו עלי גנבים, transpositis deinceps et mutatis litteris in eam seriem et formam, quæ ante oculos versatur. Quamquam vero multa talis incuriæ exempla Cl. Kennicott in suis dissertationibus protulit, tamen cum hæc singularis et LXX viralis lectio necessariis testimoniis careat, vulgari et hodierna conquiescere sanctius fuerit.

ערוץ, quod, præeunte LXX virali *τρωγλαι των πετρων*, *fissuræ scopulorum* verti so-

Paraphrasis.

Qui etiam, ubi omni divino humanoque cultu rudes, ex nemorum opacis aut ædium cavis in apricum se proripiunt, fœdius quam venerunt, retro tendunt, nec cornuum & virtutis concentu, tanquam hostes, in acie victi, sed subito & fugam vel cladem minitante clamore, ut fures aut latrones civitate & foro exturbati.

V. VI.

---

let, duce Arabico أعراض, *consitæ arboribus valles* vertendum videtur. Troglodytas enim non solum subterraneas specus et cavatas rupes, ut in mox sequentibus, sed etiam condensas et umbrosas valles, ut hoc loco dicitur, habitasse, ex antiquis scriptoribus compertum est. Et hanc sententiam confirmat etiam vox adjuncta נחלים, quæ *valles*, aut æstivo sole *siccas*, aut aqua hiemali *torrentes*, significat.

חרי ab חור *albicare* est, et proprie *foramina misti inter nigrum et album coloris*, appellative vero *Troglodytas* Gen. XXXIV. 2, notat: quemadmodum בני ענק Num. XIII. 22. Jos. XV. 13. Jud. I. 20. proprio nomine *Filii Anac*, appellativo autem *Troglodytæ Cananitæ* valet,

V. VI.

בערוץ נחלים לשכן
חרי עפר וכפים

Umbrosa vallium speccus terræ, & scopulorum cavernæ iis habitacula.

PARAPHRASIS.

Neque enim tecta aut tentoria, quæ ars humana fingit, sed opacas nexu arborum & umbra valles, atras speluncas cæcasque cavernas, quas rudis natura bruto animantium generi aperuit, colunt. Hæc infantibus ferarum, frigoris & imbrium

verbo علق apud Arabes *intrare latibula subterranea* significante.

ינהקו verbum hoc tantum loco obvium, intellectu tamen facile est, utpote ינאקו, lectioni apud Kennicottum varianti, cognatum, et Syriaco ܢܗܩ atque Arabico نهق *rugiit*, *rudit* respondens. Nec harum varietas literarum, ܗ in Syriaca, ق autem in Arabica voce, scrupulum injiciat. Posterior enim ut apud Arabes (Beduinos), qui eadem utuntur lingua, prioris sæpe sonum habet, ita apud Syros, quibus diversa fuit loquendi consuetudo, illius quoque formam aliquando accipere potuit.

um ſuffugia: huc concurrunt juvenes: hæc ſenum receptacula.

V. VII.

בין־שיחים ינהקו	*Frutices inter rudunt,*
תחת חרול יספחו	*et ſub paliuro ſcortantur.*

PARAPHRASIS.

Otiaque eorum & negotia ſi ſcire placet, horrenda voce, & rudis tanquam aſelli intempe- ſtivo

---

חרול quo vox obscurior, eo plures olim lites peperit: quas vero Cl. Celsius, magnus vir, in suo Hierobotanico composuit. Scilicet probavit, omnia, quæ de חרול dicuntur, paliuro convenire. Loca nascendi solitudines, rupes inviæ, et rivi inter silvarum recessus et saxorum anfractus. Idem de eo Theophrastus in lib. III. c. 17. refert: *nascitur locis desertis et aridis, sicut rubus, sed non nimis diluta quærit.* Paliuri quoque usum apud Troglodytas, quorum steriles et incultas regiones longe lateque serpens obtexit, describunt Strabo et Diodorus, facta mentione, ex eo non potum modo paratum, sed ejus viminibus mortuos etiam constrictos fuisse. Quocirca hanc vocem haud male ex-

ſtivo ſono nemora & ſaltus complent, ut & ſub paliuris, quaſi nefandæ libidinis integumentis, publicos & effuſos amores, ſine diſcrimine ſanguinis & ſexus, miſcent.

V. VIII.

בני נבל גם־בני בלי־שם נכאו מן הארץ	*Filii hi ſceleratorum, filii hominum, qui proprio nomine invicem non cogniti e terra exturbantur.*

PA-

---

presserunt LXX interpretes per Φρυγανα αγρια. Theophrastus vero (lib. I. c. 5.) ait, Φρυγανον dici, *quodcunque ex radice caudice multiplici ramosumque se attollit, ut rubus, paliurus.*

יספחו vel apud Kennicottum ישפחו, quod apud Hebræos *adhærendi, adjungendi* vim habet, apud Arabes proprie notat *effudit* aquam, sanguinem, et translate *scortatus est*, quæ significatio huic loco optime congruit. Troglodytis non certa conjugia, sed in eadem specu degentibus promiscua contubernia fuisse, docet Diodorus libr. III. c. 32. Ait enim, *et liberos et uxores illis communes esse, sola tyranni conjuge ex-*

PARAPHRASIS.

Hi ſtulti & improbi, forma & adſpectu attriti, vita & moribus fœdi, nec avito ſinguli nomine in virtutis vel flagitii agnitionem diſtincti, & in his atque cæteris immanem feritatem ſpecie humana ferentes, e medio, frugifero & herbido ſolo, procul ab urbibus & pagis, templis & foris,

---

cepta, quod si quis tum ea rem habeat, certum numerum ovium (unam ovem, narrat Strabo) *exigere tyrannum.* Plura de his apud Plinium libr. V. c. 8 invenies.

בני נבל apud Kennicottum בני תבל quæ lectio huic loco aptissima. Notat enim Arabibus *infamiam amoris*, indeque Hebræis *incestum concubitum*, cui non alia gens effusius Troglodytis indulget. Tamen hodiernæ et receptæ, sine auctoritate plurium codicum et veterum interpretum, præferenda non videtur, quæ etiam boni est sensus, vocabulo נבל *hominem, in quo nihil succi, nebulonem, flagitiosum* significante.

בלי שם *sine nomine*, id est, *qui nominatim distincti non sunt*, illustrat Diodorus, qui in li-

ad aspera montum aut camporum, sterilia, verberibus & probris arcentur.

---

bro III. c. 32. de Troglodytis narrat: *caeterum mortalium nemini parentum nomen tribuere, sed tauro, vaccæ, arieti et ovi, quod horum animalium carnibus aluntur.*

V. DE TROGLODYTIS CUSCHÆIS.

§. I.

De Troglodytis Cuschæis scribere constitui: gentisque origo & sedes initium mihi operis erunt. Generatos eos esse ex Cusch, Noachi nepote a), argumento est ipsum nomen. Patriam vero iis Æthiopiam fuisse, ex rerum gestarum memoriis tam sacris quam profanis colligitur. Namque populum colore a ceteris mortalibus distingvit Jeremias: "Cuschæusne mutabit cutem, aut pardus maculas "suas" b)? Et situm loci demonstrat Jesaias: Heu

---

a) Gen. X. 6. b) C. XIII. 23.

"Heu terra ſtridoris alarum; quæ ſita eſt ultra "fluvios Cuſch" c), i. e. Adve tas aures terrarum extrema, quæ ultra ſolis anniq e orbitam, atque ultra Æthiopiæ fluvios & Nili fontes ſita es. Hebræi enim, quomodo Græci & Latini, auroræ & ſoli alas d), neque (ut ex præſenti loco patet) ſine tinnitu, dederunt. Poſidonius apud Strabonem e): λεγειν, φησι ποσειδωνιος, τυς πολλυς, μειζω δυνειν τον ηλιον εν τη παρωκεανιτιδι μετα ψοφυ, παραπλησιως, ωσανει σιζοντος τυ πελαγυς κατα σβεσιν αυτυ, δια το εμπιπτειν εις τον βυθον. Florus de Decimo Bruto: "Non prius "ſigna convertit, quam cadentem in maria ſolem, "obrutumque aquis ignem, non ſine quodam ſacri- "legii metu & horrore deprehendit." Juvenalis: "Audi & Herculeo ſtridentem gurgite ſolem." Et C. Tacitus f): "Sonum inſuper emergentis (Solis) "audiri perſvaſio adjecit." Cuſchæos autem eſſe Æthiopes, non ſolum ex indigenarum profeſſione, ſed etiam ex totius Aſiæ conſenſu probat

---

c) C. XVIII. 1. d) Malach. III. 20. Ps. CXXXIX. 9. e) Lib. 3. f) De Moribus Germaniæ C. 45.

bat Josephus g): Χȣσιον μεν ȣδεν εβλαψεν ο χρονος. Αιθιοπες γαρ αν ηρξεν, ετι και νυν υπο εαυτων τε και των εν τη Ασια παντων Χȣσαιοι καλȣνται. Congruunt, Dionysius h): ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܡܦܪܫܢ ܘܩܝܡܢ ܒܬܝܡܢܐ ܘܡܬܬܚܡܢ ܠܐܬܪܘܬܐ ܕܝܡܐ ܪܒܐ ܗܘ ܕܚܕܪ ܠܟܠܗ ܐܪܥܐ "Hæc autem (regna Cu-"schæorum) disjunctissima sunt, & quidem sita "versus meridiem, iisque locis, quæ Mare Mag-"num, quo universus terrarum orbis circumda-"tur, contingunt." et Geographus Nubiensis: ومنها مدينة كوشة الواعلة وبينها وبين مدينة نوابة ستة ايام وهي تبعد عن النيل يسيرا وموضعها فوق خط الاستوا "Ad Nubiam pertinet urbs Cuscha, quam inter "& Nuvabiam urbem sex dierum intervallum est. "Non procul abest a Nilo, estque sita ultra lineam "æquinoctialem."

§. II.

Lubet jam cognoscere, quo tempore & casu Æthiopiam Cuschæi petierint. Tradit fama, eaque an-

g) Lib. I. c. VI. §. 2. h) Assemani Bibl. Orient. T. I. p. 361.

antiqua, & indigenis, advenis in commune credita, ſtatim poſt diluvium Cuſch, gentis conditorem, cum novam ſibi ſuæque familiæ ſedem quæreret, in juga, quibus campeſtria Atharæ & montoſa Abysſiniæ ſeparantur, delatum eſſe i). Quæ fabula ſi minus vera, tamen abſurda non videtur. Quo enim longius ab Oceano verſus meridiem iter fiebat, eo magis præteritæ calamitatis recordatio & futuræ metus augeſcebat. Turbidum ibi cœlum, aſſiduæ tempeſtates, & crebra diluvia. Nam, ſole in hiberna ſigna remeante, ingruunt nimbi, qui non ſtillatim, ſed quaſi rivulis & per plures menſes fuſi, fatales perinde poſteris viſi ſunt, quam imbres Noachi majoribus fuerunt k). Inde origo eſt torrentibus, qui cacuminibus montium præcipites, quicquid obvium fuerit, ſaxa, arbores per devexa ferunt, aut decidentium mole clauſi, dum amiſſum curſum quærunt, recta munimentaque impellunt & proruunt. Nec amnium juſtus alveus. Demiſſis enim ripis alte ſuperfuſa vis aquarum non

---

i) Travels to discover the Source of the Nile T. I. p. 376 by J. Bruce. k) Idem lib. cit. p. 377.

non jacentia solum, sed edita etiam loca implet l). Præcipuum ex Nilo exemplum: qui quotannis continuo imbre & immenso auctu ripas excedens, quæ solet flumina accipere & devehere, retro cogit, suisque & alienis aquis operit agros, premit valles, & campis innatat. Hæc quamvis fortuita, tamen loco mali ominis, a rudibus facile accepta sunt. Inde juga & ejusmodi casuum secura quærere & tenere placuit. Neque consilii pavidos ob alias etiam rationes pœnituit. Constat Æthiopiam, etsi specie aliquantum differt, tamen in universum esse consitam montibus, tantæ altitudinis, ut Alpes & Pyrenæos æquare aut superare dicantur m). Media præterea terrarum pars est, aut mediæ proxima, plurimique caloris, & vix tolerabilis, nisi quibus patria est. Calor autem, quo propior terræ, eo gravior. Radii enim solares, ut in superiori aëris regione propter diffusum cœli spatium rarius & debilius, ita objectu molium & repercussu densius & validius in ima agunt. Quo fit, ut loca humilia æstuent, excelsa frigeant, & media modico sole

---

l) J. Ludolfi Histor. Æthiop. C. VIII.

m) J. Ludolfus libr. cit. C. V.

ſole caleant n). Sui vero cum illa faſtidium, & iſta horrorem faciant; hæc & temperata Cuſchæos potiſſimum ſequi voluiſſe, opinioni locus eſt.

§. III.

Utcumque exiſtimabitur de ratione, quæ Cuſchæos compulit, ut æqua & plana aſperis & confragoſis permutarent, ſive hæc & ab ipſis indigenis allata, ſive alia & nobis ignota fuerit; Æthiopia cavernis, opere & arte vilendis, plena eſt. Neque enim natæ, ſed factæ illæ videntur. Conforinicata ſunt earum tecta, directa latera, complanatæ areæ, & concinna oſtia o): quæ non cæci & fortuiti caſus informem molem, ſed ingenii ſtudiique humani ſplendida veſtigia produnt. Quantum vero delectationis forma cavernarum, tantum ſtuporis illarum materia affert. Prædurum enim hæc eſt ſaxum: nec facile quis dixerit, quo inſtrumenti genere cavatum fuerit. Multa & poſteris imitanda recentior ætas invenit: artem tam utilem & majoribus cognitam perdidit p). Illæ autem ſpeluncæ, ſi

n) Idem libr. cit. C. V. o) Idem libr. cit. p. 123 &c. p) Bruce libr. cit. p. 377.

si mature inchoatæ, tamen tarde finitæ sunt. Multum enim interest, lapidem an arborem cædas. Et si initio paucæ, paullatim plures & versus interiora Africæ diffusæ. Nam Cuschæorum multitudine plus crescente, quam montes venatui aut valles pastui sufficerent, novas quærendi sedes facta necessitas est: & magis magisque ab Oceano & Nilo, propter periculum imminentis diluvii, in occidentem declinatum est. Hinc videre est cavernas, easque multas, non solum prope Thebas, sed etiam in Athara; quæ Troglodytis etiam hodie imbrium suffugia sunt q). Igitur Regibus Ægypti & Troglodytis Æthiopiæ dispar fuit ambitio: arbitrantibus illis, gloriosissime obiisse, qui summa pyramidum ad sidera duxissent, his autem sibi persvadentibus, optime vixisse, qui diem & lucem latebra vitassent.

§. IV.

De habitaculis Cuschæorum satis dictum arbitror: sequitur, ut de vita eorum disseratur. Hujus autem forma & species non semper eadem fuit, sed conditione temporum mutata est, sicut facies

q) Idem libr. cit. p. 382. &c.

facies hominum, quam rubor & decor in prima ætate commendant; ſenectus autem rugis & deformi adſpectu deturpat. Nam quo propius a Noachi temporibus vixerunt, eo minus ab ejus inſtitutis & præceptis deſciviſſe exiſtimentur. Et firmatur opinio Arabum exemplo, qui antiquitus, ſi carmini Hadremuteni marmoris fides habenda ſit, more Heberi, honeſte & pie vitam traduxiſſe memorantur r). Sed decurſu ſeculorum, & quæ humani eſt ingenii mobilitas, priſcæ virtutis obli-

r) Ætas monumenti ad Aditas, Arabicæ Felicis vetustissimos incolas refertur: & hæc memorabilia (A Schultensii Monum. Vetust. Arab. p. 68.)

يلينا ملوك يبعدون عن الخنا
شديد على اهل الخيانة والغدر
يقيم لنا من دين هود شرايعا
ونومن بالايات والبعث والنشر

Praerant nobis Reges remotissimi a turpitudine,
Vehementes in omnes fraudi et perfidiæ deditos.
Hi sanciebant nobis de religione Heberi leges;
Et fidem habebamus miraculis, et resurrectioni et vitæ futuræ.

vio paullatim invaluit, eoque tandem erevit, ut perinde una quam altera gens fœdam & Sabaiſmi ſuperſtitionem ampleƈteretur & foveret. Arabes ſolem, lunam & ſtellas loco Numinis habuiſſe, certum eſt; neque de Æthiopibus id ambiguum. In Axum, urbe antiquiſſima, quæ nomen & originem a Troglodytis Cuſchæis accepiſſe fertur, reperire contigit ſimulacrum Sirii, in latrantis ſimilitudinem canis effigiatum s). Primum enim viſa hæc ſtella proximæ & Niloticæ inundationis prænuntia erat: illamque his etiam temporibus Agowi, regionis Laſtæ Troglodytæ, venerantur, iisdem fere ritibus, quibus illi, qui ad fontes Nili degunt, huic fluvio ſua ſacra faciunt t). Quo autem majorem divinitatis fidem globi cœleſtes ſplendore ſuo, ordine & motu imperitis fecerant, eo facilius animum & oculos in contemplationem ſui & notitiam verterunt. Et ſublimi ſtudio ſublimis etiam loci natura favebat. Compertum enim eſt, altioribus rebus eſſe deditos, quibus non in plano ſedes. Nec alia pars terræ tam nobilis ſcientiæ cultui magis opportuna videtur: quippe quæ eas habet

s) Bruce lib. cit. p. 412. t) Idem l. c. p. 402.

habet tempestatum vices, ut, simulac hibernæ nubes & pluviæ transierint, succedat cœli serenitas, quæ æstivo cadentis emergentisve solis fulgore sidera non hebetat. Atque si hæc gens, ut fama tradit, litterarum inventrix fuerit u), ingenii majoris quam humani specimen dedit. Efficere enim, ut, quæ auditui solum patent, sub visum quoque cadant, omnesque vocis varietates paucis signis exprimere, tanti est visum, ut non defuerint, qui illius originem artis ad Deum referrent. Merito autem dubitatur, an Cuschæorum acumen supra Hieroglyphos adscenderit: & testes sunt lapides, qui apud eos reperti, ejusmodi characteribus inscripti sunt, & ephemeridis nostræ vicem gessisse putantur v). Ingenii tamen satis politi documentum est imago citharæ, in vicinæ Thebis cavernæ saxo effigiata, cujus ea est forma & species, ut musicis non tam ad intuendum quam ad imitandum proposita videatur x). Utrum alia viguerint studia, ut incertum in medium relinquam. Si autem artes & disciplinæ penitus neglectæ aut ignotæ non erant, nec mores

u) Idem libr. cit. p. 383. v) Idem libr. cit. p. 383, 418 &c. x) Idem libr. cit. p. 130.

mores imcompositi fuerunt. Et ad victum quod attinet, ut Troglodytis Sabæ, quæ myrrhæ & casiæ fœcunda est, aromatum culturam, ita Monticolis Sofalæ, quæ auri argentique venas habet, scrutandi eas aperiendique studium quæstui fuisse, credibile est. Quas etiam merces cum Indiani, Arabes & Hebræi in amore & pretio habuerint, permutatione earum, quod vitæ necessitatibus sufficeret, facile parabatur y).

§. V.

Inclinata vero res Cuschitarum, ut labi cœpit, præceps tandem gentisque quasi quibus sterit scopulis deturbata ivit, donec eo perventum est, ut nihil fere prisci & integri moris superesset. Exemplo potissimum nobis erunt Schangalla, quibus in Amba Tzaada præcipue sedes est: numero & virtute præstans olim populus, qui vero nunc per sua & aliena vitia aliis in prædam & ludibrium cessit. Umbraculis montium arborumve abditi, ut ignava animalia, cibo suggesto, jacent torpentque, præterita, instantia, futura parum sentientes

y) Idem libr. cit. p. 381, 382.

tes z). Nec aliud vitæ ſubſidium eſt, quam quod venando piſcandoque paratur. Nam terra frugum propter ſolis ardorem impatiens eſt, & ſeges in flore perit: commerciique, quod Ptolomæorum temporibus cum Ægyptiis fuit, nullus jam uſus eſt. Igitur in ſagittis & lanceis ſola ſpes poſita: neque prædæ diſtinctio; quia carne crocodilorum ſerpentumque pariter vivitur. Tanta eſt paupertas aut feritas. Ut autem illa caro otiis & neceſſitatibus etiam hibernis ſubveniat, ſuſpenſa arboribus in ſole ſiccatur. Et ſicut fames, ita ſitis ſine apparatu & blandimentis expellitur, hortis & agris æque deficientibus: & potui tantum aqua eſt, quæ pluvio cœlo collecta, de puteis hauritur a). Beſtiis vero non alia re ſimiliores ſunt, quam quod nudi incedunt. Tamen ad libidinem non projecta gens: ſive ingenio loci cœlique id tribuendum eſt, ſive quæ patent, minorem ſui cupidinem faciunt. Et ſi ſingulis uxoribus non contenti, plures ſimul nuptias ambiunt, id fit, ut augendæ multitudini tuendæque ſecuritati conſulatur; quamquam eventus

z) Idem libr. cit. T. II. p. 546 &c.
a) Idem libr. cit. p. 547 &c.

tus ad ſpem non reſpondet, feſtina quidem venere, cito autem exhauſta pubertate, nec ultra duos ſupra viginti annos prorogata fertilitate b). Imminent utrimque hoſtes, a meridie Abyſſinii, a ſeptentrione Arabes, quorum libidini alibi ſervituri, cæſis parentibus, liberi auferuntur. Nam, cum opes deſint, in corpora ſævitur. Hinc eſt, quod publicum domeſtico adjungitur fœdus, pluresque familiæ & nationes, quibus gens mixta & compoſita eſt, ad propulſandum commune periculum promto obſequio concurrrunt c). Sed quantumcumque barbari & rudes, tamen ſine Deo non vivunt. Nec ſatis eſt, ſuſpicere cœlum, more majorum, & ſidera precari: nova etiam Numina addita: & variis arborum ſerpentumque generibus honos habetur. Sacerdotes quoque adſunt: qui vero inferorum magis miniſtri, quam ſuperorum æſtimandi ſunt. Fatalia enim præſagire, & in inimicos exſequi, iis ſacramentum eſt. Et quæ futuræ eſt vitæ perſvaſio, eo ſpectat, ut non dubitetur, in fine naturæ reditum in orbem terrarum

---

b) Idem libr. cit. p. 553 &c. c) Idem libr. cit. p. 551 &c.

rum patere mortuis, qui deinceps nec mutabiles nec interituri, felices semper hilaresque vigebunt d). Plura, quæ de gente, adspectu cultuque tam horrida & fœda, scribam, non habeo: & quæ scripsi, satietatem forte attulerunt.

VI.

DE TROGLODYTIS THEMUDENIS.

§. I.

Triplex est via & ratio, quam humanum genus ingressum est, ut vim frigoris & molestiam caloris pelleret aut mitigaret: una Troglodytarum, quibus speluncæ, altera Scenitarum, quibus tentoria, & tertia oppidanorum, quibus tecta ipsorum receptacula fuerunt. Prima, quo incultior, eo antiquior æstimanda est. Rude enim omne initium: lætior progressus: & splendidus finis. Per aspera & confragosa paullatim ad lene fastigium pervenitur.

Ita;

d) Idem libr. cit. p. 554 &c.

Itaque primordiis mundi, nec dum cædua aut textili materia in ufum ædificii converfa, terræ aut rupium cava hominibus fuiffe hofpitia credibile eft. Plena exemplorum vetuftas: neque noftra ætas eorum fterilis eft. Cum vero longum foret, Troglodytas Arabiæ omnes complecti, & modum differtationi quæram; de iis tantum, qui Themudeni vocantur, dicere confilium eft.

§. II.

In hoc autem ingenii itinere, populique, *de* quo filent Hebræi, nec nifi ambigue Græci & Romani loquuntur, indagine, duces nobis potiffimum Arabes erunt. Res enim iis domeftica eft, & fpectata gentis fides; cui rapere, auferre honeftius, quam credentem fibi fallere femper vifum eft. In fuperftitionem & fabulas, qui rudium eft mos hominum, animus quidem inclinat: quod vero imbecillitatis vitium latiusne quam ad ea, quæ judicium aut memoriam nationis fuperant, pateat, haud nihil ambigam. Arabes enim, quantum in rebus, quæ propter fublimitatem aut antiquitatem obfcuræ funt, ad fingendum credendumque proni, tantum diligentes in iis exponendis, quæ comperta habent,

habent, cogniti ſunt. Communis eſt ſors barbarorum, ut facilius decipiantur quam decipiant. Quæ vero venia aliis hominibus, eadem & Arabibus detur, ut in quæſtione difficili, ubi ſcire non datur, opinari liceat. Utcumque erit, auſim dicere, cum de rebus eorum geſtis quæſtio eſt, neque aliis ſcriptoribus nos poſſe plus confidere. Vel minima ad ſatietatem usque perſcripta ſunt. Jam vero antiquitus uſitatum fuit Arabibus, quæ præclara & poſteris imitanda majores geſſerunt, meminiſſe. Hoc juventutis ſtudium, hic ſenectutis honos. Ne autem oblivioni locus eſſet, artificium carminis in ſubſidium arceſſitum fuit a). Soluta enim & proſe fluentia citius, quam vincta & legibus metri coërcita dilabuntur. Et ut poëtis nihil ſolennius fuit, quam clarorum virorum populorumve facta moresque in conſeſſu canere, ita Genealogicis nihil antiquius, quam nomina eorum & origines ſine errore poſteris tradere b). Quem-

a) Pocockii specimen Historiæ Arabum p. 159.

b) Idem in libro citato p. 158 tradit, & quidem referente Fallalodino, poëmata fuisse Arabibus commentariorum vice, quorum ope lma

admodum vero Solon ex Homeridarum ore Homeri rhapsodias vocum signis excepisse memoratur; ita etiam Arabes ex traditione majorum suæ gentis historiam vere composuisse existimentur. Neque levis hæc conjectura. Olim enim gentis doctrina præcipue eo rediit, ut ne in illius annales incerta pro veris immigrarent. Idem de Muhammede si affirmavero, neque temere id fecerim. Multa quidem falsa, eaque absurda continet Coranus: tamen & vera adsunt. Judicio opus est, & quæ ficta, probata miscentur, distinguere oportet. Si, quæ arripuit Muhammed a se ipse, ambitiose finxit, & quæ hausit a Judæis & Christianis, satis non intellexit aut minus accurate expressit; ea, quæ a sua gente

perturbatæ servabantur geneaologiarum series, ne res gestæ memoria dignæ oblivioni traderentur. Constat ex Iben Kothaibeh, nihil honestius fuisse Arabibus, quam majorum nomina animo tenere, nihilque turpius, quam ea ignorare. Et æque compertum est, huic studio, sicut ante Muhammedem Dagfal Iben Hentalah, ita post propagatam ejus superstitionem Abu Nazr deditum fuisse. Hinc Iben Kothaibah tabulas suas Genealogicas edidit.

re accepit, aliter quam gesta erant, narrare, profecto ausus non est. Quam enim sibi fidem in divinis peperisset, si eam in humanis prodidisset? Ingenium illius qui noverint, affirmabant, casus eum eventusque rerum ex vero, nec contra opinionem civium, memorasse, caussas autem illarum & rationes consilio suo callide conformasse. Sic tristia, & quæ in prodigium vertit, Aditarum Themudenorumque fata, spreto Prophetarum Hud & Saleh consilio, vertit. Quibus vero hominibus si Divini instinctus afflatus falso affictus est; certe laus honestæ de Numine opinionis, quam idololatris inculcare in voto erat, minime iis detrahenda videtur. Arabia enim ut recentius ita antiquitus decora & indecora ingenia tulerit. Et, si dicendum quod res est, tutius Corano, quam ejus commentationibus, me judice, creditur. Res enim multas, quas a caussis naturæ profectas tradidit Muhammed, illius amici in miraculum corrupere, Thalmudistis haud dissimiles, qui, ut Divina oracula facerent augustiora, suis ea fabulis decora efficere studuerunt.

§. III.

Vindicata, quæ Arabum monumentis debetur, auctoritate, nec nostra de Troglodytis Themudenis

nis disputatio, lucem inde & robur habitura, sine assensu & fide legetur. Qui primi Arabiam tenuerint, in ambiguo est. Quis enim rem tam veterem pro certo affirmet? Consentiunt tamen auctores, omnium, quorum nomina ad posteritatem pervenerunt, antiquissimos Arabes esse. Et si qua fides indigenarum traditioni habenda est, septem hi tribus in primordiis constituerunt, quibus sui duces fuerunt. Atque in his videre est Amalekitas, Aditas & Themudenos, circa affectationem generis ita ambitiosos, ut ipsi Joktanidæ & Ismaëlitæ, quibus tanta est antiquitatis suæ jactatio, recentes eis & ignobiles videantur. Si vero Themudeni ab ultima origine stirpis Arabicæ generati sunt, existit quæstio, quæ pars Arabiæ eis patria fuerit. Vaga & incerta, ut de longinquis & auditis mos esse solet, Diodorus Siculus, memoriæ prodidit c).

Si-

c) L. III c. 44. *Post has insulas littus præruptum et, difficile præternavigatu ad mille circiter stadia pertinet. Nec enim portum, ac ne stationem quidem ancoris fidam nautis præbet; non silvam, quam subire possint, qui navigationem desperant. Mons autem ea parte imminet, abruptas in vertice petras, altitudine terribiles, habens, ac sub radicibus acutos crebrosque scopulos in mare prominentes, post*

Similia neque magis definita habet Strabo, sed brevius, & omisso gentis nomine. Quo autem propriora, eo compertiora tradidere orientalium rerum scriptores. Refert Ismaël Iben Aly d), Themudenos primum Æthiopiam, Arabiæ conterminam Arabibusque cultam regionem, tenuisse, & deinde in Hageram, incertum quo casu, commigrasse. Hageram vero esse nomen tractus & oppidi in ea Arabiæ parte, quæ olim Petræa, jam Hegjaz vocatur, est nobis auctor, qui Opus Geographicum, Gihan Numa dictum, Turcice composuit. Locus quidem non definitus est, tamen in vicinia Alæ, castri Medinensis, quod in via Damascena situm, sex dierum itinera a sua metropoli abest, quærendus. Spatium enim, quo Ala ab He-

---

quos sunt cavitates exesæ et incurvæ. Hæ ergo cum attritu perviæ in se invicem sint, mare autem profundum, fluctus jam irruentis, jam repercussi sonum emittunt, magni fragoris similem; unda autem, qua parte, magnis saxis irruit, erigitur, mirabilemque vim spumæ excitat, qua autem absorbetur, hiatum terribilem efficit: ut qui coguntur ad illa loca accedere, jam diu antea tanquam emoriuntur timore. Hanc ergo oram Arabes tenent, dicti Themudeni.

d) Maracci Prodr. P. IV. p. 92.

Hagera separatur, dimidio solum die peragrari dicitur. Adeo vera sunt, quæ Cl. Niebuhr, non visa, sed audita de Hagera memoriæ prodidit, scilicet Medinensis eam esse ditionis, & quidem inter Medinam & Damascum positam e).

§. IV.

A positione loci ad populi ingenium sermo transit. Ut cœlo soloque, ita vita moribusque diversi Arabes agunt. Montosa enim & sterilia provinciæ Hegjaz nomadibus, in quantum campestria & fertilia regionis Jemen agricolis nobilitata esse novimus. Sed nescio, quo modo animi rure mitescant, in solitudine autem ferociant, nisi dicendum sit, hinc inter homines, inde inter feras vitam traduci. Nam sicut Arabibus, qui pagatim aut oppidatim, ut fundus, ut mercatus arrisit, coëunt, polite & industrie agere, ita iis, qui singulatim aut catervatim, ut fons, ut nemus placuit, inter pecora versantur, dure & otiose vivere mos est. Exempla multa: unum, & utriusque fortunæ, in Themudenis habetur. Fuit tempus, quo non

e) Description de l'Arabie p. 325.

non alia tribus Arabum notabilior cognita est. Comparata enim Aditis, famosæ Arabiæ Felicis genti, par felicitate sedis, nec minor laude honestæ indolis celebratur; ita ut plusne natura soli an industria populi plus efficeret, æmulatio quædam fuisse videretur. Et quæ ordinis plebeji & senatorii distinctio memoratur, civitatis bene compositæ argumentum est f). Et denique si Themudeni iidem qui Hagereni fuerint, militarem quoque famam, etsi improsperam, ingressi sunt. Nam memoria est, Hagerenos socia Idumæis, Ismaëlitis & Moabitis arma adversus Israëlitas junxisse; Rubenitis vero & Gaditis, ingenti hominum gregumque vi cæsa, succubuisse g). Quos vero diversos non fuisse a Themudenis, suspicor ex Corano, ubi proprio eorum nomini hæc appellatio adjecta est h). Oc-

---

f) Cor. Sur. VII. 74. etc.

g) Ps. LXXXIII. 7. 1 Par. V. 10, 19, 20.

h) Sur. XV. 81, 82. وكانوا (اصحاب
الحجر) ينحتون من الجبال بيوتا
امنين واخذتهم الصيحة مصبحين
وما اغني عنهم ما كانوا يكسبون
Excidebant Hagereni ex montibus domos securi: sed

Occulta vero fatorum poteſtate & lege vertit ſe fortuna Themudenorum transtulitque. Quod enim vita famaque egregium fuerat, in vitia & dedecora prorupit: & inſidere montes, ſilvas pererrare, venatu aut raptu vivere, & in cavernis ac ſordibus torpere beatius, quam ædes condere, agris illaborare, conſerere hortos, & prata ſeparare viſum eſt i).

§. V.

Quæ vero pleniorem Troglodytici hujus ſtatus habitusque cognitionem efficient, obſcura ſunt, neque locorum, quæ habitaculo fuerunt, umbræ ferali ea diſſimilia. Nihil de his memoriæ proditum

sustulit eos clamor (præ tremore terræ), *cum ad mane pervenissent: neque profuit eis, quod operati fuerant.*

i) Sur. XXVI. 145, 148. اتتركون فيما هاهنا امنين في جنات وعيون وزروع ونخل طلعها هظيم وتنحتون من الجبال بيوتا فرهين *An relinquemini in iis quæ hic sunt securi; in hortis et fontibus, et satis et palmetis, quorum fructus est concoctu facilis. Et excidistis ex montibus domos, sollerter fabricantes.*

ditum apud auctores invenio: tamen, quo me ducat conjectura, habeo. Troglodytis enim, qui juga Seiri tractus tenuere, quo propius Themudeni vixerunt, eo plus ex eorum moribus traxisse mihi videntur. Et ambigam, illi an hi cultus tam fœdi primum exemplo fuerint. Utraque enim gens antiquissima: & ætas sicut unius supra Jobi, ita alterius supre Saleh Patriarchæ tempora repetitur. Vitæ itaque, quæ Seiritarum fuit, habitum si Themudeni, quod probabile videtur, retulerint, imaginem illius sic expressit Jobus k): "Nunc irrisui "sum minoribus me natu, quorum patres canibus "meis pecuariis componere noluissem. Nam cui "usui mihi erunt, quibus nihil non roboris & "virium per omnem ætatem exhaustum est? In-"opia hi & fame afflicti, certaque prole carentes, "vasta & deserta sectantur, carpunt sapida ex fru-"ticibus, & genistarum radicibus vescuntur. Et "ubi in medium processerint, minaci clamore tan-"quam fures in fugam eos verti videre est. Opa-"ca vallium, specus & cavernæ iis habitacula: &

k) Cap. XXX. 1, 8. cfr. Dissert. de Troglodytis Jobi.

"quemadmodum inter fruticeta vox eorum in ru-"dentis aſelli morem auditur, ita ſub paliuris ne-"fanda libido videtur. Peſſimum genus hominum, "infame, atque ex orbe terrarum delendum." Quæ tabula ſi minus ipſam Themudenorum faciem, tamen quædam ejus lineamenta, Troglodytis ſine Deo & lege viventibus in commune propria, forſitan reddet. Atque tali vitæ non alia regio quam Hegjaz commmodior; paſſim enim valles, natæque quaſi ad inſidiandum rupes, parata latronibus ſuffugia, ibi occurrunt.

§. VI.

Quæ vero hominum, eadem nationum eſt ſors & conditio, ut naſcantur, vigeant, & exſtinguantur. Sic quemadmodum Aditæ horrenda tempeſtate l), ita Themudeni ingenti terræ motu peri-

l) Sur. LVI. 19, 20. انا ارسلنا عليهم ريحا صرصرا في يوم نحس مستمر تنزع الناس كانهم اعجاز نخل منقعر *Certe nos miſimus ſuper eos ventum perſtrepentem in die infauſtitatis perſeverantis. Elevabat homines, quaſi ipſi eſſent trunci palmæ evulſæ.*

periisse narrantur m). Et exitii vestigia manent, ubi patria fuit, abruptæ petræ, acuti scopuli, magni hiatus, frequentesque cavitates n). Pari etiam fato & crimine cecidisse Midianitas, Arabiæ Petrææ incolas, memoria est. Scilicet superstitionis suæ æque ac Themudeni pervicaces eodem supplicio terræque tremore deleti dicuntur o). Gentis autem utriusque historiæ si multa, eaque fabulosa quæ dicere supersedeo, mixta sunt, redeant hæc ad suum auctorem, nec veris rerum casibus officiant. Cetera, & quæ toleratæ a Themudenis supremæ necessitatis tempus spectant, in obscuro sunt. Conjecturæ si locus est, hora populo nostro fatalis, non ultra Natum Christum & ad Abra-

m) Sur. VII. 79. فاخذتهم الرجفة فاصبحوا في دارهم جاثمين
Et invasit eos terræ motus, et mane apparuerunt in habitaculo suo prostrati.

n) Gihan Numa.

o) Sur. XXIX. 37. فاخذتهم الرجفة فاصبحوا في دارهم جاثمين
Sustulit eos terræ motus, et inventi sunt mane in habitaculo suo in genua provoluti.

Abrahamum usque, ut Muslemiorum fides est, proroganda; sed mediis inter Artemidori (a quo sua de Themudenis accepisse Diodorum putabit, qui Strabonem contulerit) & Muhammedis tempora seculis quærenda videtur. Unius enim ætate superfuit populus, qui ætate alterius desiisse traditur. Et hic scribendi finem facio: neque enim plura in Corano aut alibi de his Troglodytis invenio.

VII. DE NOMADIBUS ÆTHIOPIÆ.

§. I.

Si verum est, aquæ molem, quæ orbem terrarum nuper conditum superfusa pressit a), paullatim decursu temporum defecisse, & primum juga, deinde valles e stagnis emersisse; non ambigitur, hujus globi partes, quæ in ortum & semitam solis spectant, eo citius cultas fuisse, quo altius eas eminere compertum est. Vitæ autem pastoralis quæ

a) Gen. I. 2.

quæ ſimplicitas, eadem antiquitas eſt: atque hæc primordiis mundi habitabilis coæva æſtimatur. Ut Cain ruris, ita Abel gregis magiſter nobis innotuit b). Atque hinc poſteris exemplum. Vagi in campis errabant, qui conditores Babylonis celebrantur: progenitores Iſraëlitarum ſub tentoriis inter pecora vixerunt: & familiæ Rechabitarum in ædibus agere interdictum erat c). Et quoad longiſſime mens mea poteſt reſpicere ſpatium præteriti temporis, inde usque repetens, video, hoc vivendi genus maxime Orientalibus placuiſſe. Armentisque adhuc honos manet. Sunt Arabes, qui promiſcui uſu paſcui magis, quam proprii poſſeſſione fundi delectantur: agri enim ſubacti, conſitæ vineæ & elegantiores ædes ſervitutis obſides videntur. Ut autem Arabia, ita etiam Æthiopia nomadibus cognita nobis eſt. Neque aliæ regiones ad hoc vitæ inſtitutum magis natæ ſunt. Quæ enim utrobique eſt terræ vaſtitas & arantium paucitas, occupandi novas ſedes permutandique facilitatem fecit. Id præterea eſt cœli ſolique ingenium, ut quæ vacua & herboſa patent, in congerendi ſub tecta fœ-

ni

b) Gen. IV. 2. c) Gen. XI. 2. Jud. XIII. 25. XVIII. 1. IV. 11. V. 24.

ni neceſſitatem non frigeant; & quæ interjecta ſunt ſabuloſa & horrida, ſecuritati adverſus vim externam ſubveniant. Hæc vero eſt gens, cujus originem ſtatumque tum veterem tum præſentem exponere volo. Quod cum adgredior, ſtudia & voluntates legentium tanto certius mihi conciliabo, quanto major noſcendi ea propius, quæ ex longinquo apparent, cupido eſſe ſolet.

§. II.

Si cui populo liceat, antiquitate ſtirpis gloriari, detur hæc venia Nomadibus Æthiopiæ, qui Phut, nepotem Noachi d), conditorem ſui ferunt. Neque ambitioſius id quam vere dictum. Antiquum enim & verum gentis nomen eſt Phut, recentius vero & a LXX interpretibus additum Libyes e). Libyes autem hi homines, teſte Joſepho f), appellati ſunt a Libye, i. e. Lehabim להבים,

d) Gen. X. 6. e) Jer. XXVI. Hebr. XLVI. 9. Hez. XXVII. 10. XXXVIII. 5.

f) Qui ita: *εκτισε δε και Φετης την λιβυην, Φετες απ' αυτε καλεσας τες εγχωριες. εςι δε και ποταμος εν τη Μαυρων χωρα τετο*

להבים, littera ה pro more Græcorum ſuppreſſa g), Mizraimi, qui fratrem Phut habuit, filio: quæ appellatio deinde in Libyam ab iis conditam transiit, Sed cautio adhibenda eſt, ne Libyes confundantur cum Lubim h), qui in Codice Sacro diſcreti a Phut nominantur i). Neque priſcæ appellationis omne veſtigium deletum eſt. Propria enim hæc eſt non ſolum fluvio in Mauritania obvio, qui mari Atlantico miſcetur, ſed etiam regioni, quæ utrimque ſita eſt. Quæ autem de origine

εχων το ονομα. Οθεν και τους πλειστους των Ελληνικων ιστοριογραφων εστιν ιδειν μεμνημενης του ποταμου, και παρακειμενης αυτω χωρας, Φουτης λεγομενης. Μετεβαλε δε ο νυν εστιν ονομα απο των Μεστραιμου υιων ενος, Λιβυος λεγομενος. *Phytes Libyam condidit, cujus incolæ ab illo Phutæi vocantur. Superest fluvius in Maurorum regione, hoc nomen habens, cujus et multi mentionem faciunt historici Græcorum, adiacentisque regionis, quam Phuten dicunt. Nomen vero mutavit, illudque, quod nunc est, sortita est regio a Libye Mesraimi filio.*

g) Gen. X. 13. 1 Chr. I. 11. h) II Chr. XII. 3. XVI. 8. Dan. XI. 43. i) Nah. III. 9.

gine vocabuli Phut varie a variis scripta sunt, non repetam, neque meam sententiam proferam; conjecturas enim conjecturis cumulare, operæ pretium non fuerit. Admirationem vero habet, cur nostra gens inde a Mose usque ad Nahumum, Jeremiam & Hezechielem non habuerit scriptorem, qui illius memoriæ consuleret. Silentii caussa in obscuro est, nisi existimandum sit, mediis tam longi ævi spatiis ignobilem eam, nec memoratu dignam fuisse.

§. III

Multi & clarissimi populi perierunt, nec nisi per famam posteris cogniti sunt: hic autem, quamvis inglorius & ignobilis, tamen ad nostram usque memoriam superstes est. Neque mirum. Solitudines enim, quæ habitaculo sunt, quo minus rerum habent, eo facilius avari aut ambitiosi inimici cupiditatem effugerunt. Sic quæ Arabiæ, eadem Æthiopiæ Nomadibus sors & conditio fuit, quo secretior, eo tutior. Si vero in ipsam gentem nihil invidiæ, in ejus nomen multum tempori licuit. Balvus, Bagla, Belowec, Berberi, Barabra, Zilla & Habab hi homines jam appellantur: quæ

quæ tamen diverſitas titulorum, non ſtirpis, ſed graduum varietatem oſtendere videtur. Ipſorum vocabulum Berber paſtorem notat: unde Barbariæ vim & originem interpretari facile eſt k). Patria in commune eſt Æthiopia, ſpeciatim vero provincia Beja, Athara & Derkin, quarum interiores partes, ſive campi, ſive ſaltus, ſive juga fuerint, agminatim tenent. Spatia earum & poſitionem ſi cognoſcere lubet, una a Maſuah oritur, & verſus occidentem in rectam tendens, Niloque a meridie, Tropico autem Cancri a ſeptentrione terminata, ad deſerta usque Selimæ & Libyæ confinia porrigitur: altera, quam olim Cambyſes Meroe de ſororis ſuæ nomine appellavit, eodem flumine & Aſtahera in ſimilitudinem clypei circumſcribitur: & tertia ambitu Atharæ fluviique Mareb continetur. Has vero regiones qui Nomades colunt, non omnes æque æſtimati ſunt. Nobiliſſimi feruntur, qui juga a Muſuah ad Suakem continua inſederunt l). Et ſingulis eorum nationibus ſui ſunt ordines, qui nominatim diſcreti

k) Travels to discover the Source of the Nile by J. Bruce T. I. p. 384. l) Idem l. c. p. 386.

rempublicam industria sustineant, virtute defendant, & consilio regant. Appellantur Suah (Pastores) qui infimæ conditionis, Hyesos, qui mediæ, & Agaazi, qui supremæ sunt: muniaque illi pastorum, isti militum, hi ducum exsequuntur. Ut autem ea, quæ ad memoratos Agaazi pertineant, paullo altius repetam, urbis Axum, quod nomen ex Ag & Suah compositum, Nomadum metropolin significat, conditores eos fuisse, traditur. Et Nomadum sicut Arabum ita Æthiopum plurimi circa imagines majorum ambitiosi sunt, suasque origines ad antiquissimam illam stirpem referunt m).

§. IV.

Vitam moresque hujus populi jam exponere licet. Nomades Africæ, quomodo Asiæ, prisci moris semper retinentissimi fuerunt: & quamquam multa & meliora recens ævum tulit, tamen, quæ majores instituere, amorem sui & pretium fecerunt. Magnæ id rusticitatis documentum est. Quo enim minus judicii, eo major proprii æstimatio

m) Idem. l. c. p. 387.

matio & alieni incuria esse solet. Rude ingenium cum puerili animo id commune habet, ut sui propositi pertinax sit, neque ætati aliorum & auctoritati facile cedat. Igitur vasta & deserta pererrare, & castra, ut placuit, ponere, proferre & sequi, beatius, quam saxa promovere, arbores cædere, & ædes moliri visum est. Quam vero otiosam præterea futurique securam pecoris pascendi curam, tam molestum fortunæque obnoxium agri colendi studium esse, ignotum non fuit. Ambigua enim messis, & annus exspectatur: quotannis vero & sua sponte herbæ nascuntur. Et quo longius a commerciis & luxu, eo integrius & salubrius vivitur. Cubile est humus, victui caro, quæ cruda aut semicocta editur, & vestitui pellis, quæ ex humeris pendet, non in jactationem cultus, sed ubi frigus urget. Corpore enim nudo incedere, turpe non ducitur. Et mira, ubi patria, est cœli diversitas. In montibus, quæ terras Nomadum, Bejam & Atharam distinguunt, hiemis quasi & æstatis actus est limes, ita ut, cœlo ab una eorum parte turbido & calamitoso, magna illius & benigna serenitas ab altera esse dicatur. Scilicet cum hibernis & tropicis imbribus pinquescit solum,

lum: sed generatur ingens vis muscarum, ictu & magnitudine haud dissimile apibus genus, omnique animantium generi infestum n). Ex quo Nomadibus bis per annum mutandæ sedis orta necessitas, & hinc, inde, ut poscit cœli temperies, commorandi voluptas est. Brevis tamen est transitus etsi per juga arduus; & quatuor horis e nubilo unius tractus in alterius sudum fieri posse is memoratur o).

§. V.

Sequi autem armenta, si prima Phutæorum, cum oneribus & mercibus commeare, proxima eorum cura fuit. Neque alii ad hæc & similia negotia aptiores. Magna enim adest corporis firmitas, par animi vigor, nec minor utriusque, ubi opus fuerit, contentio. Et duræ educationis vitæque id pretium. Natus enim infans non intra parietes & in lectica crescit; sed aperto soli ventoque commissa proles, valentior & salubrior adolescit, in modum herbæ, quæ lætior in agro, quam sub tecto florescit. Et frugalitate, quæ bono

n) Idem l. c. p. 388, 390. cfr. Jes. VII: 18, 19. o) Idem l. c. p. 391.

no ſanguine membra implet, atque labore, qui artus ſtringit, non minus adoleſcentia quam pueritia tranſigitur. Itinera ceterum & pericula audere, a teneris eſt uſitatum; nova enim paſcua, eaque longinqua interdum p), neque ab inſidiis & vi beſtiarum ſatis tuta, occupare neceſſe eſt. Caloris inde & frigoris, vigiliarum & inediæ patientia eſt, & qualis camelorum, quorum magnus alitur numerus, eſſe ſolet. Nota hæc ſunt animalia, laboris & onerum, ſitis æſtusque perinde ferentia, nataque quaſi ſervituti in vaſtis arenarum ſpatiis mancipia: unde vectoriæ in ſolitudine navis dixere iis nomen Arabes q). Tam manifeſtum omni eſt loco providum humanæ ſalutis Numen. Commendabilis etiam populi virtus. Nomades enim, uti longe a licentia & avaritia urbium, ita quæ tacentium eſt locorum innocentiæ proximi degunt. Hinc in more fuit commercantibus Orientalium, antiquitus, recentius, fide eorum & opera domi foriſque uti. Exemplo ſunt Iſmaëlitæ, qui advectis ex Galaad, monte collibus Libani copulato, aromati-

p) Idem l. c. p. 390.
q) Idem l. c. p. 389.

matibus varii generis luxum Ægypti aluerunt r): & posteri eorum Arabes, si recentiora recordari placet, mercede conducti, bonis cum venalibus ultro citroque quotidie commeant. Inclinat etiam animus, ut credam, Æthiopiæ & Ægypti monumenta, quorum magnificentiam in annalibus, & vestigia in ruderibus reperire est, industriæ hujus gentis magna ex parte deberi. Et subest conjectura, quantum auri argentique montibus Ophiræ s) erutum fuerit, priscis temporibus propter ignoti & horridi maris periculum terra & ope Nomadum longe lateque diffusum fuisse t). Nec fraudis aut latrocinii ex iis formido. Quorum enim fides pro hospitis salute ad mortis usque discrimen constans esse suevit, qua prædæ dulcedine in domini rebus sibi commissis fluxa esse potuerit? Pastoribus orientis semper visum est turpius, deposita aut credita non reddere, quam obvia & aliena rapere & auferre. Neque silentio transeam militare in hac gente ingenium: quod tamen super-

r) Gen. XXXVII. 25, 28.

s) Quem locum, diu frustra quæsitum, in Sofala, extremo Africæ regno, reperiri, olim juvabit ostendere. t) Idem l. c. p. 394.

perstitiosum magis quam ambitiosum fuit. Diversa Phutæis & Ægyptiis religio erat; bovem enim, quem altera gens penetrali sacraverat, altera epulis destinavit, & sidera coluit. Caussa inde odii nata est, & sæpe bellum, quod ter & prospere Phutæis cessit u). Nec pro suis tantum, sed pro alienis etiam aris focisque pugnatum. Stipendia enim castrensia apud exteros etiam populos, præcipue Ægyptios & Tyrios, mereri Phutæis quæstui fuit v): & congruebat id Maurorum ingenio; quod Romanorum & Carthaginensium bellis quoque cognitum est.

Tradidi jam, quæ de Nomadibus Æthiopiæ accepi; artique scribendi quicquid defuit, fide rerum compensare studui.

VIII. DE CONVENIS ÆTHIOPIÆ.

§. I.

Æthiopiam, cultu adspectuque horridam, lætam regionem, (tanta est cœli solique diversitas) æque diver-

u) Idem l. c. p. 395. v) Nah. III. 9. Jer. XLVI. 9. Hez. XXVII. 10. XXXVIII. 5.

diversæ ingenio moribusque gentes tenuere. Omnium vero ut humanissimi Habessini, ita ferocissimi Gallani habentur: de quibus tamen non scribam; satis enim nobis cogniti sunt a). Hæc solum mihi datur venia, ut agam de iis nationibus, quæ minus innotuere. Quas vero cum omnes complecti non possim (magnitudo enim voluminis prohibet), partem ex toto eligam, meamque operam finibus circumscribam gentium, quæ ipsarum vocabulo Habesch, Latine Convenæ appellantur. Plura præfari non licet: & quæ promisi, cum spe votoque communis benevolentiæ adgredior.

§. II.

Qui primi Æthiopiam coluere, Troglodytæ & Nomades fuerunt b). Neque rudi hominum ingenio aliud vivendi genus magis congruebat. Cum enim struendi tecti colendique agri inscitia esset, noctem in cavernis diemque inter pecora transigere, otiosis ad vitæ subsidia securitatemque satis fuit. Sed honestior paullatim habitus: & ipsis

---

a) J. Ludolfi Hist. Æth. L. I. c. XVI.

b) Dissert. de Troglodytis Cusehæis, & Dissert. de Nomadibus Æthiopiæ.

ſis barbaris miſericordia in promtu. Nam hoſpitio & humanitate etiam excepti ſunt, qui expulſi patriis focis, novasque ſedes quærentes acceſſere. Et his hominibus verum & antiquum nomen fuit Habeſch, Arabicum حبش i. e. "Turba hominum "mixta, non unius tribus," recentius vero & additum "Convenæ i. e. qui ex diverſis populis in "unum locum tanquam aſylum concurrunt." Et ratio appellationis in aperto eſt. Conſtat ex annalibus Axumæ, vetuſtiſſimæ in Tigré urbis, ad interiora Æthiopiæ, quæ mille & ſexcentis ante æram Chriſti annis diluvio vaſtata fuit, duobus poſt ſeculis delatas eſſe varias gentes, quæ, futuræ amicitiæ cum Nomadibus (Agaazi) ſancita fide, juxta eos locum ſibi & poſteritati invenerunt. Memoria etiam eſt, ex Palæſtina eas, ducentibus huc fatis, veniſſe c). Neque erraſſe hæc fama videtur. Notum enim eſt, iisdem fere temporibus & Æthiopiam, referente Pauſania, mole aquarum obrutam, & Chananæam, teſte Scriptura Sacra, cæde incolarum expiatam fuiſſe.

c) Bruces Travels T. I. p. 398.

§. III.

Casu cujus mentio facta est rerum ubi ostensum erat Chananæis, non tam salutem suam, quam ultionem Deo curæ fuisse; ii, qui armatos victores fuga & latebra vitaverant, cum nihil non domi infestum viderent, ulteriora spectarunt. Unde plenum fugientibus mare, terra: & quo remotior locus, eo tutior visus est. Sic Mauritania, quam longinquitas sua & secretum lorica & gladio fortius defendit, etiam suffugio fuit. Et fides ex Auctoribus. Narrat Procopius d), Phœnices, condito castello in Tingis, oppido insigni, a quo Tingitana, haud contemnenda pars Mauritaniæ, dicta est e), prope fontem duas ex marmore fictas posuisse columnas, inscriptas vernaculis litteris, & sensu mentis: Ἡμεις εσμεν ὁι φυγοντες απο προσωπȣ Ιησȣ τȣ λῃςȣ ὑιȣ Ναυη "Nos ii sumus, qui fugimus e "conspectu Josuæ, prædonis Filii Nane." Similis monumenti, sed saxo aut rupi prope Carthaginem impressi, meminit Iben Elrakik, Maurus Auctor f). Et his aliunde etiam testimonia, Tingitanos fi isse

d) De bello vind. L. 2. c. 10. e) Bochart. Phaleg. 519, 520. f) Marmol. L. 1, c. 15.

ſe Phœnices, ſcribit Pomponius Mela, Geographus in vicinia natus g): Chananæos ab Iſraëlitis fugatos, in Africana urbe, cui Tripolis nomen, colonos conſtituiſſe, affirmat Euſebius h): & ipſum Cadmum, qui, urgente eodem fato, claſſe Phœnicum adveᴐtus, rudibus adhuc Græcorum populis ſcribendi artis auctor fuit i), plurimas in Africa urbes condidiſſe, addit Nonnus k). Itaque Dido non tam Phœnices eo deduxit, quam adiit, nec tam fundamenta Carthaginis jecit, quam ſpeciem illius & magnitudinem auxit. Trecentis eam annis natu minorem fuiſſe docent Phœnicum apud Joſephum contra Apionem hiſtoriæ l). Et gentilitium denique nomen apud Carthaginenſes diutius, quam in ipſa Phœnice ſuperſtes fuit. Nam refert Auguſtinus m), ſua ætate, ſi quis ruſticorum circa Carthaginem interrogaretur, quis eſſet, eum punice reſpondiſſe, ſe eſſe Chananæum.

§. IV.

Jam vero ſi verum eſt, Chananæorum multos patria profugos longinqua & periculoſa petiiſſe, veri-

---

g) L. 2. c. 6. h) Chron. L. 1. p. 11. i) Tac. Ann. L. XI. k) Dyonysiac. L. 13. l) L. 1. m) In exposit. Epist. ad Romanos.

verisimile erit, eorum haud paucos etiam in vicinis & tutioribus constitisse. Extrema terrarum Mauritania est (ultra enim nihil nisi fluctus & saxa): neque sine periculo aut horridi maris aut vastæ solitudinis adita fuit. Et quæ eam tenebat gens, barbara & vix per famam nota, incertum erat, an limine advenas non ea arceret. Arabia vicissim & Ægyptus, quanto fugientibus propiores terræ, tanto persequentibus infestiores fuerunt. Utrobique recens erat memoria cladis ab Israëlitis acceptæ: atque hæc molliores in aliórem calamitate animos fecit. Sed crescente re Chananæa plus, quam satis vel agri vel pascui indigenis esset, aliorsum declinare accolis fas erat. Et patebat Æthiopia, spatiosa regio, sed infrequens populis, qui antiquius & innocentius, ut supra dictum est, agebant. Sic vacua occupantibus facile cesserunt, & occupatis frui in pace licuit; ad quod ipsum veteris etiam familiaritatis jura profuerunt. Nam credere licet, prosperis Chananæorum rebus, studia commercantium cum vicinis gentibus viguisse; quibus satis & materiæ & cupiditatis Saba, aromatum, & Ophira, auri ferax n), suppeditarunt. Mer-

n) Dissert. de Ophira & de Regina Austri.

Merces vero in diversas regiones distrahere, Nomadum cura fuit. Neque enim aliorum vel fides in contrahendo vel patientia in efficiendo magis spectata est o).

§. V.

Sic certa stabilique sede finitus est Chananaeorum error: & id factum esse, non vi & bello, sed judicio & consensu, probant, quos ipsi tenent, tractus. Neque enim hi montium inaccessis aut aliis limitibus, quos consensus monstravit & sola mens videt, distincti sunt. Et illi termini ad hunc usque diem iidem, nec sine sacrilegio mutandi p). Tanta tamen concordia (mirum dictu) res Chananaea non crevit; sed precaria iis libertas, vita semper fuit. Amici quidem illi & hospites; sed Nomadum, qui circa sunt, principibus obnoxii, suam quotidie servitutem emunt & pascunt. Nam caedere ligna & haurire aquam, vile Hebraeis obsequium q), cui Gibeonitae, internecioni Chananaeorum per fraudem superstites, addicti fue-

o) Dissert. supra cit. de Nomadibus Aethiopiae, & de Troglodytis Cuschaeis. p) Bruce's Travels T. 1. p. 400. q) Deut. 29: 11.

fuerunt r), hæc servientium mala tam æquo pati animo, quam imperium patiuntur, injunctum est s). Crediderim, compositas diras, quas conditori gentis imprecatus est Noach t), irasque divinas, quæ peregrini sacri & nefandæ libidinis pœnas a consceleratis filiis repetierunt u), huic populo incumbere, quomodo ubique terrarum Deo hominibusque invisos esse Judæos compertum est.

§. VI.

Ut autem sede & finibus, ita etiam vita & nominibus discretæ hæ nationes agunt. In *commune* appellantur omnes, ut olim Chananæi, ita jam Agowi, vocabulo composito ex Ag & Oha, i. e. Nomades fluvii, seu Pastores, qui Nilo religionem Numinis tribuunt: quod institutum pro argumento etiam est, illos venisse ex Chananæa, ubi ejusmodi pietas loco puri Sabaismi, Africanis tunc temporis proprii, invaluerat v): sed specie, & pro sua cujusque gentis patria, differt hæc appel-

r) Jos. 9: 21, 27. s) Bruce's Travels T. 1. p. 401. t) Gen. 9: 25, 26. u) Deut. 12: 50. Lev. 18: 24, 25. v) Bruce's Travels T. 1. p. 402.

pellatio. Sic Amharenses vocantur, qui Amharam colunt: & hujus coloniæ, ut ceterarum, parva initia fuere, splendidior autem progressus, Æthiopici sede imperii propter civiles discordias translata in Ambaram, ubi diu viguit. Reliqui, & quibus aliena vitia in suam virtutem vertere non datum fuit, numero & dignitate pares non sunt. Et in his primum memorentur, qui Damot, Abyssiniæ versus meridiem provinciam, ad fontes Nili tenent. Proximi, & ad ejusdem fluvii ripas, degunt, qui ipsorum nomine Gafar, i. e. expulsi, spoliati, oppressi appellantur. Omnium postremi occurrunt Tcheratzenses, sic dicti a Tcheratz provincia, quæ iis patria est: & hi Troglodytæ x). Tamen quæ illarum lingua nationum est, si principio eadem fuerit, successu temporis plurimum vitii ex vicinis & peregrinis contraxit, & in diversas dicendi consvetudines abiit. Quanta vero hæc diversitas sit, colligitur ex specimine, quod a Cl. Bruce typis vulgatum y), ingenia curiosorum exercitabit & tenebit. Atque hæc quo longius

x) Bruce's Travels T. 1. p. 401, 402. y) T. 1. p. 400.

gius a Gez, Æthiopico & antiquo Nomadum sermone, recedit, eo manifestius diversam gentis originem arguit: ita ut si illi Nomades Israëlitarum, qui cum Regina Austri ejusque filio Menilek in Æthiopiam venerunt, nostri Convenæ Chananæorum, qui a Josua pulsi illuc fugerunt, posteri dicendi sint. Neque dubitationi locus: & documento est, præter domesticam traditionem, ipsa Convenarum nostrorum indoles, quæ prisci & a majoribus accepti moris retinentissima fuit. Nam semper iis visum est beatius, dure quam molliter vivere, & sanctius, litare quibus accolunt aquis, quam more Judæorum, summum & æternum, neque mutabilem neque interiturum Deum colere. Et hæc sunt, quæ de Convenis Æthiopiæ accepta in medium attuli: bene, an male, Lectoris sit judicium.

IX. DE CHALDÆIS SEPTENTRIONALIS ORIGINIS.

§. I.

Chaldæi, foris quam domi notiores, antiquitatis gloria & rerum geſtarum fama ut ceteras fere gentes ſuperarunt, ita a rudi inde vetuſtate ad noſtræ usque ætatis claritatem pervenit eorum memoria, quamvis manca & inchoata, nec populo magni nominis conveniens, nec deſiderio curioſæ poſteritatis ſatisfaciens. Frequenter quidem & quaſi certatim priſci temporis ſcriptores, hanc gentem, uberrimam omni ſcribendi generi materiam, caſibus opimam, rapinis infeſtam, bellis atrocem, & ipſa etiam pace ſævam, memorant, ſed eo rerum & verborum uſu vel abuſu, ut non ſatis vel lucis ad communem intelligentiam, vel teſtimonii ad certam fidem reliquerint. Nam Sacri rem tam veterem, divinis oraculis ſublimem proboque interpreti obſcuram, & profani eam fabulis & conjecturis magis, quam incorruptis re-

 rum

rum geſtarum monumentis decoram, & judicio æqui juſtique æſtimatoris difficilem, tradiderunt. Hæc in cauſſa ſunt, cur multi, quorum opera recentius in hoc argumento verſata eſt, originem Chaldæorum non a ſeptentrione, ut robori hujus gentis & fortitudini par fuit, ſed ab oriente, ut ipſis tantum fuit perſvaſum, repetierint. Sed non eſt meæ nec reverentiæ, quam majorum ſtudiis debeo, nec conſcientiæ, qua me cum aliorum ingeniis minime comparandum eſſe intelligo, præclara tantorum auctorum opera erroris inſimulare. Quod autem aliam & prorſus novam hac de re ſententiam reſtatam facere auſim, id non intempeſtivæ mei ipſius fiduciæ, quaſi ego aliquid certioris afferre poſſem, ſed graviſſimæ ſummorum virorum auctoritati, qui vere hoc mihi perſvaſerunt, tribuas velim. Adeo cum alios, qui in quæſtione tam obſcura, tamen tantum certi, quantum ulla res ætate ſimilis, habente, facem mihi prætulerunt, omni pietate & officio ſequar, non me ambitione audacem, ſed obſequio modeſtum dices. Quorum exempla, in illuſtri poſita, ſi minus proſpero ſucceſſu, tamen optimo animo intuebor, & quæ ad rem propoſitam illuſtrandam maxime pertinere viden-

dentur, ea, delectu facto, non uti certa, sed opinata amplectar. Qui conatus si publico quadam ratione placuerit, res ex votis cessit, sin minus, spem veniæ in rei difficultate positam habeo.

§. II.

Chaldæi, amplissimum hujus operis argumentum, sed angustiori termino pro tempore & facultate conscribendum, Hebraice כשדים Chashdim, Syriace ܟܠܕܝܐ Chaldoje, & Arabice كلدانيين Chaldanin dicuntur: ratione hujus in ore diversitatis, etsi vices tantum litterarum S & L spectantis, diu multumque quæsita, tamen nondum inventa, nisi eam in arbitrio vel necessitate mollioris pronuntiationis posueris. Quamquam hoc nomen hoc duplici scribendi genere iis, quibus studium acutæ conjecturæ magis, quam recti judicii placet, non simplicem varia conjiciendi materiam præbuit a), tamen hucusque nihil probati ne in spe-

a) Alii originem hujus vocis a כשד Chesed, Nachoris filio, alii a Chaldaico חלדיא Haldaia *terræ viscera metallorum eruendorum gratia perscru-*

speciem quidem veri præter similitudinem soni inventum est. Qui vim & potestatem litterarum orientalium non domi a seipso arripuerit, sed foris ab indigenis didicerit, plurimum hic dissoni audiverit, & in hunc cogitationis errorem non facile inciderit: claro documento, scientiam veræ pronuntiationis in studio antiquitatis multum quoque valere. Si in tanta opinionum varietate, quæ scribentis animum consilii ambiguum facile effecerit, non quid ego sciam, quod exiguum, sed quid ego sentiam, quod modestum, dicere licet, opinor, de his Chaldæorum titulis non facilius & certius, quam de eorum peregrinis apud Danielem vocibus disputari; ipsa gentis & linguæ origine, utraque non orientali, sed septentrionali & ultimæ vetustatis, summam absconditæ lucis & veritatis desperationem nobis faciente. Moses, sacrorum scriptorum princeps, & divinus carminis Jobi Auctor, nec ætate secundus, primi omnium decora & indecora Chaldæorum expresserunt, alter origines suæ gentis ad hos homines referens b), alter in

tantilus, alii ab Arabico كلدة Kalde *tractu du-ræ terræ*, petunt.

b) Gen. XI. 31.

insidiosa & cruenta eorum latrocinia eodem fere modo, quo Xenophon Chaldæos Armeniæ, Cyri tempore celebres c), memorans d). Sed ut non Hi exiguis Chaldæorum initiis, ita nec Prophetæ maximis eorum rebus gestis dicendis defuerunt, subitam & victricem hujus gentis in Babyloniæ terras eruptionem partim ut futuram vere augurantes, partim ut factam luctuose describentes. Hebræos, religione & fide rerum sanctos, sequuntur Græci & Romani, ingenio & elegantia verborum præstantes, qui memoriæ Chaldæorum suo quisque modo consuluerunt, breviter & nominatim Sophocles, exteri & vicini orbis saltim per famam non ignarus, copiose & historice Xenophon, bellicosi populi oculatus ipse testis, & geographice atque accurate Strabo, varietate itinerum & judicii gravitate singularis, cui accedit Plinius, spatio temporum, non cognitione locorum posterior, qui Cephenes, quod nomen Chaldæis, regionem Arrapachitiden ad Euphraten colentibus, vulgare fuit, inter Armeniam & Syriam collocat e). Ab his nomen

---

c) Xenoph. Cyrop. L. III. d) Job. I. 17.
e) Hist. Nat. L. VI. cap. 9.

nomen & originem ii duxerunt Chaldæi, qui ad orientem Palæstinæ circa Babylonem degerunt, tempore quidem novissimi, virtute autem & felicitate omnium primi. Duplex itaque Chaldæorum fuit sedes, altera septentrionalis, vera & antiqua, inter Pontum Euxinum & Mare Caspium quærenda, altera orientalis, adventitia & nova, ad fluvium Euphraten reperta. Adeo si primum omnium de septentrionis & quidem Armeniæ Chaldæis disseruerim, ordinem temporum & situm locorum servaverim.

§. III.

Cum historiam Chaldæorum, qui juga Armeniæ, pastoribus læta pascua, & latronibus commoda receptacula, antiquitus tenuerint, nemo copiosius & melius Xenophonte scripserit f), præcipua eorum, quæ de hac gente retulit hic auctor, supra æmulantium invidiam longe evectus, summatim repetere juvabit. Cyrus Mediæ finibus egressus, regem Armeniæ, qui Cyaxari, Medorum principi suoque avunculo, nec ex officio tributum pendere,

f) Cyropædiæ Lib. III.

dere, nec ex pacto subsidium mittere voluit, animo hujus contumaciæ & perfidiæ vindice ex improviso aggressus est, eique per belli magis artem quam vim capto, dimidiam exercitus partem sibi adversus Chaldæos, confines hostes, tradendam imperavit. Hi enim Chaldæi, in summis montium hærentes, per crebras excursiones suis necessitatibus prædam, terræ adjacenti vastationem, & exteris subeuntibus metum ultro tulerunt, ipsi tum arduis locorum, tum vigiliis speculatorum securi, Armeniis consilii & virium inopia trepidantibus. Sed male partorum abusu æque pauperes, atque tragularum & cratium usu fortes, stipendia apud alias nationes sollicite quæsierunt & facile invenerunt. Tales vero homines, diu & impune clam & palam generi humano infestos, Cyrus, Armeniis nuper pacatis & jam opem ferentibus, magno prælio vicit, ingenti eorum numero cæso, fugato, capto. Illique præsentis certaminis duci, & futuro orbis principi nihil jam deerat, nisi ut & utrique genti, odiis & studiis inter se diffidenti, perpetuæ in posterum amicitiæ auctor esset. Atqui res pari animo providens, atque virtute gerens, has pacis conditiones tulit, ut Chaldæi Armeniæ incultam partem colerent,

verisimile erit, eorum haud paucos etiam in vicinis & tutioribus constitisse. Extrema terrarum Mauritania est (ultra enim nihil nisi fluctus & saxa): neque sine periculo aut horridi maris aut vastæ solitudinis adita fuit. Et quæ eam tenebat gens, barbara & vix per famam nota, incertum erat, an limine advenas non ea arceret. Arabia vicissim & Ægyptus, quanto fugientibus propiores terræ, tanto persequentibus infestiores fuerunt. Utrobique recens erat memoria cladis ab Israëlitis acceptæ; atque hæc molliores in aliórem calamitate animos fecit. Sed crescente re Chananæa plus, quam satis vel agri vel pascui indigenis esset, aliorsum declinare accolis fas erat. Et patebat Æthiopia, spatiosa regio, sed infrequens populis, qui antiquius & innocentius, ut supra dictum est, agebant. Sic vacua occupantibus facile cesserunt, & occupatis frui in pace licuit; ad quod ipsum veteris etiam familiaritatis jura profuerunt. Nam credere licet, prosperis Chananæorum rebus, studia commercantium cum vicinis gentibus viguisse; quibus satis & materiæ & cupiditatis Saba, aromatum, & Ophira, auri ferax n), suppeditarunt. Mer-

n) Dissert. de Ophira & de Regina Austri.

Merces vero in diversas regiones distrahere, Nomadum cura fuit. Neque enim aliorum vel fides in contrahendo vel patientia in efficiendo magis spectata est o).

§. V.

Sic certa stabilique sede finitus est Chananaeorum error: & id factum esse, non vi & bello, sed judicio & consensu, probant, quos ipsi tenent, tractus. Neque enim hi montium inaccessis aut aliis limitibus, quos consensus monstravit & sola mens videt, distincti sunt. Et illi termini ad hunc usque diem iidem, nec sine sacrilegio mutandi p). Tanta tamen concordia (mirum dictu) res Chananaea non crevit; sed precaria iis libertas, vita semper fuit. Amici quidem illi & hospites; sed Nomadum, qui circa sunt, principibus obnoxii, suam quotidie servitutem emunt & pascunt. Nam caedere ligna & haurire aquam, vile Hebraeis obsequium q), cui Gibeonitae, internecioni Chananaeorum per fraudem superstites, addicti fue-

o) Dissert. supra cit. de Nomadibus Æthiopiae, & de Troglodytis Cuschaeis. p) Bruce's Travels T. 1. p. 400. q) Deut. 29: 11.

fuerunt r), hæc servientium mala tam æquo pati animo, quam imperium patiuntur, injunctum est s). Crediderim, compositas diras, quas conditori gentis imprecatus est Noach t), irasque divinas, quæ peregrini sacri & nefandæ libidinis pœnas a consceleratis filiis repetierunt u), huic populo incumbere, quomodo ubique terrarum Deo hominibusque invisos esse Judæos compertum est.

§. VI.

Ut autem sede & finibus, ita etiam vita & nominibus discretæ hæ nationes agunt. In commune appellantur omnes, ut olim Chananæi, ita jam Agowi, vocabulo composito ex Ag & Oha, i. e. Nomades fluvii, seu Pastores, qui Nilo religionem Numinis tribuunt: quod institutum pro argumento etiam est, illos venisse ex Chananæa, ubi ejusmodi pietas loco puri Sabaismi, Africanis tunc temporis proprii, invaluerat v): sed specie, & pro sua cujusque gentis patria, differt hæc appel-

r) Jos. 9: 21, 27. s) Bruce's Travels T. 1. p. 401. t) Gen. 9: 25, 26. u) Deut. 12: 50. Lev. 18: 24, 25. v) Bruce's Travels T. 1. p. 402.

pellatio. Sic Amharenſes vocantur, qui Amharam colunt: & hujus coloniæ, ut ceterarum, parva initia fuere, ſplendidior autem progreſſus, Æthiopici ſede imperii propter civiles diſcordias translata in Ambaram, ubi diu viguit. Reliqui, & quibus aliena vitia in ſuam virtutem vertere non datum fuit, numero & dignitate pares non ſunt. Et in his primum memorentur, qui Damot, Abysſiniæ verſus meridiem provinciam, ad fontes Nili tenent. Proximi, & ad ejusdem fluvii ripas, degunt, qui ipſorum nomine Gafar, i. e. expulſi, ſpoliati, oppresſi appellantur. Omnium poſtremi occurrunt Tcheratzenſes, ſic dicti a Tcheratz provincia, quæ iis patria eſt: & hi Troglodytæ x). Tamen quæ illarum lingua nationum eſt, ſi principio eadem fuerit, ſucceſſu temporis plurimum vitii ex vicinis & peregrinis contraxit, & in diverſas dicendi conſvetudines abiit. Quanta vero hæc diverſitas ſit, colligitur ex ſpecimine, quod a Cl. Bruce typis vulgatum y), ingenia curioſorum exercitabit & tenebit. Atque hæc quo longius

---

x) Bruce's Travels T. 1. p. 401, 402. y) T. 1. p. 400.

gius a Gez, Æthiopico & antiquo Nomadum sermone, recedit, eo manifestius diversam gentis originem arguit: ita ut si illi Nomades Israëlitarum, qui cum Regina Austri ejusque filio Menilek in Æthiopiam venerunt, nostri Convenæ Chananæorum, qui a Josua pulsi illuc fugerunt, posteri dicendi sint. Neque dubitationi locus: & documento est, præter domesticam traditionem, ipsa Convenarum nostrorum indoles, quæ prisci & a majoribus accepti moris retinentissima fuit. Nam semper iis visum est beatius, dure quam molliter vivere, & sanctius, litare quibus accolunt aquis, quam more Judæorum, summum & æternum, neque mutabilem neque interiturum Deum colere. Et hæc sunt, quæ de Convenis Æthiopiæ accepta in medium attuli: bene, an male, Lectoris sit judicium.

IX.

IX. DE CHALDÆIS SEPTENTRIONALIS ORIGINIS.

§. 1.

Chaldæi, foris quam domi notiores, antiquitatis gloria & rerum gestarum fama ut ceteras fere gentes superarunt, ita a rudi inde vetustate ad nostræ usque ætatis claritatem pervenit eorum memoria, quamvis manca & inchoata, nec populo magni nominis conveniens, nec desiderio curiosæ posteritatis satisfaciens. Frequenter quidem & quasi certatim prisci temporis scriptores, hanc gentem, uberrimam omni scribendi generi materiam, casibus opimam, rapinis infestam, bellis atrocem, & ipsa etiam pace sævam, memorant, sed eo rerum & verborum usu vel abusu, ut non satis vel lucis ad communem intelligentiam, vel testimonii ad certam fidem reliquerint. Nam Sacri rem tam veterem, divinis oraculis sublimem proboque interpreti obscuram, & profani eam fabulis & conjecturis magis, quam incorruptis re-

rum gestarum monumentis decoram, & judicio æqui justique æstimatoris difficilem, tradiderunt. Hæc in caussa sunt, cur multi, quorum opera recentius in hoc argumento versata est, originem Chaldæorum non a septentrione, ut robori hujus gentis & fortitudini par fuit, sed ab oriente, ut ipsis tantum fuit persvasum, repetierint. Sed non est meæ nec reverentiæ, quam majorum studiis debeo, nec conscientiæ, qua me cum aliorum ingeniis minime comparandum esse intelligo, præclara tantorum auctorum opera erroris insimulare. Quod autem aliam & prorsus novam hac de re sententiam testatam facere ausim, id non intempestivæ mei ipsius fiduciæ, quasi ego aliquid certioris afferre possem, sed gravissimæ summorum virorum auctoritati, qui vere hoc mihi persvaserunt, tribuas velim. Adeo cum alios, qui in quæstione tam obscura, tamen tantum certi, quantum ulla res ætate similis, habente, facem mihi prætulerunt, omni pietate & officio sequar, non me ambitione audacem, sed obsequio modestum dices. Quorum exempla, in illustri posita, si minus prospero successu, tamen optimo animo intuebor, & quæ ad rem propositam illustrandam maxime pertinere viden-

dentur, ea, delectu facto, non uti certa, sed opinata amplectar. Qui conatus si publico quadam ratione placuerit, res ex votis cessit, sin minus, spem veniæ in rei difficultate positam habeo.

§. II.

Chaldæi, amplissimum hujus operis argumentum, sed angustiori termino pro tempore & facultate conscribendum, Hebraice כשדים Chashdim, Syriace ܟܠܕܝܐ Chaldoje, & Arabice كلدانيين Chaldanin dicuntur: ratione hujus in ore diversitatis, etsi vices tantum litterarum S & L spectantis, diu multumque quæsita, tamen nondum inventa, nisi eam in arbitrio vel necessitate mollioris pronuntiationis posueris. Quamquam hoc nomen hoc duplici scribendi genere iis, quibus studium acutæ conjecturæ magis, quam recti judicii placet, non simplicem varia conjiciendi materiam præbuit a), tamen hucusque nihil probati ne in spe-

a) Alii originem hujus vocis a כשד Chesed, Nachoris filio, alii a Chaldaico חלדיא Haldaia *terræ viscera metallorum eruendorum gratia perscru-*

speciem quidem veri præter similitudinem soni inventum est. Qui vim & potestatem litterarum orientalium non domi a seipso arripuerit, sed foris ab indigenis didicerit, plurimum hic dissoni audiverit, & in hunc cogitationis errorem non facile inciderit: claro documento, scientiam veræ pronuntiationis in studio antiquitatis multum quoque valere. Si in tanta opinionum varietate, quæ scribentis animum consilii ambiguum facile effecerit, non quid ego sciam, quod exiguum, sed quid ego sentiam, quod modestum, dicere licet, opinor, de his Chaldæorum titulis non facilius & certius, quam de eorum peregrinis apud Danielem vocibus disputari; ipsa gentis & linguæ origine, utraque non orientali, sed septentrionali & ultimæ vetustatis, summam abscunditæ lucis & veritatis desperationem nobis faciente. Moses, sacrorum scriptorum princeps, & divinus carminis Jobi Auctor, nec ætate secundus, primi omnium decora & indecora Chaldæorum expresserunt, alter origines suæ gentis ad hos homines referens b), alter in-

tantilus, alii ab Arabico كلدة Kalde *tractu duræ terræ*, petunt.

b) Gen. XI. 31.

insidiosa & cruenta eorum latrocinia eodem fere modo, quo Xenophon Chaldæos Armeniæ, Cyri tempore celebres c), memorans d). Sed ut non Hi exiguis Chaldæorum initiis, ita nec Prophetæ maximis eorum rebus gestis dicendis defuerunt, subitam & victricem hujus gentis in Babyloniæ terras eruptionem partim ut futuram vere augurantes, partim ut factam luctuose describentes. Hebræos, religione & fide rerum sanctos, sequuntur Græci & Romani, ingenio & elegantia verborum præstantes, qui memoriæ Chaldæorum suo quisque modo consuluerunt, breviter & nominatim Sophocles, exteri & vicini orbis saltim per famam non ignarus, copiose & historice Xenophon, bellicosi populi oculatus ipse testis, & geographice atque accurate Strabo, varietate itinerum & judicii gravitate singularis, cui accedit Plinius, spatio temporum, non cognitione locorum posterior, qui Cephenes, quod nomen Chaldæis, regionem Arrapachitiden ad Euphraten colentibus, vulgare fuit, inter Armeniam & Syriam collocat e). Ab his nomen

c) Xenoph. Cyrop. L. III. d) Job. I. 17.
e) Hist. Nat. L. VI. cap. 9.

nomen & originem ii duxerunt Chaldæi, qui ad orientem Palæſtinæ circa Babylonem degerunt, tempore quidem noviſſimi, virtute autem & felicitate omnium primi. Duplex itaque Chaldæorum fuit ſedes, altera ſeptentrionalis, vera & antiqua, inter Pontum Euxinum & Mare Caſpium quærenda, altera orientalis, adventitia & nova, ad fluvium Euphraten reperta. Adeo ſi primum omnium de ſeptentrionis & quidem Armeniæ Chaldæis disſeruerim, ordinem temporum & ſitum locorum ſervaverim.

§. III.

Cum hiſtoriam Chaldæorum, qui juga Armeniæ, paſtoribus læta paſcua, & latronibus commoda receptacula, antiquitus tenuerint, nemo copioſius & melius Xenophonte ſcripſerit f), præcipua eorum, quæ de hac gente retulit hic auctor, ſupra æmulantium invidiam longe evectus, ſummatim repetere juvabit. Cyrus Mediæ finibus egresſus, regem Armeniæ, qui Cyaxari, Medorum principi ſuoque avunculo, nec ex officio tributum pendere,

f) Cyropædiæ Lib. III.

dere, nec ex pacto subsidium mittere voluit, animo hujus contumaciæ & perfidiæ vindice ex improviso aggressus est, eique per belli magis artem quam vim capto, dimidiam exercitus partem sibi adversus Chaldæos, confines hostes, tradendam imperavit. Hi enim Chaldæi, in summis montium hærentes, per crebras excursiones suis necessitatibus prædam, terræ adjacenti vastationem, & exteris subeuntibus metum ultro tulerunt, ipsi tum arduis locorum, tum vigiliis speculatorum securi, Armeniis consilii & virium inopia trepidantibus. Sed male partorum abusu æque pauperes, atque tragularum & cratium usu fortes, stipendia apud alias nationes sollicite quæsierunt & facile invenerunt. Tales vero homines, diu & impune clam & palam generi humano infestos, Cyrus, Armeniis nuper pacatis & jam opem ferentibus, magno prælio vicit, ingenti eorum numero cæso, fugato, capto. Illique præsentis certaminis duci, & futuro orbis principi nihil jam deerat, nisi ut & utrique genti, odiis & studiis inter se diffidenti, perpetuæ in posterum amicitiæ auctor esset. Atqui res pari animo providens, atque virtute gerens, has pacis conditiones tulit, ut Chaldæi Armeniæ incultam partem cole-

rent, Armenii vero in Chaldæorum montibus greges pecudum pascerent, & ipse cacumina montium in sua potestate haberet: quas & utrique lubenter acceperunt, illi gaudio fertilioris terræ, hi spe majoris securitatis. Nec hoc consilium prudentissimum & profuturum deinceps mutare potuit Chaldæus quidam, quamvis multa de gentis suæ prædandi voluptate & agri colendi inscitia disserens. Cyrus enim veniam optati stipendii apud se merendi & occasionem multiplicis prædæ ab aliis faciendæ pollicens & confirmans, facile effecit, ut multi eorum se in ejus castra contulerint. Hactenus Xenophon. Locus vero montium, quos hi Chaldæi tenuerint, plus quam fata hujus populi ambiguus, variam & ancipitem dubitandi & dissentiendi materiam eruditis dedit, aliis eos in tractu Armeniæ australi, vel orientali, vel utroque, Mediæ & Assyriæ contermino g), aliis in ejus parte septentrionali & Chalodastia, Ponto Euxino vicina, cujus incolis nomen est Chaldæorum, vocata h), ponen-

g) Schlözer von den Chaldæern p. 16.
h) I. D. Michaëlis Specilegium Geographiæ Hebræorum Exteræ, P. II. p, 79.

ponentibus. Sed hæc & his similia, utcunque fuerint animadversa, non in multo equidem ponam discrimine. Sufficiat in re tantæ antiquitatis nostræ curiositati & fidei brevitas Xenophontis, eos in Armenia sitos fuisse scribentis, etsi suis finibus non circumscribentis. Hujus vero populi imago, quam hic scriptor expressam nobis reliquit, Chaldæos quoque Jobi i) habitu vultuque referre videtur. Eadem enim utriusque vivendi ratio, non in honestis consiliis justisque factis, sed in diffusis rapinis & insidiosis latrociniis posita, magno Armeniæ & Idumææ intervallo effrenatam gentis longe lateque usque ad Indiam prædandi libidinem & audaciam non inhibente k). Hanc igitur antiquissimam Chaldæorum patriam fuisse puto, & præter ea, quæ disserui, in hanc opinionem me trahunt duæ in his tractibus regiones, sedibus Chaldæorum etiam celebres, quarum una Cephenia a Plinio, altera Arrapachitis a Ptolemæo descripta l). Ut situs utrique idem & quidem me-

i) Cap. I. v. 17. k) Xenophon l. c. et Dissert. de Poëmate Jobi §. III. l) Hist. Nat. VI. 9. Cellar. II. p. 654, 658.

medius inter orientalem Armeniam & Adiabene, ita utraque aut prorſus eadem, aut altera ab altera non multum diſtans regio exiſtimetur. Utrobique vero fuiſſe Chaldæos, ſuſpicionem nobis faciunt Hellanicus, Dicæarchus, Euſtathius & Arrianus m), qui etſi, licentia vetuſtatis, multa fabuloſa ſuis de Chaldæorum & Perſarum conditore, nomine & priſca ſede memoriis miſcuerunt, tamen omnem his fidem demere, nonniſi audaci & iniquo antiquitatis æſtimatori convenit. Si enim quicquid falſi horum ſcriptorum annalibus ineſt, ſuſtuleris, tantum tamen veri ſupererit, ut ex eo facile intelligatur, utramque gentem non ex eadem ſolum ſtirpe generatam eſſe, ſed etiam antiquitus, ſi minus univerſam, tamen ex parte nomen Cephenum, deinceps in Chaldæos & Perſas mutatum, geſſiſſe, & in Cephenia ſuos focos & penates habuiſſe.

Quod ad Arrapachitidem attinet, non argumenta ex hiſtoricis, ſed conjecturæ ex etymologicis petitæ, nec tamen ideo prorſus contemnendæ, nobis

m) Stephan. p. 749. Euſtath. ad Dionyſ. p. 216.

nobis ſuppetunt, quæ probare videntur, nec Chaldæos ibi hoſpites fuiſſe. Si probabile eſt, gentes Elam, Aſſur, Arphacaſd, Lud & Aram, generoſa Semi ſtirpe ortas n), confinia, ſi minus eadem coluiſſe loca, & ſi ארפכשד Arphaxad nomen ex Arabico أرف Araf fines vel termini, & כשד Chaldæus compoſitum eſſe, atque totum Chaldæis confines ſignificare exiſtimetur, vero quoque ſimillimum videtur, Arphaxad & cum eo Chaldæorum agmen in vicinia Aſſyriæ & Meſopotamiæ (Aſſur & Aram) quærendum eſſe, quo demum cunque modo vox ipſa explicetur. Cum itaque quanta inter Aſſur & Aſſyriam, tanta inter Arphaxad & Arrapachitidem, provinciam, ſi Ptolemæus vera ſcripſerit, in orientem ab Aſſyria Armeniam inter & Adiabene ſitam, intercedat convenientia, facile tibi perſvaſeris, utramque vocem eſſe nomen ejusdem tum gentis, tum regionis, a Cephenia, ſi nec Plinius falſa memoriæ prodiderit, non diverſæ, etſi non multum ad noſtram rem refert, utrum hanc utramque regionem eandem fuiſſe, a diverſis auctoribus diverſis temporibus diverſo

n) Gen. X. 22.

verso nomine appellatam, an diversam, sed cor finem & ab incolis ejusdem generis habitatan credideris. Si autem hæc ad antiquissimam Cha dæorum sedem via anceps tibi & cæca videtu alia datur magis aperta, simplex & directa, cuj me indicem non ducem habebis. Ducit enim Ur Chaldæorum, Abrahami ortu celebrem locu b), de quo varie & erudite disputatum fui Quam litem ætate longam & judicio difficilem d rimendam suscipere, neque tam eruditus sun ut possim, neque tam temerarius, ut audeam. A tamen in magna opinionum varietate quid mi maxime placuerit, si modeste dixerim, id nec proposito scribentis alienum, nec patientiæ legent grave futurum arbitror. Quo certius constat, U in terra Sinear p), quæ omnem Babyloniam cu Mesopotamia complexa est q), positam fuisse, propius vero est, hunc locum non in illa, qu tunc temporis nullos prorsus Chaldæos habeba sed in hac regione quærendum esse. Lucem h adfert Ammianus Marcellinus r), qui refert, R mano

o) Gen. XI. 31. p) Gen. XI. 1. q) Spicil. P. I. p. 231. r) Lib. XXV. Cap. 8.

manos, Tigrim trangressos, ad Ur nomine Persicum venisse castellum, inter Harran & Nisebin, in septentrionali Mesopotamiæ parte, ad Armeniæ fines, ubi suos Chaldæos collocat Xenophon, situm. Adhæc ut Abrahamus ex genere fuit Nomadum, qui felicius putant, cum armentis huc & illuc in copiam pascui errare, quàm domi suas & alienas fortunas spe & metu versare, ita ad fidem maxime pronum est, Abrahamum, magno pecorum numero & pretio potentem, ex terra, cujus incolæ tantum non omnes eadem vivendi ratione usi sunt, in Cananæam, celeberrimæ in posterum genti sedem futuram, egressum esse. Quantum vero Babylonia plana & fertilis est, studio agri colendi apta, tantum confinia Mesopotamiæ montosa sunt & horrida, quorum vel sola sterilitas, comite latrociniorum periculo, pastori & patrifamilias cuivis sua sponte & sine Divino jussu ad extera & herbosa demigrandi consilium dare potuisset. Huc etiam accedit manus ista, quæ, duce Abrahamo, quatuor regum conjunctas copias profligavit s), Chaldæos Jobi & Xenophontis sua belli peritia, animi

s) Gen. XIV. 9, 14. sequ.

animi magnitudine corporis viribus referens t
Quod si quid dubii his insit, id auctoritate dil
credo Stephani, Deum Abrahamo in Mesopot
mia degenti apparuisse, antequam in Haran abire
testantis u). Sanctitas hujus testimonii & persp
cuitas nullum dubitandi locum, quin Ur Chald
orum in Mesopotamia & non alibi quæri debea
nobis relinquit. Quæ omnia quum ita sint, n
sine ratione conjicere mihi videor, Armeniam f
isse Chaldæorum sedem antiquissimam. Alia
multa de Chaldæis Armeniæ proferre possem t
tistimonia, sed plura persequi prohibet tum ma
nitudo voluminis, tum festinatio, ut ea, quæ
Chalybicis Chaldæis dicenda habeam, pari brevi
te & fide exponam.

§. IV.

Chalybes, ut Xenophon, qui manum cu
iis conseruit, memoriæ prodidit, vetustate celebr
usu armorum, loricæ, galeæ, hastæ & gladii n
minus fortes, quam cæde hostium, aspero car
& agresti saltu, virtutis & victoriæ concentu, t
ri

t) Schlözer l. c. p. 24, 25. u) Act. VII.

ribiles, & ferri fodiendi arte magis validi, quam agri colendi ſtudio florentes, regionem in ora Aſiæ ad mare nigrum ſeptentrionalis, Armeniæ conterminam, tenuerunt x). Similia quoque ſcripſit Strabo, referens, hanc gentem, cui nomen Chaldæorum recentius additum fuit, montes metalliferos, vel oram maritimam, his jugis & impendentibus ſilvis in anguſtum coactam, ibique Pharnaciam (Stephano regionem, Plinio L. VI. c. 4. urbem Ponticam, Trapezunti proximam) coluiſſe, adeoque ſolam ſpem vel in metallorum reditu, vel in piſcium captura habuiſſe y). Chalybes igitur Strabonis tempore Chaldæi fuerunt, aut gente ipſa alia, aut nomine ſolo mutato & corrupto, quod dicit Euſtathius z), cujus dictum a vero non multum abhorrere, ille facile ſibi perſvaſerit, qui populos eorumque titulos iisdem viciſſitudinis legibus obnoxios eſſe, in animum ſibi induxerit, ſimilitudine, quæ inter utriusque memoratæ gentis nomina & mores intercedit, haud parum hic valente. Sed neſcio, annon vero propius

---

x) Xenoph. Exp. Cyri L. IV & V. y) Strab. rer. geogr. Lib. XII. p. 549. z) Euſtath. ad Dionyſ. p. 216.

pius sit, Chaldæos, qui Armeniam tenuerunt, temporis spatio inter Xenophontem & Strabonem interjecto, Chalybum regionem occupasse, iisque victis & ad obsequium coactis nobilitatem Chaldaici cognominis, ut in Babylone factum est, dedisse. Qui periculum hujus opinionis fecerit, non tantum ingenio hujus populi, alienæ non magis pecuniæ per latrocinia, quam terræ per arma cupidi & invicti; verum etiam testimonio & fide Strabonis, his in regionibus pæne domestici, & hanc gentem Chalybicam ab alia ejusdem nominis distingventis a), quicquid suum tribuerit.

Chalybibus loco, fortitudine & rebus gestis proximi fuerunt Macrones b), quæ gens ad mare nigrum supra Trapezuntem & Pharnaciam sua domicilia habuit c), quantum primis temporibus fama rerum celebris, tantum quoque in posterum varietati nominis obnoxia. Qui enim primum Xenophonti Macrones, & deinde Straboni d) Sanni sunt, Chaldæorum tandem titulo insignes fuerunt, ipsorum regione in gentilitiæ appellationis similitudi-

a) Strabo L. XI & XIV. b) Xenoph. Exped. Cyri L. IV. c) Strabo L. XII. d) Strabo l. c.

tudinem etiam Chaldæa vocata e). Neque tamen non Macronum haud minus quam Sannorum nomen, poſtea etiam quam eorum terram invaſerant Chaldæi, non modo in poſteritatis memoriam diu integrum manſit, ſed etiam in gentibus ejusdem originis vere ſuperſtes fuit f), veteribus forſitan incolis ad proprias ſedes relinquendas vi coactis, & ad alienas quærendas neceſſitate impulſis, non raro, ſi hiſtoriam conſulas, exemplo.

Hæc, quæ de ſeptentrionali Chaldæorum patria, ipſis antiqua & nobis maxime ignota, non pro argumenti dignitate, ſed difficultate, neque pro mei officii copia, ſed ingenii & eruditionis inopia, diſſerui, etſi memoriæ tam nobilis & famoſi populi minus cumulate ſatisfaciant, tamen ſi aliorum ingeniis & ſtudiis ad majora hac in re oc-

e) Mosis Chorenensis Hist. Arm. p. 198: *Tacitus (Imperator) in Zania Pontica inter Chaldæos a suis cæsus est.* Ejusd. Geogr. p. 356. *Habet Colchis, quæ et Egeria dicitur, regiones minores 4, Marnelitiam, Agrycen, et Chaziam et Zaniam, quæ et Chaldæa vocatur.*

f) Plinius H. N. Lib. VI. Cap. 4 et 10.

occasionem aperuerint, me neque initi consilii pœnitebit, neque datæ operæ pudebit. Nobis vero hæc, licet parvi numeri & pretii, sufficiant, quoniam nonnulla etiam de orientalibus Chaldæis uno hoc volumine concludere constituimus.

§. V.

Babylon, antiquissima orientis urbs, & ultima Chaldæorum sedes, spatio atque specie juxta memorabilis, a Cuscitis i. e. Æthiopibus, agmine nigri coloris sed candidæ artis, condita fuit, vestigiis primorum conditorum in vocabulo سوران nigritia, vulgari Chaldææ orientalis nomine, ad nostram usque ætatem superstite, haud obscure relictis g). Sed quanta testimoniorum auctoritate inter omnes constat, hanc amplissimam & florentissimam urbem imperio Chaldæorum fuisse sujectam, tanta sententiarum varietate de splendidæ hujus & inopinatæ victoriæ tempore disceptatur; quam ætatem, in re tam veteri & incerta, spatio inter Sardanapali voluptatem & mollitiem, imperio Assyriaco funestam, & Nabonassaris ambitionem atque

g) Gen. X. 8, 10. Golii Lexicon p. 1234. Specil. P. II. p. 81.

atque virtutem, regno Babelico faustam, interjecto cautius circumscripserim, quam ejus momenta strictius definiverim. Hanc opinionem confirmare videtur primum interregnum, Assyriaca dominatione eversa, ortum, quod mutuis præfectorum summam imperii ambientium certaminibus nutans, militibus etiam ex fortissima Chaldæorum turba in subsidium singulatim forte arcersitis, animum & occasionem huic genti facile dederit, regem sui sanguinis Babyloniæ præficiendi & quidem primum omnium Nabonassarem, cujus successores, si non omnes, tamen plerique ejusdem fuerunt originis, forma nominum, quæ gesserunt, veniam hujus suspicionis largiente: tum fides Dicæarchi, Ascaradem (איש כשדי Ish Chasdi, χαλδαιος, apud Eustathium se offert), decimum quartum a Nino Babyloniæ regem h), qui hanc terram, per Selostrem Asiæ victorem hominibus exhaustam, novis Chaldaicis coloniis (ex Pontica forte Chaldæa vocatis) locupletavit: & deinde Scytharum (quo nomine ignorantia Græcorum diversos populos complectitur) eadem tempestate in Asiam, qua Chaldæi ibi-

h) Eustath. ad Dion. p. 216. Steph. p. 749.

ibidem inclaruerunt, victrix eruptio i). Huc accedit testimonium Jesaiæ, qui de his Chaldæis ita loquitur, ut videatur recens ei fuisse colonia, cum Chaldæis Abrahami tempore inclytis, & Jeremiæ antiquissimis k) non confundenda, paulo ante sua tempora ab Assyriis in orientalem Chaldæam ducta, & Assyriis nec subdita nec amica l). Si autem hæc gens antiquiori ævo certas in Babylonis vicinia sedes ab hujus regni principibus acceperit, profecto multo majus ejus agmen tempore Jesaiam inter & Jeremiam interjecto ex Chaldæa septentrionali, ductu Nebucadnezaris, erupuisse videtur, domi ferum, repetitis per viam victoriis elatum, & ipsa tandem Babylone, ingentis imperii futuro domicilio & nomine, potitum esse, tanto facilius, quanto ad fidem propius est, veteres hujus generis colonias his adventitiis & victricibus præsto fuisse. Quam opinionem extra dubium ponit locus Strabonis, ex quo non tantum Nebucadnezarem e septentrionali Chaldæa egressum esse, sed etiam arma sua longe lateque in Herculis usque columnas circumtulisse, probatur: Na-

i) Herodotus Lib. I. c. 103 - 106. k) Jer. V. 15. l) Jes. XXIII. 13.

Ναυοκοδροσορον δε τον παρα Χαλδαιοις ευδοκιμησαντα Ηρακλεους μαλλον, και εως στηλων ελασαι, μεχρι μέν δη δευρο και Τεαρκωνα αφικεσθαι εκεινον δε και εκ της Ιβηριας εις την Θρακην, και τον Ποντον αναγειν την στρατιαν: "Navocodrosa-"rem autem, qui magis Chaldæis probatur, magis "etiam quam Herculem, usque ad columnas per-"venisse, quo usque etiam Tearconem: illum ta-"men ex Hispania exercitum in Thraciam Pon-"tumque duxisse" *).

Has primas Chaldæorum victorias aut vates ejusdem ætatis scribere, aut paullo ante prædicere videtur Habacuc, dum eos populum adspectu horridum, itinere expeditum, manu fortem, & ex sua regione longe lateque versus orientem ad occupandas novas sedes discurrentem memorat m). Huc etiam Jeremiæ & Hezechielis vaticinia spectant, Palæstinæ & Tyro capitale Chaldæorum odium & malum, non ab oriente & Babylone, sed a septentrione ingruens, minantium n). Si autem quis exi-

*) Strab. L. XV. p. 687. m) Hab. I. 5, 6, 9. n) Jer. I. 14. IV. 6. VI. 1. X. 22. XIII. 20. Hezech. XXVI. 7.

existimaverit, heic non loci, ex quo, sed viæ, qua Chaldæi Palæstinam invaserint, rationem haberi, vereor, ne hæc sententia plus artis, quam naturæ habeat. Præterquam enim quod mirum esset, hostem ab itinere potius, quam a situ describi, hoc Chaldæorum iter probaliter non per anfractus ab oriente, ut fert conjectura, sed recta "a terra septentrionis, ultimis ex terræ angulis," ut refert Jeremias o), factum esse. Quibus in universum perpensis, nemo facile dubitaverit, horum Chaldæorum patriam fuisse Chaldæam, non orientalem & Babylonicam, frugum deliciarumque fertilem, & exteræ cupidinis illecebram, sed borealem & Ponticam, domestico ferro, sublimi & Prophetica duræ hujus gentis imagine, abundantem, quæ solo cœloque cum Armenia, antiquissima Chaldæorum sede, & a Palæstina in septentrionem vergente, convenire videtur. Floruit Chaldæorum in Babylonia imperium, initio modicum, & qua fortitudine partum fuit, eadem firmum, deinde auctum, & finitimis terribile atque invisum, ad ultimum vero mole sua laborans, & luxuria atque ava-

o) G. VI. v. 22. X. 22.

avaritia in morum mollitiem mox immigrante & paullatim invalescente nutans, a Cyro orbis terrarum domitore facile eversum fuit p), neque nisi nomen populi imperiosi eo tempore, quo Græci, Alexandro Magno duce, fines sui imperii in extrema Asiæ dilatare cœperant, superfuit q).

§. VI.

De lingua Chaldæorum antiqua non minus quam de eorum sede quæstio nobis anceps est atque ardua. Hanc non fuisse linguam vulgo Chaldæam appellatam, vero nomine Aramæam orientalem, Hebrææ affinem & antiquissimam, Labano Nachoris nepoti r) & Assyriæ vernaculam, tum in quibusdam pericopis bibliorum s), tum in Chaldaicis eorum versionibus obviam, & Judæis Babylone reducibus, item quibusdam hodiernis, Mesopotamiæ incolis vulgarem, sed ab hac diversum tantumque sui similem fuisse sermonem, existima-

---

p) Xenoph. Cyrop. L. VII. q) Schlözer l. c. p. 3. r) Gen. XXIV. 29, 15. s) Gen. XXXI. 47. Jer. X. 11. Dan. II. 4. - VII. 28, Esræ IV. - VII.

ſtimaverim, nec ſine ſumma probabilitatis ſpecie. Voces apud Danielem occurrunt, quæ quo longius ab Hebræa atque Aramæa lingua differunt, eo plus roboris huic opinioni addunt. דת Danieli t) edictum, ſententia judicialis, lex, barbarum quiddam & peregrinum ſonat; nec enim a דעת ſcientia derivari poteſt, littera Ain apud orientales nunquam excidente. Vocabulum fortasſe eſt aut Perſicum داد Dad juſtitia, æquitas, aut Armenicum Dat judicium u), aut utrumque. Perſicum ſi dicas, non omnis deeſt auctoritas, quoniam Perſæ & Chaldæi populi fuerûnt cognati; ſi autem Armenicum malis, nec levis eſt conjectura, ſiquidem Chaldæi, Armeniæ aut incolæ aut vicini, domeſticum vocabulum Aramææ linguæ inferre potuerunt. Vox ס־בלן x) ſignificatu & auditu originem Scythicam prodere videtur; veſtimentum enim eſt Scythicum, Græcis σαραβαρις dictum, neque ſono a Slavonico Schlavary (ipſa fere voce Perſica شلوار Schelvár ſuperfemorale amplum, vel Polonica Sza-

t) C. II. 9, 13. u) Schrœderi Thesaur. lingu. Arm. x) Dan. III. 21.

Szaravarý idem notante y) multum differt, transpositis modo, ut in exoticis sæpe accidit, literis z). Accedunt nomina regibus & ducibus Chaldæorum propria, quorum nec certa ratio ex Hebræa vel Aramæa lingua reddi potest, eo fortius barbariei argumentum, quo facilior & expeditior alias esse solet in Hebræa cognatisque linguis etymologia. Nebucadnezaris nomen, patri filioque commune, nullam cum Hebræa lingua necessitudinem habet, suique studiosis plurimum negotii facessivit, sed ne minimum quidem pretium ob operam dedit. Videtur potius hoc nomen, ut multa alia in zar desinentia, linguam ostendere, in qua zar aut terminatio sit, aut aliquid compositioni nominum valde aptum significet, sicut زار Persicum, nomen loci multitudinem indicans, e. g. لاله زار lale zar hortus tulipis abundans, گلزار gylzar hortus rosis abundans. Exemplo nobis erunt sequentia: Nebu–cadne–zar, Nebu–godnoi–zar, Cœlo dignus princeps: Belsha–zar, Bolshoi–zar, Magnus princeps: Bel–tesh–zar,

y) vid. Meninski. z) Spec. p. 87 & 90.

Byt—tesh—zar, Fuit quoque Princeps, (i. e. e familia Regia, scil. Daniel fuit). Schara—zar, Noctis dominus, (i. e. Præfectus vigilum): Nabo nash zar, Nebu—nash—zar, Cœlo noster dominus &c. a).

Hæc, quæ ex Slavicis dialectis petita speciem probabilitatis præ se ferunt, certiora efficient ii, qui clarissima Forsteri vestigia in hoc antiquitatis studio sequendi parem voluntatem & occasionem habuerint. Nec minoris momenti est argumentum, ex discrimine, quod Jeremias inter gentem, & Daniel inter linguam Aramæam & Chaldæam facit, petitum b). Neque enim ratio est in promtu, cur Jeremias eodem loco eundem populum duplici nomine appellaret, neque cur Daniel eandem linguam in primo capite Chaldæam, & in secundo Aramæam diceret. Barbaram itaque putem linguam, quæ Chaldæa & Judæis domi penitus ignota dicitur c), atque Danieli foris studiose discenda fuit d), quorum unum dici, & alterum fieri non

a) Ep. Forsteri. Spec. p. 102. b) Jer. XXXV. 11. Dan. I. 4. II. 4. c) Jer. V. 15. 2 Reg. XVIII. 26, 27. d) Dan. I. 4.

non opus fuisset, si ab Aramæa, Hebrææ per affinitatem proxima, & Hebræis ad intellectum facillima, nihil diversi habuisset. Si itaque verum est, Chaldæos septentrionales, Scythicam gentem & barbaram, antequam per arma & connubia in mutua rerum & verborum commercia Aramæis miscerentur, lingua discreta & Aramææ maxime dissimili usos fuisse, eo probabilius videtur, hanc linguam Slavicis ad Pontum Euxinum dialectis adnumerandam esse, quo ad fidem pronius est, gentes Slavicas ex Asia & gentibus circa mare nigrum degentibus originem trahere: nempe Scythæ, Cimmeriis victis, in Mediam delati sunt, qua expugnata, sua jura per omnem superiorem Asiam ad Ægyptum usque 28 annorum spatio reddiderunt, & hoc tempore, teste Diodoro Siculo L. II, e Media ad Tanain colonos duxerunt, qui postea Sauromatæ i. e. Shaure Madai, Medi Boreales appellari, re Scytharum sensim fracta, non tantum patriam ex servitute in libertatem vindicare, sed mox etiam vicinas gentes subigere cœperunt, atque nomen Slavorum sibi invicem a Slav, tribu, gente, dederunt. Quam Asiaticam vel Medicam gentium Slavicarum originem testatam

tam quoque facere videntur vultus habitusque gentis nativus, fuſcus color, capilli nigri, firmitas & proceritas corporis, amor joci & ludicri, vini epularumque cupido & vix ſatietas, ingenium ad artes & diſciplinas aptum, animus bello fortis, in victos crudelis, in amicos nobilis, & in hoſtes implacabilis, veſtis multum laxa & ſatis longa cinguloque adſtricta, & denique linguæ, quæ demum cunque ſit Slavicarum dialectus, cum Aſiaticis mira ſimilitudo, omnia orientis indicia, magis manifeſta quam ambigua e). Tamen affirmare non auſim, Chaldæos lingua Slavica uſos fuiſſe. De his enim, quæ non ut rei ignotæ accipiendas rationes, ſed admittendas conjecturas attuli, pro ſuo quisque ingenio judicet, & pro ſuo judicio fidem his addat vel demat.

Hæc, quæ jam diſputavi, pauca ſunt & inculta, nec amplitudini nec dignitati argumenti reſpondentia, ad quod ſuſcipiendum & tractandum, ſi nihil aliud, induſtriam ſaltem, operam & promtiſſimam voluntatem attuli. Quibus ingenium eſt uberius, judicium acrius & doctrina copioſior, ab eorum

e) Forster. l. c. in Spec. p. 97 seqq.

eorum studiis plura & majora certa fide exspectes, & dum alienis & melioribus valde gaudebis, meorum & pejorum facile oblivisceris.

X. DE OPHIRA.

§. I.

Quæstio, ubi Ophira, Salomonea auri fodina, posita fuerit, animos & studia scriptorum huc & illuc diu distraxit. Nec miror. Quæ enim illius, quo non aliud nobilius, metalli æstimatio, eadem noscendi, quo generatur, loci cupido fuit; & quanto hic secretior, tanto facilius vestigia inquirentium fefellit. Nulla pars orbis est, quam hujus rei curiosos peragrare tæduit: & ubi terræ defecerunt, maria etiam scrutari placuit. Ophira enim non solum in Hispania, Arabia, Æthiopia, aliisve Europæ, Asiæ & Africæ regionibus, sed etiam in Orientalis aut Occidentalis Oceani insulis quæsita est, speciosius quam vere cumulatis undique argumentis. Profiteri ignorantiam recti plerisque inglorium

visum

visum est. Sed ad invidiam non hæc trahenda. Ut temporum, ita rerum sunt quædam vices: & multa, quæ olim abdita & in incertum implicata fuerunt, jam reperta & palam collocata sunt. Tulit enim posterior ætas ingenia, quibus ad magnarum rerum consilia neque natura neque fortuna defuit: & quod illis in famam, nobis in utilitatem cessit. Exempla cum plurima sunt, tum minimum non est, quod positionem Ophiræ, destinatam his scribendi curis materiam, spectat. J. Bruce, secundis & adversis juxta clarus vir, qui origines Nili, fabulose traditas, primus omnium aperuit, laude repertæ etiam Ophiræ inclaruit. Et hic est auctor, quo duce in nostri operis itinere potissimum confidere & audere licebit.

§. II.

Initium dicendi si ab iis captum fuerit, quæ in Sacris rerum Annalibus de Ophira occurrunt, cetera expeditius succedent. Constat, Josaphat & Achaziam, Judæ & Israëlis reges, icto fœdere, quæ Tarsisum & Ophiram irent naves, in Ezion Gaber struendas curasse a). Hic autem portus in

Ara-

a) 2 Chron. XX. 36, 37. 1 Reg. XXII. 50.

Arabia ad Mare Rubrum fuit b), ſic vocatus a ſcopulis in ſpinæ ſeu dorſi modum eminentibus. Compoſitum enim eſt vocabulum ex עצה ſpina dorſi, & גבר validus fuit. Pari ratione Durrachium, urbs Illyrica ad Mare Adriaticum in aſpero littore ſita, a δυς, quæ particula in compoſitione vim difficultatis habet, & ῥαχις ſpina, & inde litus quod unda verberat, ſuum nomen accepit. Itaque manifeſtum eſt, quo emporio & pelago navale hoc iter ſuſceptum ſit; quousque autem perrexerit, ſeu qui Ophiræ poſitus fuerit, nihil de eo apud veteres compertum. Nullam ſui ſuſpicionem facit Arabia. Præterquam quod auri argentique minime ferax cognita eſt illa regio, Palæſtinæ propior eſt, quam ut in eam longæ & Ophiricæ navigationis ſpatium congruat. In ulterioribus itaque ſpes poſita eſt: neque eo, quo incerta Oceani Orientalis ducunt, hæc vertenda. Per certum enim & quidem triennem numerum confecit ſuum curſum Ophirica claſſis c). Flexo

au-

b) Num. XXXIII. 35. Deut. II. 8. 1 Reg. IX. 26. 2 Chron. VIII. 17.

c) 1 Reg. X. 22. 2 Chron. IX. 21.

autem in occidentem itinere, ſtata ventorum tempora proſperum conſilii eventum portendunt. Et cœli hac temperie ubi Melindam perventum eſt, quæ ibi auribus & oculis obverſantur, fidem omnis implere videntur. Nam littoris nomen eſt Zanguebar: quo dicto, Hebraicæ originis cogitatio, & Ezion Gaber ſubit; ita ut terminus, a quo & ad quem Salomonis auriferæ naves profectæ ſunt, eadem appellatione propter eandem utriusque ſpeciem & naturam ſignatus putetur. Solum ipſius deinde loci non infœcundum eſt auri, quod rude & arenæ mixtum in campis legitur d). Propinquitas denique urbis, cui nomen Tarshiſh dicitur, opinioni dat locum, Ophiram haud procul abeſſe. Et opinioni exitus reſpondet. Secundante enim vento, & adita Sofala, in interioribus ejus partibus videre eſt montes, quorum unus ſuo non ingenio ſolum, ſed etiam nomine Ophiram refert. Nam auri dives eſt & Afura vocatur.

§. III.

---

d) Biblioth. Orient. par M. D'Herbelot p. 575. Les mines de fer qui se trouvent dans son terroir enrichissent plus ses habitans, que la poudre d'or qui se recueille dans ses campagnes.

§. III.

Loco autem, quo duxit nos conjectura, quaerendam esse veterum Ophiram, ut primo adspectu probabile, ita, si altius res repetatur, certum habebitur. Argumento primum est similitudo, ut supra dictum est, ipsius nominis, haud alio discrimine, quam vocalium, quae in omni sermone mutationi facile obnoxiae sunt. Casuque, qui caecus est, eam natam non esse, ex ipsius soli natura probatur, passim obviis auri argentique venis, quas antiquitas invenit, nec recentior aetas neglexit. Tradit Joannes Bleau, superesse in Sofala non solum aedificia, quae litteris Hebraeorum inscripta sunt, sed etiam apud indigenas volumina, quae Salomonem hac in terra eruisse aurum declarant e). Quae vero memoria si quid compositi & in falsum aucti continere existimata fuerit, locuples prodit testis Dos Santos, qui ipse venit & vidit. Hic enim audentioribus spatiis subeundo fluvium Cuanam, procul a maris littore plurium dierum itinere duos aperuit montes, unum auriferum & Afura, alterum argen-

e) Caput Bonae Spei, Dissert. edit. Upsaliae, p. 47.

argentiferum & Chicoua appellatum f). Atque in iis non solum Divini, sed etiam humani moris vestigia manent. Non desunt enim acti cuniculi, magnæque præterea molis monumenta, alia rudi & informi materia, alia lapide & cæmento structa; quæ autem diuturnitate temporum hominumque barbarie nunc prostrata jacent g). Tradunt indigenæ, nec sine specie veri, tantas moles posuisse Reginam Sabæ, ut animos commercantium illiceret h). Illius enim imperio Sofalam quoque obnoxi-

f) Voyage of Dos Santos, published by Le Grande.

g) Travels to discover the Source of Nile by J Bruce Tom. I. p. 435: at both places there is great appearance of ancient excavations; and at both places the houses of the Kings are built with mud and straw, whilst there are large remains of massy buildings of stone and lime.

h) Idem lib. cit. p. 435: It is a tradition, which generally obtains in that country, that these works belonged to the Queen of Saba, and were built at the time, and for the purpose of the trade on the Red Sea: this tradition is common to all the Cafrs in that country.

noxiam fuisse, puto: quod autem probare, hujus non est loci. Id solum dicam, si sedes tam famosæ Principis in tam remoto a Judæa loco, & quidem australi Africæ ora fuerit posita, promtius intelligetur vis oraculi, quo hæc nomine & sapientia Salomonis commota, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, & quarum rerum, sive metalli sive aromatis pretiosi sua terra ferax erat, muneri obtulisse memoratur. Ophiræ autem, qua non alia auri ditior terra, paullatim oblivio invaluit, nec ante, quam Sofala Lusitaniis in pretium victoriæ cessit, illius cura repetita est, sed mox omissa, monstratis generosi Peruvianique metalli venis. Transtulit se huc Europeorum avaritia, & Africani commercii tanquam minus quæstuosi torpedo incessit i).

§ IV.

---

i) Idem lib. cit. p. 435: They bear the traces of having been wrought from the earliest ages. They were actually open and working when the Portuguese conquered that part of the peninsula, and were probably given up since the discovery of the new world, rather from political than any other reasons.

§. IV.

Afuram Sofalæ eſſe veterum Ophiram, fides, quam forma ejusdem appellationis nobis fecit, locique utriusque haud diverſa natura auxit, confirmabitur ipſo tempore, quod profectioni utroqueverſum ex Ezion Gaber ſuſceptæ impenſum dicitur. Nam ut Ophiram nonniſi triennio ex ſinu Elanitico aditam fuiſſe, vetus memoria eſt, ita nec minori ſpatio Sofalam ex eodem loco adiri poſſe, recentior fama tradit. Quo etiam ambitu reditum contineri, vel me non monente, ſatis intelligitur. Curſus vero tam ſingularis, neque tardioris, neque celerioris, hæc cauſſa & ratio. Claſſis in Sofalam ab Ezion Gaber profectura, æſtivo & ſecundo aquilone Mocham Arabiæ rectâ defertur k). Flexo autem hic, non vento, ſed mari (in orientem enim continens ingenti objectu a dextra redit), conſiſtendum eſt in ancoris, & breve ſpatium, quo fretum Bab Elmandeb & promontorium Gardefan ſepa-

k) Idem lib. cit. p. 438: The vessel trading to Sofala Sailed — from the bottom of the Arabian Gulf in summer, with the monsoon at north, which carried her to Mocha.

feparantur, aura hinc, inde fpirante trajiciendum eft l). In occidentem tum via patefcit: adverfum vero tenet africus, per æftatem in hac Oceani parte fæviens m). Appetente autem hieme, in auftrum hic cedit, & ex portu promontorii, cujus mentio injecta eft, vela faciendi poteftas datur. Sed prope Melindam vim fuam, quod mirum (Tropicæ enim tempeftatis ftatæ funt vices) repetit, & Mocham Africæ, haud procul a Tarfhifh Salomonis disjunctam, petendi neceffitas oritur n). Ne-

l) Idem lib. cit. p. 438: There (at Mocha) the monsoon failed her by the change of the direction of the Gulf. The south-west winds, which blow without Cap Gardefan in the Indian Ocean, forced themselves round the Cape so as to be felt in the road of Mocha, and make it uneasy riding there. But these soon changed, the weather became moderate, and the vessel, I suppose in the month of August, was safe to anchor under Cape Gardefan.

m) Idem lib. cit. p. 438: all these summer months the wind south of the Cape was a strong south-wester directly in the teeth of the voyage to Sofala.

n) Idem lib. cit. p. 439: I suppose in Novem-

Neque hinc in altum provehi ante licet, quam proximo Majo, ſurgente tum a puppi auſtro aquilone, qui navem in Sofalam propellit o). Sub finem vero autumni, & circumacto Tropici ſpiramenti orbe, viæ repetendæ fit initium: & quæ circumſcriptæ rationes profectionem accelerarunt, reditum jam pariter retardant, ita ut, alternis & ſexies repetitis Tropici flatus, proſperi, adverſi vicibus, id eſt, triennii ſpatio ad conficiendum hoc iter opus ſit & fuerit p).

§. V.

---

ber the vessel sailed with the wind at north east, with which she would soon have made her voyage: But of the coast of Melinda, in the beninng of December, she there met an anomalous monsoon at south west, in our days first observed by Dr. Halley, which cut off her voyage to Sofala, and obliged her to put in to the small harbour of Mocha, near Melinda, but nearer stil to Tarshish, which we find here by accident.

o) Idem lib. cit. p. 439: Salomon's vessel then was obliged to stay at Tarshish till the month of April of the second year. In May, the wind set in at north east, and probably carried her that same month to Sofala.

p) Idem lib. cit. p. 439, 440: The ship sails,

§. V.

Si supervacuum fuerit, ex LX interpretibus anquirere fidem dictis (certa enim hæc sunt); ostendere,

---

on her return, in the month of November of the second year, with the monsoon south-west, which in a very few weeks would have carried her into the Arabian Gulf. But off Mocha, near Melinda and Tarshish, she met the north east monsoon, and was obliged to go into that port and stay there till the end of that monsoon; after which a south wester came to her relief in May of the third year. With the May monsoon she ran to Mocha within the Straits, and was there confined by the summer monsoon blowing up the Arabian Gulf from Suez, and meeting her. Here she lay till that monsoon, which in summer blows notherly from Suez, changed to a south-east one in October or November, and that very easily brought her up into the Elanitic Gulf, the midle or end of December of the third year. — In short, she changed the monsoon sex times, which is thirty six months, or three years exactly; and there is not another combination of monsoons over the globe, as far as I know, capable to effect the same.

dere, ad inveniendam Ophiræ sedem nobis facem eos prætulisse, congruens videbitur. Quo propius ab ætate Salomonis illi homines vixerunt, eo compertiorem Ophiræ positionem sibi habuisse existimentur. Nec enim credibile est, terræ tam celebris memoriam ad eorum tempora non mansisse, quamquam ademto tum acquirendi inde auri commercio. Loco autem Ophiræ subinde Σωφειρα, Σωφαρα, Σοφιρα, Σεφει (varie enim scribi solet) Alexandrini ponunt q): quibus & Josephus, gravissimus auctor, consentit r). Exiguum utriusque discrimen: tamen discriminis origo in obscuro est, nisi credere licet, dicentium aut scribentium licentia tale factum esse. Sic, exemplum si placet, Arriani Uppara Ptolomæi Suppara est. Sed vitium ex vitio, Sofala ex Sofara generata est, sive casu & errore, sive consilio suaviorisque soni amore. Verisimilius affirmatur, sic vocabulum detortum

q) Job. XXII, 24. XXVIII, 16. 3 Reg. IX, 28. X, 11. 1 Paral. XXIX, 4. 2 Paral. VIII, 18.

r) Ant. VIII, 6, 4: εις την παλαι μεν Σωφιραν, νυν δε χρυσην γην καλουμενην, της Ινδικης εστιν αυτη.

tortum esse, quam in imitationem Hebraici aut Arabici exempli s) id transiisse, ut quibusdam visum est. Nam antiqua locorum nomina facilius corrumpi, quam cum novis commutari solent.

Hæc sunt, quæ in secessu de Ophira curatius collegi: & si publico non displicuerint, fructum laboris tuli.

XI. DE REGINA AUSTRI,

I REG. X: 1; LUCÆ XI: 31.

§. I.

Scribit PLINIUS, Gaditanum quendam, TITI LIVII nomine gloriaque commotum, ad visendum

s) Sicut Arabes littoralia utriusque Chersonesi Indicæ *Sofala* (سفالة), ita Hebræi littoralia tribus Judæ *Shefala* (שפלה) appellarunt. Vide J. D. Michaëlis Specilegium Geograph. Hebr. Exter. Pars II. p. 199.

eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat abiisse a). Pari modo comparata sunt ea, quæ de Regina Austri Auctores Sacri memoriæ prodiderunt: ומלכת־שבא שמעת את שמע שלמה לשם יהוה ותבא לנסתו בחידות׃ "Et Regina Sabæ cum famam Salomonis de no-"mine DEI accepisset, venit, ut obscuris quæstio-"nibus eum tentaret" b). Βασιλισσα νοτου εγερθησεται εν τη κρισει μετα των ανδρων της γενεας ταυτης, και κατακρινει αυτους, οτι ηλθεν εκ των περατων της γης ακουσαι την σοφιαν Σολομωντος, και ιδου πλειον Σολομωντος ωδε. "Regina Austri die Judicii cum hujus nationis ho-"minibus surget, eosque damnabit; venit enim ex "ultimis terris, ut sapientiam Salomonis audiret; "cum tamen hic sit Salomone præstantior" c). Unde laudata hæc Regina venerit, quæ fuerit, & cetera, quæ ad illius vitam & res gestas pertineant, curatius colligere atque perscribere, animus & consilium est.

§. II.

a) Lib. II. Epist. III. b) 1 Reg. X. 1. c) Luca XI. 31; cfr. Matth. XII. 42.

§. II.

De ſede hujus Reginæ diverſa ſunt Auctorum judicia. Sunt, qui exiſtiment, partem Arabiæ, quæ hodie Jemen dicitur, ei patriam fuiſſe: cui ſententiæ etiam multi veterum, ut JUSTINUS, CYPRIANUS, EPIPHANIUS, CYRILLUS ALEXANDRINUS, aliique d), nec pauci recentiorum, Cardinalis ſcilicet BARONIUS, FRANCISCUS SOAREZ, LORINUS, PINEDA, & qui ſunt reliqui accedunt e). Et illis pro argumento eſt, Sabam Arabiæ eſſe provinciam, quæ a Judæa in meridiem ſpectans, camelis variisque aromatum generibus abundat. Speciofius autem, quam vere hæc dicta mihi videntur. Diverſam enim regionem arguunt primum munera Salomoni oblata f). Primum myrrhæ, caſiæ & aromatum ſi dives Arabia, auri certe, quod etiam ad Salomonem detulit laudata Regina, inops eſt, ſemperque fuit

d) JOBI LUDOLFI Historia Æthiopica. Lib. II. cap. III. n. 13. Cfr. Travels to discover the source of Nile by J. BRUCE. Tom. I. Book. II. Ch. VI. p. 472.

e) LUDOLFI Hist. Æthiop. l. c.

f) I Reg. X. 2.

fuit g). Tum duplex fuit veterum Saba, una Orientalis & Asiatica, quam Homeritæ, altera Occidentalis & Africana, quam Cuschitæ tenuerunt h). Deinde pervulgata est Homeritarum persuasio, stare reipublicæ corpus & librari sine judicio sexus virilis non posse; & ut plus reverentiæ aut metus ex occulto civibus fieret, regibus eorum procul ab hominum conspectu & in palatio semper agere mos & religio fuit. Ire in publicum, capitis discrimen erat: & lapidatio tum sæpissime sequebatur. Si igitur penes viros summa imperii erat, eaque, ut & majestati & genti melius prospiceretur, semper in Regia exercita; contra fas disciplinæ & morem obsequii fuisset, si feminis non imperandi solum sed peregrinandi etiam potestas apud illam gentem delata esset i). Tandem mo-

g) BRUCE l. c. p. 473. The gold, the myrrh, cassia and frankincense, were all the produce of her own country.

h) LUDOLFI Hist. Æthiop. l. c. cap. c. n. 16.

i) BRUCE l. c. p. 473. A strong objection to her being an Arab, is, that the Sabean Arabs, or Homerites, the people, that lived opposite to Azab on the Arabian shore, had kings in-

momenti plurimum habet Sacrum illud testimonium: venisse Reginam Austri ab extremis terris, quod ut de proximis Arabiæ minus apte, ita de Æthiopiæ disjunctissimis perbene explicatur k).

§. III.

His igitur disputatis, sedem percelebratæ Reginæ in Æthiopia potius, terrarum quæ meridiem spectant extrema, aut extremis proxima, quærendam esse, a fide haud alienum putamus. Neque hæc incerta; quippe quæ Auctorum &

stead of queens, which latter the Shepherds had, and still have. Moreover the kings of the Homerites, were never seen abroad, and were stoned to death, if the appeared in public; subject of this stamp, would not very readily suffer their queen to go to Jerusalem, even supposing the had a Queen, which the had not.

k) Idem l. c. p. 473. It is not probable our Saviour would say she came from the uttermost parts of the earth, if she had been an Arab, and had near 500 of the Continent behind her.

& rerum eſt. Tradit TELLEZ, Abyſſinorum Scriptor præcipuus, "Reginam Æthiopiæ Maquedam, ubi ex Mercatore ſuo Tamerino de potentia ac ſapientia Salomonis certiora cognoverat, "ad illum cum Magnatibus ſuis, multisque muneribus profectam eſſe" l). Idem hodiernis Abyſſiniæ incolis perſuaſum eſſe LUDOLF memorat m). Neque diſſentit rerum geſtarum fide inſignis Auctor JOSEPHUS n), qui illam Principem Æthiopiæ imperitaſſe, & antiquum quæ illius terræ Metropolis erat nomen Saba fuiſſe, recentius vero & a Cambyſe additum Meroe refert o). Et ſimilia AGATHARCIDES p). Hinc aliud quidem, ejusdem tamen urbis nomen Mariabam ortum fuiſſe, probabile videtur. Quam vero appellationem etiam Sabæ fuiſſe, multa nec parvi ponderis argumenta evincunt. Utraque enim urbs ut Sabæorum Metropolis, eaque in monte ſita ab ERATOSTENE, ARTEMIDORO & PLINIO deſcribitur q). Et ne quid eorum, quæ rei obſcuræ lucem afferant, prætermittatur, Geographus Nu-

l) Lib. I. cap. 25. m) l. c. cap. c. n) Lib. VIII. cap. 2. o) Lib. II. cap. 10. p) Cap. 50. q) BOCH. Phaleg.

Nubienſis, ubi de Marab agit r), litteris mandavit, "hanc urbem fuiſſe Sabam, & inde veniſſe "Belkis Uxorem Salomonis; in ea fuiſſe arcem "nomine Seruach Salomonis filii David, cujus hodie nihil quidquam ſupereſt, præter deformes "ruinas & divulſa rudera; ibique reperiri quoque "arcem Elkaſib dictam, quæ fuit Palatium Belkis "Uxoris Salomonis; item aggerem nomine Arim, "inter gentes celebrem, & in media urbe inſtar "montis ſitum, ut aqua illius objectu tumeſcens "vicinos agros innataret, torrente autem divinitus "orto una cum urbe funditus everſum eſſe." Et manent adhuc veſtigia, quæ viſa ſcriptis auctoritatem addunt s). Recentior autem eſt fama, in parte Africæ, quæ verſus Orientem ſinuata, a freto ſinus Arabici Babelmandab dicto ad promontorium Gardefan procurrit, veterum Sabam quærendam eſſe. Etenim ibi, neque procul ab Azab monumenta cernuntur diruta, opere & arte viſenda, in quibus aquæductus, marmore factus, nec cæmento, ſed uncinis orichalci connexus, & aquæ ex circumjectis montibus ad Sabam derivandæ deſtina-

---

r) Clim. 12. part. 6. s) BRUCE l. c. p. 379.

ſtinatus, præcipue memorabilis eſt t) Utcumque autem hæc exiſtimata erunt, utramque tamen facile conciliaveris opinionem, ſi alteram de Metropoli Sabæ, alteram de ejus Emporio acceperis.

§. IV.

His autem ut plus fidei accedat, ad ea, quæ ſupra leviter tantum attigimus, quisque animum acrius intendat. Habuit id ab Homeritis alienum gens Sabæorum, ut quemadmodum illi in Arabia non niſi virile, ita hi in Æthiopia non niſi muliebre

t) Idem l. c. p. 444, 445. Inland near to Azab, as I have before observed. are large ruins, some of them of smale stones and lime adhering strongly together. There is especially an Aqueduct, which brought formerly a large quantity of water from a fountain in the mountains, which must have greately contribute to the beauty, health and pleasure of Saba. This is built whith large massy blocks of marble, brought from the neighbouring mountaines, placed upon one anothers, without lime, or cement, but joined with thich cramps or bars of brass.

liebre imperium æquo tulerint animo: quaſi minus periculi a feminarum tyrannide eſſet, ubi conſilia patrum valuerint, nec populo ſua agendi auctoritas ſublata fuerit. Et ut placuit majoribus, ita poſteri imitati ſunt u). Habet CLAUDIANUS:

— — — Medis levibusque Sabæis
Imperat hic Sexus, Reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet v).

Teſtatur etiam PLINIUS, in Meroe regnaſſe quondam feminam Candacem, atque id nomen multis jam annis ad Reginas transiiſſe x). Docent præterea Sacræ Novi Teſtamenti Literæ, Æthiopes Reginæ Candaci paruiſſe y). Quid! quod ne noſtris quidem temporibus aliud quam hujus ſexus imperium accipiunt, qui ex antiqua Sabæorum ſtirpe ſuperſunt z). Conſenſus itaque veterum, pro-

u) Idem l. c. p. 472. We know from history, that it was a custom among these Sabeans, to hawe women for sovereigns in preference to men, a custom, which still subsists among their descendents.

v) In EUTROPIUM Lib. I. x) Lib. VI. cap. 29. y) Act. VIII, 27.

z) BRUCE l. c. p. 477. The custom of ha-

professio incolarum, & peregrinantium denique judicium, si quid fidei atque auctoritatis habent, sedem Reginæ Austri in ultima hac orbis terrarum parte fuisse, non conjicere atque opinari, sed scire & profiteri licebit. Rerum insuper, quas muneri Sabæorum Regina Salomoni dedit, non solum myrrhæ, casiæ & quæ sunt reliqua aromatum generum, sed etiam auri feracem fuisse hanc Regionem, eo minus est ambiguum, quanto certius constat, eam ambitu suo etiam Ophiram illi conterminam amplexam fuisse a).

§. V.

Iter vero Hierosolymitanum, quod Sabæorum Regina suscepit, ut jam perscribam, ordo & animus fert. Celebre apud omnes gentes fuit Salomonis nomen, & quæ opulentiæ illius & sapientiæ erat fama, non proximas solum, sed etiam remotissimas terrarum partes incesserat. Hinc ade-

ving women for sovereigns, which was a very old one, prevailed among the neighbouring shepherds in the last century, and for what we know, prevail to this day.

a) Vide Dissert. de Ophira.

adeundi visendique cupido Reginæ etiam Austri orta est, & consilium itineris, longi & periculosi, susceptum. Quam vero viam ingressa sit, haud facile quis dixerit. Navibus eam profectam esse, id veri speciem non habet. Navigia enim tempestatibus & fluctibus vasti Oceani sufferctura exstruendi, adornandi gubernandique scientiam habuisse Sabæos, compertum non est. Terrâ igitur Judæam petiisse nostra Princeps videtur. Interjecta & deserta terrarum spatia, ingens vehementia caloris, in sublime abiens & cumulatim ruens arena, inopia aquæ, insidiæ, latrocinia & cædes, magna vis ferarum & reptilium, & quæ cetera sunt austri mala peregrinantibus audendi quidem pericula ostendebant. Ad omen vero prosperi successus vertebantur ingenia ducum, quos ad ferendam hanc cœli solique injuriam aptissimos finxerat natura & exercitatio firmaverat. Tales autem fuisse Sabæos, cognitum est b). Est enim illis hæc in sua gente fama & apud exteros gloria, ut fidem, quam peregrinantes petierint, absolvere & possint & velint. Nihil itaque impedivit

b) Vide Dissert. de Nomadibus Æthiopiæ.

divit, quominus Auſtri Regina, cum tanto hominum, camelorumque numero & præſidio proficiſcens, Hieroſolymas tuto per ancipitia accederet.

§. VI.

Reliquum eſt, ut quæ curæ fuerint hoſpiti tam nobili poſt adventum ad illam urbem, ſive veræ, ſive fabuloſæ, paucis repetam. Præcipuam itineris cauſam fuiſſe, ut ænigmatico ſcientiæ genere quantum valeret Salomon, experiendo cognoſceret, ex Sacris V. T. Litteris notiſſimum eſt c): claro documento, neque eam, neque gentem, cui imperitabat, rudem prorſus & incultam fuiſſe. Allegorias, quas divinare magis quam interpretari oportet, in amore & pretio ſemper habuerunt Orientales: & dictionis acumen potius quam gratiam quærere, nomen & honos fuit d). Sed quantumcumque ipſa in parabolica hac diſciplina fuerit verſata, peritiam tamen Salomonis ſua longe

ge

c) 1 Reg. X. 2, 3.

d) Vide EICHHORNS Monumenta antiquissimæ Historiæ Arabum, p. 15. Cfr. LOWTH de Sacra Poësi Hebræorum p. 55. Item BRUCE l. c. p. 474.

ge ſuperiorem intellexit. Beati (inquit) viri, ſervique Tui, Te ſemper videntes & audientes e). Si vero ſapientiam, quam humanarum rerum habuit Salomon, magni fecerit, eam, quæ Divinarum ei fuit, contemtui habuiſſe, non eſt credibile. In Judaismum eam transiiſſe Abyſſinii ferunt. Magnificentia enim hoſpitii, longa Hieroſolymæ commoratio, intimus denique Salomonis uſus apud animum muliebrem, novi ſemper cupidum, ad Sacra peregrina amplectenda, ſatis forſan valuerint. Ipſa vero ſi in Judaismum inclinaverit, an ſubditis etiam ſuis, Sabæismi ſtudioſis, peregrinum ſacrum perſvadere potuerit, adhuc ſub judice lis eſt f). Tradunt indigenæ, eam quoque ad amores Salomonis validam peperiſſe filium, qui in opes maternas ſucceſſit, & primus Rex Abyſſiniæ habetur. Neque abſurda hæc traditio videtur. Idumæas enim pellices qui Rex ſibi adjunxerat, neque eum a Sabæis abhorruiſſe, non dubitanter quis dixerit. Ne autem in cumulo traditionum aliquid deſit, hæc quoque accipias. Adjiciunt Abyſſinii, pueritiam adoleſcentiam-

e) 1 Reg. X. 8. f) BRUCE l. c. p. 474.

tiamque filii, quem Maqueda a Salomone ſuſceperat, ductu & auſpicio illius per omnem optimarum diſciplinarum & artium cultum transactam fuiſſe. Quæ opinio neque ſua veri imagine caret. Nam in præceptis inſtitutisque Salomonis ſpes ſapientis bonique Regis ponebatur. Si igitur hic Princeps Æthiopiæ, quidquid ſalubre & glorioſum habet Judaismus, ipſe a teneris didicerit, ſuſpicioni datur locus, reverſurum eum ad capeſſenda regni primordia, Judæorum permultos, patrii juris peritiſſimos, ſibique a conſilio futuros, colonos ſecum, ut Æthiopes affirmant, duxiſſe. Talem vero natalium ſplendorem ſibi vindicare noſtra ætate ſupremos Æthiopiæ judices, memoriæ eſt proditum. Supereſt in illa terra gens Falaſchæ nomine cognita, quæ pro varia cæli temperie ſedem permutare cogitur, & armenta gregesque per campos & juga ſequitur. Ut Abyſſinii, ita hæc gens ſuas ad Judæos, cum Principe Menilek (ſic apellant) in Æthiopiam profectos, refert origines, traditque inſuper, celebratam Reginam in Saba, auri, myrrhæ & aromatum feraci, ſedem habuiſſe, Hieroſolymam, auſpice Hiramo Tyri Rege, venis-

ſe,

ſe, atque hoc iter non per Arabiam, (Ismaë-litarum enim vim & inſidias metuebat) ſed per Maſuam atque Suaken, camelis vectam, præſidioque comitantis catervæ ſecuram & felicem conſeciſſe. Idem populus, qui Judaismi ſemper fuit retinentiſſimus, addit, majores ſuos, ſublato inter Palæſtinam & Æthiopiam per mare rubrum commercantium ſtudio, maritimas oras & urbes negotiantibus opportunas reliquiſſe, atque ſolitudinem Æthiopiæque partes interiores petiiſſe g).

XII. REGES PERSARUM STIRPIS PISCHDADI *).

Res Perſarum Græci perſcripſerunt: qua autem fide, haud ſatis ſcio. Notum gentis ingenium. Docile id, & quanticumque in omni diſciplina faſti-

g) BRUCE T. I. p. 471 etc.

*) Stirps regia Perſidis ante initia Islamismi quadruplex: una Piſchdadi, altera Kiani, ter-

ſtigii capax. Sed idem leve, & ad nova accipienda fingendaque proclive. Sic imperium Cyri, quod precarium fuit, tanquam liberæ id poteſtatis memorare non piguit. Atque tantas Xerxis copias, quantas univerſa Græcorum terra capere non potuiſſet, parva Athenienſium manu profligatas fuiſſe, hoc venditare nec puduit. Loco certi auctoris rumor vagus aut laborans magnitudine ſua commentum placuit. Majori viciſſim auctoritate hiſtorici indigenæ valent. Minori vanitate hi nobis cogniti. Quibus &, quo propiora, eo compertiora tradere licuit. Neque ex iis, quæ de primordiis populi Perſici incredibiliter narrata ſunt, cetera, & quæ ejus media ſpectant, æſtimare decet. Fabuloſa eſt antiquitas, & garrula gentis infantia. Specioſis autem vera, jocoſis ſeria quædam mixta. Quibus adeo aures, animum intendere, nec injucundum, nec inutile fuerit.

Kejumert Piſchdadiæ ſtirpis parens celebratur a). Neque ante illius ætatem res mortalium regi-

---

tia Askani, quarta Sasani. Quarum prima his curis destinata. Ceteras persequi in posterum licebit.

a) Kejumert کیومرث aliis Adam v. Adami

regimine virtutis ſteterat. Magna actum feritate eſt. Cavernæ frigoris aut caloris ſuffugia: pellis velamini: victui herba fuit. Cultioris autem vitæ hic auctor. Tecta condere, veſtes conficere, agrosque colere docuit. Quomodo, qui hoſtis, duce natura, cominus & manu pulſus fuerat, accedente hujus arte, eminus & telis proſtratus fuit. Ideoque princeps ut Nimrod venator, ſic Kejumerr fundator nuncupatur b). Vixit triginta c), regnavit mille annos d): claro documento, ſuum velut Pharaonis, Ptolomæi &c., nomen gentilitium fuiſſe.

Huſchenk e) imperii hæres. Qui religionis, ut Kejumert humanitatis, conditor poſteris inno-

 tuit.

Filius Seth, aliis ex poſteris Noachi generatus celebratur. Lubb Ettavarich, Tarich Fenai, Gihan Numa.

b) Auct. cit. c) Tarich Fenai 40 *annos* habet.

d) Cod. Nas. ܓܝܘܡܪܬ ܡܠܟܐ ܩܕܡܝܐ ܡܠܟܐ ܕܟܠܗܘܢ ܐܝܬܘܗܝ ܠܡܠܟܘܬܐ ܫܢܐ *Gimuret, primus omnium rex, vixit* 900 *a.*

e) Huſchenk هوشنك filius Siameki, et nepos

tuit. Exuta æqualitate, vis & ambitio pro pudore & modeſtia inceſſerat. Mala autem cupido ut conſcientia & metu coërceretur, jure divino humanoque ſibi ſubjectos hic princeps devinxit f). Atque exinde Piſchdad (optimus g) appellatus eſt. Qui titulus etiam in ſucceſſores trtnsiit. Honeſti hæc cura: neque minor, quæ commodi fuit. Sequi armenta, pecora, ſola & rudis cogitatio fuerat. Quæ vero, & quidem, hujus regis conſilio, etiam in ſerendæ rigandæque vineæ ſtudium verſa eſt. Ita &, illius juſſu, in uſum commercii operæque ſervilis levamentum, aperire venas auri argentique, & camelum oneri adſveſacere, cœptum fuit. Triſtem vero finem ille habuit. Intentus ſacris, quæ in jugis fiebant, a Troglodytis eſt occiſus. Et criminis ultor fuit, qui ſecutus eſt. Regnavit qua-

---

Kejumerti (Auct. cit.), in Cod. Nas. زرقانو *Zarkano* appellatur.

f) Quo id exposuit, liber ex parte superstes, imperante Maamun, fuit: quem et suus Vezirus Hasan ex Persico in Arabicum vertit. Auct. cit.

g) Pischdad پيشداد proprie *præcellens beneficiis*.

quadraginta, vixit (ſua Familia) quingentos annos h).

Tahmuret i) poſthæc ſummæ rerum præfuit. Et veſtigiis, quæ ſui Huſchenk relinquerat, præclare hic inſtitit. Scilicet, ne quid contra fas & morem ſive clam ſive palam fieret, lege divina humanaque cautum ulterius eſt. Ambiguum vero, magisne imperio, quam exemplo profuerit. Sua ætate laboratum fame eſt. Et pauperibus ut princeps ſubvenit, ſic ceteri imitati ſunt. Quæ animi bona etiam ingenii decora honeſtarunt. Tirocinium, ne dicam texendi, ſed, quod infinite ſubtilius, ſcribendi poſitum fuit. Neque ipſi defuit virtus, qua barbaros, cultu aſpectuque fœdos, vicit aut fudit. Quem itaque, & quaſi Deum facerent, homines coluerunt. Ficta & conſecrata vultus ſui ſimulacra. Atque inde reges loco Numinis habere, turpis hæc ſuperſtitio originem traxit. Regnavit triginta annos k).

Gem-

---

h) Auct. cit.

i) Tahmuret طهمورث filius Huschenki. Auct. cit.

k) Auct. cit. Sed Cod, Nas. ܠܚܡܘܪܬ ܚܝܐ ܫܬܡܐܐ ܫܢܝܢ *Lahmuret* (pro Tahmuret) *vixit* 600 *a.*

Gemschid l) deinde rei humanæ arbitrium obtinuit. Nomen proprium Gem erat: fui autem perinde moris quam oris pulchritudo Schid m) cognomen fecit. Deum fola mente venerari, a principio generis humani fatis vifum fuit. Sollemne vero pietatis hic inftituit. Inaugurata foli aut igni, Numinis illuftri imagini, altaria, facrificia, fefta. Atque plurimum inde ufus. Sic enim, quæ natura divina nonnifi cogitata fuerat, quafi coram vifa eft. Et, quæ vis fua nude & fimpliciter fe rationi commendaverat, ea fub fpecie radianti fe affectibus immifcuit, animumque in omnem virtutis habitum finxit. Quo factum, ut plus boni mores, quam bonæ leges valerent. Et quoniam ingenia nec minus eligere quam diftinguere novit, nulla non ars item fe protulit. Ita annus ad lunæ curfum in duodecim menfes, triginta fingulos dierum, defcriptus fuit: diebus quinque additis, ut eorum numerus orbi folftitiali folidoque anni fpatio congrueret. Sicut & palatium,

l) Gemschid جمشيد filius Tahmureti (Lubb Ettavarich) v. ejut frater (Fenai Tarich).

m) شيد *sol, clare lucens, conspicuus.*

tium, opere mirandum, in Iſtachar, imperii ſede, conditum eſt. Quod primo anni die aditum. Et epulæ tum ac invitatio: quemadmodum & jura in commune reddita: quaſi nullo magis tempore ad læta & recta mens humana patuerit. Neque ſilentio transeundus, quo Tigris junctus fuit, pons lapideus: ingens moles, juſſu Alexandri ſoluta, ſumtu Artaxerxis revincta. Sed, quamvis egregius, felicitate corruptus hic princeps fuit. Sui tandem faſtigii pertæſum eſt. Et par divino ille æmulatus, ſe templis & effigie Numinis per flamines coli voluit. Qua vero & majori quam humana ambitione piaculum ſibi contraxit. Et, cum deeſſet hoſtis, ab amico & ſororis filio (Dahak) oppreſſus eſt n). Imperavit (ſua Familia) ſeptingentos annos o).

Dahak p), qui ſucceſſit, imperium honeſte partum male excercuit. Qui juris divini, non idem

---

n) Auct. cit.

o) Cod. Nas. ܠܦܪܝܫ ܐܡܪܝܟ ܐܠܦܐ ܫܒܥܡܐ ܘܚܡܫܝܢ ܫܢܐ *Lofresch Zisag* (hoc suum ibi nomen) *vixit* 750 *a.*

p) Dahak ضحاك i. e. *Ridiculus* hic vocatus;

idem humani vindex ille cognitus eſt. Neque alius in ſui diſſimulationem magis compoſitus fuit. Quoad privatus, obtegere ſuas libidines novit. Sed potitus rerum, in ſcelera & dedecora prorupit. Suo tum ingenio uti licebat. In bona & ſanguinem ſævitum eſt. Unde & nomen Draconis ipſi additum. Sævitiæ vero genus, ſibi ultimum, & rei publicæ prope ſupremum, hoc erat. Natus in utroque ſuo humero cancer fuerat: immedicabile malum: cui autem cerebrum humanum remedio quæſitum fuit. Igitur cæſa ingens hominum multitudo. Et, ubi capitis damnati defuerunt, etiam innocentes in victimam dati. Ubique jam pavor ac fuga: votumque adverſus ſceleratum in commune ſuſceptum. Facinus vero, quod omnes voluerunt, unus auſus eſt, Faber hic ferrarius. Qui, ſuo filio ad ſupplicium duci viſo, clamorem edidit, ſignoque (corium id ſuæ artis) ſublato, tyran-

quia non modo injustus, impudicus, helluo, mendax et inreligiosus, sed etiam deformis fuit (Lubb Ettavarich). Proprium nomen بيوراسب *Bujurasp* erat (Tarich Fenai, Gihan Numa).

rannum publicis cervicibus depulit q). Verum ſera hæc pœna. Mille annos (ſua Familia) regnavit r).

Feridun s) favore populari exactique regis odio ad rempublicam acceſſit. Et in eo oppoſitum peſſimo exemplo optimum: ſuperbiæ humanitas, luxuriæ frugalitas, crudelitati clementia, avaritiæ liberalitas, libidini continentia, ignaviæ fortitudo. Quod ægrum erat regni, ductu hujus & auſpicio, non modo convaluit, ſed etiam invaluit. Devicti hoſtes, prolati fines. Et vexillum, ſub quo deſtructa fuit tyrannis, omine eventuque fauſtum. Quocirca & gemmis magni pretii id diſtingvere, & in præſens & in poſterum ſacramento fuit. Sic etiam in pace, tanquam ad bellum, vallo foſſaque urbes ſeptæ. Communi autem ſecu-

q) Auct. cit.

r) Auct. cit. Sed Cod. Nas. ܐܣܕܗܓ ܒܪ ܐܣܦܓ ܕܒܗܪܢ ܡܬܩܪܐ ܡܪܕܝܬܗ ܐܝܟ ܬܠܬܡܐܐ ܫܢܐ *Asdabag, Bar Asfag, item Babaran vocatus, vixit* 300 *a.*

s) Feridun فريدون ex progenie Gemschidi (Auct. cit.)

curitati in hoc male consultum est. Unum reipublicæ erat corpus, & unius anima regendum. Quod tamen, pro numero filiorum, in tres partes hic princeps divisit. Neque factum ætatis discrimen. Duobus natu majoribus extrema regni cesserunt. Media, & ubi regni sedes, natu minimus obtinuit t). Nam patri, ut virtute, sic amore illi præcipuus. Hinc autem nata est, primum invidia, deinde ira, eo acrior, quia inique. Et fratricidium secutum. Quod vero fratricidarum morte expiatum fuit. Atque sic sua prole orbatus est Feridun, qui meruerat, ut numerosam haberet. Sed religionis tanta clades admonuit. Et hic princeps, ad principatum vocato Menugeher nepote u), in solitudinem se abdidit, quo longior a curis profanis, eo sacris propior. Regnavit 500 annos x). Menu-

---

t) Provincias, occidentis usque ad Euphratem et Salem, orientis usque ad Gihon fl. Tur, medias vero Persidem, Irakam et Chorasaniam Ireg obtinuit. (Auct. cit.)

u) Auct. cit.

x) Auct. cit. Sed Cod. Nas. ࡐࡉࡓࡉࡃࡅࡍ ࡁࡓ ࡈࡄࡉࡀࡍ ࡄࡅࡀ ࡀࡓࡁࡀࡌࡀ ࡅࡄࡀࡌࡔࡉࡍ ࡔࡍࡉࡀ *Feridun Bar Tehjan vixit 450 a.*

Menugeher y) domi, quam militiæ clarior fuit. Anceps (sic judicabat) Mars, & varia belli fortuna; certiora vicissim manuque in hominis posita pacis bona. Ex quo serere arbores sataque irrigare, quam provocare hostes & victorias merere, beatius ei visum est. Quemadmodum & ingenii tam civilis monimenta sui ductus aquarum & horti manent. Acies autem imperii, ut ferri, longa quiete hebescebat. Et ad bellum, cum Efrasjab, Turaniæ rege, ortum, haud plus animi, quam virium, allatum est. Quare pax petita fuit: magis necessaria, quam honesta. Et, isto fœdere, ad suos quisque penates rediit. Regnavit (sua Familia) centum & viginti annos z).

Nauder a) ad paternum, ut regnum, sic inimicum natus erat. Initæ pacis memoratæ pœnitu-

y) Menugeher منوجهر avum Feridun habuit (Auct. cit.)

z) Auct. cit. Sed Cod. Nas. ܦܫܡ ܢܪܝܡܢ ܬܡܢ ܒܪܩܘܡ ܩܪܝܢ ܠܗ ܐܬܘܪܝܐ ܚܡܫܡܐܐ ܚܝܐ *Faschem Nariman* (hoc suum ibi nomen), *quem Assyrii Barkum appellant, vixit* 500 *a.*

a) Nauder نوذر, Zab زاب, et Gerschasp

nituerat: & manus cum Efrasiab iterum conferere libuit. Strenue etiam utrimque pugnatum est. Sed victus Nauder. Et principi Turaniæ in victoriæ pretium Persidis regnum cessit. Quod autem avare, & in alieni modum patrimonii, gubernatum est. Neque satis fuit, quicquid sive hominum sive opum rapi potuerit, auferre. Etiam, quod sive structum sive satum sua sede fixum hæsit, igne & ferro vastatum est. Atque sic per duodecim annos sævitum. Longa vero servitute oppressam patriam liberavit Zal, qui fortissimus, liberatamque tuendam suscepit Zab, qui optimus Persarum cognitus erat b).

گرشاسب, ex stirpe Menugeheri generati, in Gihan Numa non memorantur. Et hæc ratio. Suo eos regno exuerat Efrasjab, rex Turaniæ. Qui itaque eorum loco rex Persidis laudatus est. Sic etiam in Cod. Nas. ܦܪܣܝܐ ܛܘܪܩܝ ܡܠܟܐ ܚܝܐ ܣ ܫܢܝܢ *Farsaje* (pro Efrasjab), *Turaki* (pro Turaniæ) rex, *vixit* 60 *a.* Qui numerus sui cujusque imperii spatio, a cit. Auct. definito, proxime congruit.

b) Auct. cit.

Zab c), dum privatus fuit, major privato visus, neque suo fastigio minor ille rex judicatus est. Quæ civitatis spolia locis munitis Efraljab condiderat, ea reperta in usum communem hic vertit. Et, quæ tributa cives ex lege penderent, ea per septem annos remisit. Quod autem ærario sic detractum, id ex suo fisco additum fuit. Sua parsimonia magnum vectigal. Sed breve suum imperium fuit. Quod octogesimum agens annum obtinuit; quod vero fessus ætate filio tradidit. Deo tum servire, quam hominibus imperare, maluit d).

Gerschasp e) parentis quam sua dominatione felicior fuit. Jure & legibus, non vi & armis, valuit. Quod autem mite ingenium ambitioni & avaritiæ Efrasiabi opportunum. Tertia vice regnum Persidis ab eo occupatum est. Eodemque actu fracta stirps est Pischdadi: quæ per tot secula incolumis & continua fuerat f).

---

c) Auct. cit. d) Auct. cit.
e) Auct. cit. f) Auct. cit.

XIII.

XIII. REGES PERSARUM STIRPIS KIJANI.

Finis regiæ ſtirpis Piſchdadi initium Kijanenſis *) fuit. Victo Gerſchaſp, qui Iraniæ princeps, in Efraſjab, qui Turaniæ erat, regnum Perſidis de integro ceſſit. Quod vero per injurias excercitum, neque hoc tempore diuturnum fuit. Fidem & animum Zal a) iterum oſtentavit. Et patriæ, ſublato ſervitio publico, libera poteſtas reddita eſt. Cujus autem ſumma in Kubad b) collata. Tantæ enim moli par ille viſus eſt. Et ipſi adjectum Kej (Maximus) prænomen. Suæ enim genti (priſcæ indolis in tantum hæc degener) tributum moribus Piſchdad (Optimus) cognomen diſplicuit. Et hoc, quod fortunæ erat inſigne, culti reges

*) Kijani كياني appellati a كي *magnus*, *excelsus*, *rex*.

a) Vide p. 210.

b) Kubad قباد ex stirpe Menugeheri. Lubb Ettavarich, Tarich Fenai.

reges sui fuerunt. Quod autem honoris vocabulum, imperante Behemen, obsolevit. Nam ex Persarum lingua veteri, quæ huic principi in fastidio fuit, id petitum. Quod tamen Kejkubad licenter non usurpavit. Quanto major, tanto & melior ille cognitus est. Patuit terminus Turanensi atque invido regi: & sæpius ex Iraniæ agris præda hominum pecorumque rapta fuit. Quæ vero hostilis libido ut haud minus flumine quam acie coerceretur, limes imperii Gihon constitutus est. Et quia, ut non arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis parari potuerunt, viritim & pro habitu pecuniarum, hic princeps censum instituit. Sic etiam, ut & copia commeatus fieret, nec agri colendi hortamina defuerunt c). Regnavit (sua Familia) centum & viginti annos d).

Kej.

---

c) Auct. cit.

d) In Lubb Ettavarich 100 a. Sed in Cod. Nas. ܐܓܒ ܡܠܟܐ ܒܪ ܒܘܪܙܝܢ ܡܠܟܐ ܐܚܐ ܠܫܢܘܬܐ ܫ ܫܢܝܢ *Agab* (hoc ibi nomen) *rex, filius Burzini regis, regnavit 300 a.* Qui vero in hoc libro regibus Kejkaus et Kejchosru per errorem, me judice, postpositus fuit. ܐܚܐ pr. *edit.*, tr. *vixit*, ut antea datum, melius vero *regnavit* redditur.

Kejkaus e), qui ſucceſſit, varii ingenii princeps. Et incertum, magisne improſpere, an ſtulte egerit. Plus caſui, quam rationi, tributum eſt. Duplex bellum ambitioſe, unum cum Turaniæ, alterum cum Arabiæ rege ſuſceperat. Quo autem utroque, inconſiderate geſto, captus eſt. Neque eum prudentiorem hæc calamitas fecit. Nam factus ſui potens, etiam hoc ſui ludibrium edidit. Voluit, parata arculâ junctisque avibus, ſublimis abire. Quam vero temeritatem fortuna deprehendit. Et præceps in caſum datus eſt. Sed ſua audacia virtute aliena penſata eſt. Siauſch, ſuus filius, filiæ Efraſiabi nupſerat. Sed frati illius regis hic inviſus, nexo dolo, cæſus eſt. Cujus vero cædis, quieſcente patre, Ruſtem, dux ſuus, nec ſine totius Iraniæ funeſta clade, ultor fuit. Regnavit (ſua Familia) centum & quinquaginta annos f).

Kej-

---

e) Kejkaus كيكاوس, Kejkubadi filius aut nepos. Auct. cit.

f) Auct. cit. Cod. Nas. ܘܩܘܩܘܒܘܣ ܡܠܟܐ ܐܚܪܢܐ ܢܡܘܣܐ ܘܡܠܟ ܗܘܐ *Kajkubus rex regnavit* 503 *a.*

Kejchosru g), Siauschi memorati filius, in avitum regnum arcessitus fuit. Verum turbis, civilibus, externis, ille agitatus. Primum cum Ferbiro, Causida potente, de imperii jure certatum est. Et id quidem fortunate. Sed ambigue de eo tuendo cum Turaniæ principe concursum. Pax demum hoc pacto convenit. Electi duodecim juvenes: quorum virtute, sine multo sangvine, tanta lis componeretur. Victi Turanii. Persis vero victoribus haud longa quies fuit. Efrasiab, recenti strage perinde quam veteri odio stimulante, arma resumsit. Sed, manibus consertis, inclinata sua acies: & exspirans ipse cecidit. Hæc foris gloria: neque minor, quæ domi parta est. Et quæ virtutum in hoc principe concordia fuit, altioris quam humanæ indolis suæ fidem fecit. Consecrata ejus memoria. Neque in sacris Persarum monumentis aliud nomen illustrius est. Regnavit sexaginta annos h).

Loho-

---

g) Kejchosru کیخسرو Auct. cit.

h) Auct. cit. Cod. Nas. ࡊࡀࡉࡊࡀࡎࡓࡀࡅ ࡁࡓ ࡔࡉࡀࡅࡉࡔࡀࡍ ࡀࡌࡋࡀࡊ ࡔࡉࡕࡉࡍ ࡔࡍࡉࡀ *Kajkasrau bar Sejavischan regnavit 60 a.*

Lohorafp i) ex teftamento (nam orbus nato Kejchofru deceflerat) fecutus eft: fed cum procerum, fplendore natalium principes comparantium, invidia. Quæ tamen arte imperandi fuperata eft. Libertati fubditorum delectu militum huc usque imperatum erat. Quod vero obfequium fervile fublatum fuit: re equeftri & pedeftri inftituta. Et fuo cujusque arbitrio facramentum militiæ permiffum. Quo factum eft, ut, quomodo libentius, fic etiam conftantius pugnaretur. Tam bene rei publicæ ratio fubducta fuit: quæ vero privatæ, ea male inita. Ad culpam beneficus hic princeps innotuit. Et gratiæ plus, quam neceffitudini ille dedit. Quod vero fuum & minus, id non fine gravi offenfione Gufchtafp filius accepit. Et, juncta cum Græcorum rege, primum amicitia, deinde affinitate, jus fuum armis exfequi ftatuit. Sed infefte contendenti infignia imperii obviam mifit pater, corpore præ ætate non confiftens. Animum deinceps religione Numinis hic fuftinuit. Sed vita per Ergjafp, Turaniæ principem,

i) Lohorasp لهراسب, ex stirpe Kejkausi. Tarich Fenai.

pem, ſubdole ademta eſt. Regnavit (ſua Familia) centum & viginti annos k).

Guſchtaſp l) inter bona & mala mixtus fuit. Viguere ſuo tempore ſtudia. Nam ſtudioſos amavit. Et ingenia ſe protulere. Notum eſt, quanti Zoroaſtrem fecerit. Cujus & ſacramento ipſe imbutus, imbui etiam alios juſſit. Ita & opus auſu & effectu arduum, ſua ætas vidit. Munimentum imperii & murus, cxx paraſangarum ſpatio, inter Iraniam & Turaniam ductus fuit. Sed inhumana ſua ambitio. Vindictam ſui parentis occiſi Lohoraſp ſuus filius Esfendiar ſuſceperat. Qui autem, & per invidiam ſtruente ipſo patre, certans fortiſſime cum Ruſtem occubuit. Neque crimen, cujus pœnam conſcientia hic Cæſar luit, ſera pœnitentia & nepotis Behemen adoptione expia-

k) Auct. cit. Cod. Nas. [illegible] *Lohorasf rex regnavit 265 a.*

l) Guschtasp [illegible]

piatum eſt. Regnavit (ſua Familia) centum & viginti annos m).

Behemen n) & militari & civili laude floruit. Mortem patris ulciſci, prima principatus cura fuit. Cum vero a Ruſtem, qui eum interfecerat, ſed qui vim ultoris latebra putei vitaverat, repeti pœna non poſſet, hujus filius in crucem actus eſt Provinciis deinde viros, non peccaturos, præponere, regiminis cura hæc proxima erat. Neque gratis hi peccabant. Sic Nebukadnezaris filio, ſuperbo & ſævo, imperium, quod precarium fuit, ademtum eſt. Et Cyro id oblatum. Quod vero beneficium illius non ſolum virtuti, ſed etiam generi ſtetit. Etenim mater tam Behemenis quam Cyri ab origine ſtirpis Judaicæ generata erat. Et utraque, una apud Perſidis Cæſarem, altera apud Babyloniæ Regem, quomodo ad hujus ſui popularis dignationem, ita etiam ad captivi ſui populi liberationem, gratia & auctoritate plurimum

m) Auct. cit. Cod. Nas. [illegible]
[illegible]
Guschtasf bar Lohrasf regnavit 14 *a.*

n) Behemen بهمن, filius Esfendiari. Auct. cit.

rimum valuit. Sed quod mirum, successor imperii adscitus fuit filius, non Susan, qui natus, sed Darab, qui conceptus erat. Atque sub tutela suæ matris (hæc Homai o), eademque Behemenis filia), regnum paternum puero incolume mansurum. Regnavit (sua Familia) centum & duodecim annos p).

Fidem vero mulier fefellit. Et plus ambitio matris, quam voluntas patris, aut nexus sangvinis valuit. Editus partus est. Qui autem, parentis suæ jussu, in aquam profluentem missus, sed forte casuque a fullone repertus & educatus fuit. Nomini Darab q) hæc origo. Verum, ut regiæ stirpis, ita nec servilis indolis adolevit. Cujus & documenta in bello cum Græcis gesto data. Quibus

---

o) Homai هماي.

p) Auct. cit. Cod. Nas. ܐܝܟ ܡܢ ܐܣܛܘܪܝܘܢ ܐܕܫܝܪ ܗܘ ܡܠܟ ܡܐܐ ܘܬܪܬܥܣܪ ܫܢܝܢ *Adschir* (i. q. Pers. درازدست *Longimanus*, Behemenis ob magnam potentiam cognomen. Tarich Fenai) bar Esfendiar *regnavit* 112 *a.*

q) Darab داراب ex دار *tenens, socius,* et آب *aqua.*

bus vero auditis, mentem reginæ facti memoria tetigit. Et comparando ætatem habitumque suam prolem ea agnovit. Animum tum amor imperii, amor filii versabat. Qui autem filii erat, vicit. Et jure imperii tituloque ipsi reddito, Numini in securo sanctoque secessu, quam generi humano in summo honore & periculo vivere præoptavit. Regnavit triginta duosque annos: & quidem ita, ut ab hac femina vir princeps regnandi exemplum capere potuerit r).

Darab ut in pace, sic in bello enituit. Domitæ gentes, & vectigales facti reges. Sic etiam Philippo, Macedonum principi, injunctum quoque tributum fuit. Et mille aureorum id ovorum: quod pacis vinculum foret. Sed fides futuræ amicitiæ ut arctius sanciretur, publico ejus fœderi junctum domesticum est: filiâ in matrimonium principi Persarum data. Quæ autem (grave olebat spiritus) mox remissa; tamen ea gravida. Et natus est filius: qui Alexander appellatus, rex Macedoniæ, ut Dara, ex alia memorati Cæsaris con-

r) Auct. cit. In Cod. Nas. hæc non memorata.

conjuge ſuſceptus, rex Perſidis creatus fuit. Regnavit Darab duodecim annos s).

Dara t) patri utrimque diſſimilis, hinc avaritia & ſævitia, illinc inertia & luxuria fuit. Quapropter odio civibus, contemtui hoſtibus ille habitus eſt. Ita vim auri, cujus mentio facta eſt, ab Alexandro ex pacto flagitans, hoc reſponſum tulit: "quæ ova aurea peperit, avis ſuo ex nido "alium in orbem volavit." Atque orto exinde bello victus & fugatus, non hoſtium, ſed amicorum (hi duo ſui duces) manibus fataliter vulneratus eſt. Morientis vero ultimæ, neque eæ degeneris animi, fuere preces, "ut Alexander, ſua filia "conjuge ducta, tantum ſcelus in ipſius auctores "vindicaret, & Perſas ut ſuos cives ſuſciperet & "regeret." Neque hæ infelices. Quæ ſancte ab Alexandro obſtricta fuit, fides etiam ſervata eſt.

Regna-

---

s) Sic Lubb Ettavarich. Sed Tarich Fenai 50 *v.* 60 *a.* habet.

t) Dara دارا.

Regnavit quatuordecim annos u). Hunc finem ſtirpis Kijani imperium habuit.

XIV. EXCIDIUM BABYLONIS A XENOPHONTE ILLUSTRATUM.

§. I.

Antequam ultima Babylonis perſequar, ſi quædam, quæ prima ejus & media ſpectant, tradiderim, nihil a re alienum me facturum arbitror. Originem Chaldæorum, qui hanc urbem ſua & fama & clade nobilitarunt, ſi ſpectes, ea non fuit orientalis, ut volunt quidam; ſed ſeptentrionalis & quidem ſita ad Armeniæ juga, paſtoribus læta paſcua,

u) Auct. cit. Cod. Nas. [illegible] *Turajtasch* (regi utrique, Darab et Dara, commune, opinor, hoc nomen) *regnavit* 80 *a.*

ſcua, & latronibus tuta refugia. Si vivendi rationem conſideres, illos, non honeſtis conſiliis juſtisque factis inclaruiſſe, ſed vicina remotaque loca invadendi, & aliena atque ampla patrimonia eripiendi libidine innotuiſſe videbis. Cum autem ſæpius, ut credere licet, aliis ducibus, tum numeroſius ductu Nabuchodonoſoris, novas ſibi ſedes & prædandi occaſiones quærendo, in Babyloniam, magnæ amœnitatis & fertilitatis regionem, delati ſunt, & ipſam Babylonem, ingentis imperii futurum domicilium & nomen, expugnarunt. At vero hanc gentem, quæ Cyri etiam temporibus in Armeniæ montibus ſuperſtes, metum & vaſtationem circumjectis populis ferebat, hic princeps magno prælio vicit; quæ victoria velut omen triumphi, quem de Chaldæis etiam Babyloniis mox deportavit Cyrus, accipi poterit. Male enim parta male dilabuntur. Quocirca nec Chaldaicum Babyloniæ imperium, utpote vi & injuria quæſitum & auctum, diuturnum fuit; ſed immigrante luxuria, & perdendi libidine, quam pereundi neceſſitas ſecuta eſt, in Perſas ceſſit a): qua autem via & ratione,

a) Dissert. de Chaldæis septentrionalis originis.

tione, in hoc opere differetur, paucis de ipsa ejus sede præmissis.

§. II.

Babylonis, antiquissimæ, amplissimæ & pulcherrimæ urbis, tres memorantur conditores, aliis primordia illius ad Nimrodum seu Belum, ad Semiramidem aliis, aliis ad Nabuchodonosorem referentibus b). Quas sententias facile inter se conciliaveris, si illum Babylonem condidisse, istam amplificasse, & hunc restaurasse & ornasse, dixeris. Sexaginta millia passuum amplexa fertur, muris ducenos pedes altis, quinquaginta latis, ut quadrigis inter se occurrentibus liber pateret meatus c): cui autem magnitudini, quam alii augent, alii minuunt, ex suo quisque judicio & examine fidem addat vel demat. Fossæ præterea spatiosæ & profundæ, cocto latere & interlito bitumine structæ & vinctæ, parata exundantis Euphratis receptacula, urbem ambiere. Tectaque trium vel qua-

b) Gen. X. 10. Eusebius in pr. Chron. Hieron. c. 2. Herodot. lib. 1. Diodor. 2. 7. Strab. lib. 16. Dan. c. IV.

c) Plinius lib. V. c. XXVI.

quatuor tabulatorum, non connexa & cohærentia, fed fpatio circumdata fuerunt, five adverfus cafus ignis remedium, five ferendi colendique curâ, ut, externa vi ingruente, magna fieri poffet fementis, folatium obfidionis. Quapropter cum Cyrus Babylonem, quam armis capere defperabat, fame debellare tentaffet, hoc confilium ftudiumque Babylonii, quibus in parato commeatu & ipfius urbis folo fpes & fubfidium erat, ludibrio habuerunt. Majeftatemque & robur item urbi addiderunt, Beli templum, folida turri, in medio facro pofita, eminens, regium palatium, & duæ arces, ingenti ambitu & mirabili opere. Ut & magnus ufus erat ex ponte immenfi laboris, quo duæ urbis regiones, interfluo Euphrate diremtæ, jungebantur: nec minor fecuritas ex crepidinibus magnæ molis, quæ ad excipiendum fluminis impetum appofitæ erant. Mirandaque demum naturæ imitamenta fuerunt horti penfiles: qui proceritate arborum & umbra amœni, teftudinibus fe invicem paullatim ad muri usque faftigium fuccedentibus innixi, lapideo pavimento, altæ terræ & irrigui humoris patiente, ftrati, & fuftinendo nemoris ponderi pares, pro-

cul

cui visentibus theatri adspectum præbuerunt d). Alia Babylonis opera, miræ artis documenta, & memoratu digna, silentio præterire licet.

§. III

Nihil autem opere aut manu factum est, quod non ferro & viribus frangi, vel vetustate confici possit. Florentibus civitatibus domestica vitia & externa arma exitium moliuntur. Exemplo nobis erit Babylon: quæ quo altius per victorias & opes elata fuit, eo gravius per voluptates & crimina corruit. Nulloque unquam tempore magis probatum est, Deo non esse curæ perpetuitatem ambitiosæ & impiæ gentis, esse ultionem. Nec defuerunt homines, divino spiritu tacti, qui futuram Babylonis obsidionem & ruinam ita augurati sunt, ut eam velut factam descripsisse videantur: claro documento, hos vates supra hominem sapuisse. Jesaias hæc oracula edidit e): "In monte edito tollitur signum, tumultuosus

---

d) Herodot. lib. I. Diodor. lib. II. 8. Xenoph. Instit. Cyr. lib. VII. Plin. lib. VI. 26. Curt. lib. V. 1.

e) Cap. XIII. 1, 4, 10, 11, 17, 18, 19. XXI. 2, 5, 9.

"fus audltur fonus, qualis eft ingentis populi, fo-"nus ftrepentium regnorum. Gentibus coeuntibus "Jehova Armipotens recenfet militares copias. "Veniunt ex remota terra, ab ultimo cælo, Jeho-"va, ejusque fævitiæ inftrumenta, ad omnem ter-"ram vexandam. Cœleftes ftellæ & fidera non "nitent fuo lumine, fed in ortu fuo fol caligat. — "Ego in eos excitabo Medos, eritque Babylon, "regnorum ornamentum, Chaldæorum fublime de-"cus, qualis Sodomæ & Gomorræ ruina. — Pro-"ficifcere, Elam: obfide, Mede. — Inftruunt (Ba-"bylonii) menfam, difponunt præfidium, edunt, "bibunt. — Ecce veniunt hominum currus biju-"ges, equites: cadit, cadit Babylon, inquit." Similia & æque gravia Jeremias f): "Adducam in Babylo-"nem magnarum gentium catervam ex aquilonari "terra: — quarum fagittæ tanquam periti militis. "— Inftruite in Babylonem circumquaque aciem, "omnes fagittarii, jaculamini in eam, nihil par-"centes fagittis: — exftirpate fatores, & falcibus "tempore meffis utentes. — Veniet ab aquilone magna

---

f) Cap. L 9, 10, 14, 16, 41, 42. LI. 11, 12. 27, 28, 30, 31, 32, 39.

"magna gens, & potentes Reges, ex ultimis terra-
"rum oris exciti, arcus & hastilia tractantes, ritu
"maris, strepentes, vecti equis, adversus Babylo-
"nem acie instructi. — Acuite sagittas, replete
"pharetras: excitavit Jehova Medorum Regum
"spiritum; quippe cum Babylonem perdere in
"animo habeat. In Babylonis muros signum ex-
"tollite, custodiam firmate, insidias componite. —
"Efferte vexillum per orbem, clangite tuba per
"gentes, destinate adversus eam gentes, evocate
"contra eam regna Ararat, Minni & Askenas" (i.
e. Cordyæos, ad Tigrim in Armeniæ, Assyriæ &
Adiabenis confiniis versatos, Armenios, a Cyro
primum victos, & deinde in Babylonica expedi-
tione ejus socios, & Phryges, itidem Cyri in eo-
dem bello comites) g). — "Parate adversus eam
"gentes, Mediæ Reges, duces, prætores omnes,
"omnemque illius imperii terram. — Desiere Ba-
"bylonii fortes pugnare, confidentes in munitioni-
"bus, amissa virtute effeminati, incensis habitacu-
"lis, refractisque claustris. Occurrit cursori cur-
"sor,

g) Bochart. Geograph. S. L. I. c. 3. Xenoph. Instit. Cyr. lib. III.

"ſor, & nuntius nuntio, ut nuntiet Babyloniæ Re-"gi, urbem undiquaque eſſe captam, occupatos "trajectus (Euphratis), ſtagna (arundineta) incenſa, "militesque perturbatos. — Hos (Babylonios) con-"vivio calefaciam & inebriabo, ut exſultent, at-"que ita ſomno ſopiantur æterno."

§. IV.

Tot tantisque præſagiis, triſtibus, manifeſtis, fidem & auctoritatem addit Daniel, ſacer ſcriptor h). Belſatzar, Evilmerodachi filius, Nabuchodonoſoris nepos, exteris Nabonidus dictus, ſuis proceribus lautam fecit cœnam: quæ ſi ad illius luxuriam & magnificentiam, qua Ahaſverus magnates & ſubditos ambitioſe excepit, compoſita fuerit, poculis aureis, ſubinde mutandis, regium potabatur vinum in ampla aulâ, ubi carbaſea & hyacinthina vela, lineis & purpureis intenta funibus, per argenteas trochleas de marmoreis columnis pendebant, & lecti aurei argenteique in ſolo marmoreo & ſpeculari collocati erant. In has vero prodigas epulas ſacra etiam vaſa, quæ illius Avus ex templo Hieroſolymitano deportaverat, proferri juſſit, crimine ſa-crile-

h) Cap. IV.

crilegii ad ebrietatis vitium addito. Sed inter frequentia pocula & patria carmina, peccantium illecebras, Deorum laudibus mistas, visa est manus humana, quæ, ipso Rege inspectante, in palatii pariete scripsit hæc arcana: מנא מנא תקל ופרסין MENSUS EST, MENSUS EST. PONDERAVIT ET DIVISIT: quorum sententia, interprete Daniele, clara: "Mensus est Deus tuum Regnum, idque consummavit: "ponderatus es in trutina, & inventus levior: divisum est tuum Regnum, & Medis Persisque "traditum." Ominis fides ex eventu. Eadem nocte, qua prodigium illud visum & explicatum erat, occisus est Belsatzar, Chaldæorum Rex, ejusque Regnum occupavit Darius Medus, exteris Cyaxares, Ahasveri seu Astyagis filius, socio & administro Cyro, sororis Mandane filio & Babylonis expugnatore.

§. V.

Modum vero tantæ victoriæ diligenter exposuit Xenophon i). Cyrus, variis gentibus vel diffidentibus ad concordiam, vel repugnantibus in obsequium redactis, ingentem exercitum, equitibus, sagit-

i) Instit. Cyr. lib. VII.

ſagittariis, jaculatoribus & funditoribus miſtum & bene compoſitum, ad mœnia Babylonis duxit. Sed altitudinem firmi muri & profundi amnis latitudinem ex propinquo contemplatus, animum huc & illuc ſpe & metu victoriæ verſabat. Quod autem non valuerunt vires, valuit ratio. Relicto ab Euphrate intervallo, quantum propugnaculis, & turribus, excubiarum locis, ſufficeret, foſſam circa muros undique egit. Sed Babylonii, copioſi commeatus ſuique munimenti nimia fiducia, & Phrygum, aliorumque quos Cyrus ſibi ſocios junxerat, præſumta perfidia, hanc obſidionem irridebant, immemores, inconſtanti fortunæ non temere fidendum eſſe, ſed agendum cum ea caute & ratione, maxime dum quid imminet adverſi. Cyro autem ſilentium & conſilium. Qui non minus tempus, quam locum inſidiis circumſpiciens, & feſtum diem, quo epulis & comeſſationibus, præcipuis humanæ perniciei cauſſis, per totam noctem indulgere Babyloniis mos erat, Babyloni expugnandæ maxime opportunum ratus, caſtra tum ad urbem movit, &, ductarum oſtiis foſſarum apertis, fluvioque in ſtagna & paludes revocato, alveum illius pervium reddidit. Quo facto, & cum hortando ſub-

jecis-

jecisset, "urbem somno & vino sepultam esse, "tecta atque vestibula crematu facilia, januis ex "palma factis & bitumine inunctis; Persis autem "faces ad incendium, & picis ac stupæ copiam ad "flammam suppetere," animum & arma sumserunt milites, & Euphratem tuto vado transgressi, Babylonem incautam noctis silentio invaserunt. Ibi tum cædes, non pugna. Babylonii enim cibo vinoque repleti, & miraculo novæ rei attoniti, in certamen plus trepidationis quam virium tulerunt. Eosque, quæ & unde vis esset ignaros, in fugam & salutem alios, alios in ipsum hostem & cædem compulit pavor. Clamor undique ortus: cui congruens etiam ab hostibus per fraudem, quasi & ipsi comessationis socii essent, addebatur. Sic Persæ, nullo resistente, ad Regiam pergunt: quam clausam inveniunt. Cæsis autem custodibus, qui ad magnum ignem pocula exhauriebant, & portis jussu Regis, qui externi caussam strepitus noscere cupiebat, extemplo apertis, intro fugientem & perculsam turbam secuti, ad ipsum regem perveniunt, quem & stricto acinace stantem obtruncant. Qui autem arces tenebant, comperto cum prima luce, non modo urbem captam, sed etiam regem, ultimam

mam Chaldaici nominis spem, occisum esse, & ipsi se dederunt. Hinc Persis imperium orbis terrarum, & Babyloniis servitium excidiumque, qui nisi oculis & auribus per crapulam capti fuissent, hostem facile obruissent. Obseratis enim omnibus ad flumen portulis, murisque conscensis, ipsi pro ripis stantes, Persas in medium fluminis alveum progressos velut in cavea excepissent. Urgente autem fato, qui mediam urbem colebant, ex improviso oppressi sunt, extremis propter illius magnitudinem inscientibus k). Ita Cyrus munitissimam & amplissimam orientis urbem consilio magis, quam virtute cepit.

§. VI.

Babylon sic de suo gradu dejecta, quo longius, eo magis in præceps data est. Darius mœnibus detraxit: Xerxes templum Beli evertit: Macedones suam Seleuciam, senescentis Babylonis æmulam & futuram destructricem, ad Tigrim condiderunt. Quibus factis, ætate Strabonis major Babylonis pars deserta erat, & Pausaniæ tempore

k) Herod. lib. 1.

nihil præter muros reliquum ea habuit l). Præsenti ævo ne nomen quidem superstes: nec locus satis certus. Sitam tamen fuisse in Irakæ Arabicæ provincia Helle, & quidem ubi oppidum ejusdem nominis jacet, ad fidem maxime pronum est. Nam præterquam quod hæc regio hodie etiam Ard Babylon i. e. terra Babylonis appellatur, & jurisdictionem Nimrud vocatam habet, oppidum illius Helle, quod ab Helle ben Mezid, ejus conditore, suum nomen ducit, in ripa Euphratis ab occidente positum est: qui amnis hoc loco circiter 400 passus in latitudinem patet, & pontem ex duabus & triginta naviculis, sibi invicem per catenas conjunctis, factum habet. Adhæc in hujus oppidi circuitu multa exstant rudera, dirutæ Babylonis haud ambigua signa, minime tamen cum iis, quæ in Ægypto & Persia videntur, comparanda. Et quoniam in illius confiniis, paludosis locis, nulla cæsi saxi copia ne dicam nota est, verisimile videtur, Babylonem latere coсto & cæmento conditam fuisse. Nec prætereunda sunt duo alia rudera, exiguo ab Helle intervallo remota: quorum unum est tumulus integer, coсto latere factus, & indicium super-

l) Cellarii Orbis Antiquus T. II. p. 632, 633.

ſuperſtructæ turris, quam indigenæ palatium fuiſſe Nimrodis credunt; alterum colles perfoſſi, coćto etiam latere, hodiernis adjacentium pagorum incolis parata ædificii materia, conſtantes, ab utraque Euphratis ripa obvii, & antiquis arboribus paſſim discreti, quos hortorum penſilium reliquias eſſe, facile quis ſibi perſuaſerit m). Sic Babylon, magnum utriusque fortunæ exemplum, vi & vetuſtate deleta eſt, & divinis præſagiis, per ſæcula repetitis, ſua veritas conſtitit.

XV. DE ALEXANDRO, DARII FILIO.

Hiſtoria, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis eſt.

CICERO.

Non dubito, fore multos, qui ea, quæ Perſarum ſcriptores de origine Alexandri tradiderunt, fabuloſa,

m) *Niebuhrs* Reiſebeſchreibung 2 B. p. 287 —

sa, nec fide nostra satis digna judicent. Nova enim hæc, & Græcis Romanisque incomperta fuerunt. Sed hi erunt, qui nescient, ambitiosis his gentibus in earum, quæ eis subjectæ aut invisæ erant, memoria componenda, veri & falsi discrimen satis curæ non fuisse. Sic Corn. Tacitus, alios ut taceam, cum populi res Judaici narraturus, Josephi libros, qui sua ætate non rari erant Romæ, consulere posset, incerta & vulgo credita ab externis scriptoribus, quam vera & probata ex domestico haurire maluit. Atque ex simili incuria aut contemtu origo fuit multis erroribus, quos antiquitas peperit & recentior ætas cumulavit. Itaque quomodo Græcis & Romanis non addenda, ita Persis non demenda omnis est fides, ubi de hujus populi rebus gestis sermo est. Neque minus incongruum foret, quæ sui monumenta iste reliquit, ea omnia pro corruptis, quam ea singula pro incorruptis habere. Æstimantium integrum est judicium. Non injucundum certe erit, quæ dis-

---

290. Gihan Numa, Geographia Orientalis, quam e Turcico in Latinum translatum edere cœpi.

disjunctissimæ nationes de se ipsæ tradiderunt, ea noscere, neque inutile, quæ verisimilia fuerint visa, meminisse. Ut autem quid Persis de stirpe Alexandri, quem Eskender vocant, persuasum sit, non ex parte, sed totum intelligatur, ab ultima sua origine eam paucis repetere licebit.

Ferunt indigenæ a), inter regum, qui eis imperitarunt, prosapias antiquissimam esse Pischdadensium (پیشدادیان), quibus hæc appellatio propter præclaram eorum indolem addita fuit b). Sic Kejumerth (کیومرث), cognominatus Gylschâh, (گلشاه) i. e. Rex Roseus, qui primus eorum om-

a) Auctores, quos in conscribendo hoc libello sequi mihi licuit, Orientales sunt. Et nomina, unius *Lubb It Tavarick*, historia ex Persico in latinum versa, et libro qui inscribitur: *Magazin für die neue Historie und Geographie von D. Busching*, inserta: alterius *Tarich Fenaji*, et tertii *Gihan Numa*, utriusque Turcice editi, mihique inde Latine, quantum ad pleniorem argumenti nostri notitiam pertineret, dati.

b) Vi suæ originis significat hoc vocabulum *beneficentia eminentes*.

omnium fuit, cum veſtitui pelles, & cubile humus aut cavernæ eſſent, urbes ædesque condendi artem docuit. Et quomodo Huſchenk (هوشنك) fama ſapientiæ & juſtitiæ c), ſic Tahmureth (طهمورث) fortitudinis & belli gloria floruit d). Nec minori laude de ſecretis & ingenuis artibus, quæ ad vitæ humanæ neceſſaria aut commoda pertineant, meruit Gemſchid (جمشيد), illud nomen propter corporis dignitatem & oris venuſtatem adeptus e). Et Feridun (فريدون) ut longe a vitiis fuit, ita etiam remedia adverſus mortifera invenit f). Stirpis autem ut Piſchdadenſis ultimus fuit Kerſcháſp (كرشاسب), melior quam felix

c) هوش Husch Persice est *intelligentia, judicium.* Præcepta boni moris et regiminis hic composuisse dicitur.

d) Armorum inventor et Dæmonum victor hic celebratur.

e) جمشان proprie notat fulgorem lunæ. Fodiendi ferri hic auctor memoratur.

f) E. g. theriacam advertus viperinos morsus. Et memorabile hoc ejus dictum celebratur:
Vestrorum est operum mundus pulcherrima charta,
Pulchra ergo memores, scribere facta decet.

lix princeps, quippe cum ab Efrasiab, primum Turcarum in Turan rege, deinde Persarum in Iran tyranno, oppressus sit, ita Kijanensis (كيانيان) dictæ primus innotuit Keikubád (كيقبان), qui auxilio Rustemi, celebrati herois, sæva tyrannide patriam liberavit. Degeneravit vero ejus filius aut nepos Kejkaus, (كيكاوس) (de hujus tamen patre dissentiunt auctores), qui sæpius propter impudentiam victus, eo tandem dementiæ processit, ut avium quatuor scrinii angulis junctarum ope sublimis abire vellet. Et illam temeritatem fortuna deprehendit; præceps enim in terram cecidit. Quod autem natura isti principi detraxerat, id nepoti Kejchosru (كيخسرو) cumulate dedit; hic enim & ingeniosus & fortunatus fuit. Atque Principum Kijanensium ut propter victorias, quas de Persarum metuendo hoste Efrasjáb reportavit, maximus, ita propter virtutes, quibus sanctissimos Dei vates æquavit aut superavit, optimus ille appellatus est. Et supremum post fatum etiam suis subditis hic profuit. Sui enim successorem Lohorásp (لهراسب) elegerat: quæ tamen electio propter minorem hujus viri nobilitatem

popu-

populo diſplicuit, mox autem, & cognita quæ illius erat ſumma imperandi arte, conſenſu & prædicatione monſtrata eſt. Civilis etiam ingenii veſtigia ſunt reperta in Guſch'áſp (كشتاسب), ejus filio, qui, ut Perſis meliora de ſacris perſvaderet, ad religionem & doctrinam Zoroaſtri, tunc temporis in medium progreſſi, ſua ſponte acceſſit g). Et par nepotis Behemen (بهمن) in profanis fuit fama. Victricia enim arma longe lateque per gentes & regiones circumtulit: unde cognomen Dirazdeſt (درازدست) i. e. Longimanus ei tributum fuit. Diem vero ſupremum hic obiturus, filiam ſuam Hamaj, ſingularis prudentiæ compertam, & illo tempore gravidam, juſſit, ſtirpi ſuæ virili avitum regnum tueri. Quod tamen ei incolume non ſtetit. Cum enim partum edidiſſet, amori prolis cupido dominationis prævaluit, & puer arca conditus in profluentem aquam miſſus eſt: quem vero quadam forte divinitus inventum fullo ſuſtulit, nec aliter ac ſuum ſangvinem fovit, indito ei nomine Darab (داراب) i. e. in aqua Repertus. Hic ita genitus, ita educatus, quum

g) Vide Diſſert. de Zoroaſtro Bactriano.

quum primum adolevit ætas, arti equestri operam dare cœpit. Et sciscitanti de sua stirpe (erecti enim ingenii erat) rem tandem aperuit fullo, qui etiam gemmas, in illius receptaculo repertas, nec dum in illius educationem erogatas, obtulit. Neque hoc pretium in desidiam aut lasciviam versum est; sed noscere, cui se vindicaverat, artem, eaque excellere, juventæ honos & cura fuit. Quo factum est, ut belli adversus Græcos feliciter gesti gloria, consentienbus omnibus, in hunc potissimum cesserit. Neque hæc inanis. Homai enim, cum quæ de eo dicebantur audisset, comparando juvenis ætatem, tempus, quo expositus fuerat, & ipsam minime servilem indolem, agnovit filium, & arbitrio populi in eum delato, solitudini & pietati se commisit. Nec consilii eam pœnituit. Quam enim personam Darab privatus, eam regnans quoque gessit, utrimque egregius, domi consiliis, foris armis præstans. Documento fortitudinis fuit bellum cum Macedone ortum, quo Philippus inferior excessit, pace tamen impetrata, sed sub hac serviendi conditione: "ut sibi filiam in "matrimonium daret, & mille ova aurea, singula "pondere sexaginta drachmarum, quotannis solveret."

 Hoc

Hoc pretio sine sanguine victoria stetit. Diuturnior vero argenti quam mulieris usus fuit. Hæc enim domum propter oris graveolentiam remissa est, tamen prægnans, & genitura Alexandrum h). Quem autem ut in sui jus imperii Philippus, sic illius fratrem Dara, (دارا) i. e. Darium Codomannum in dominationis Persicæ hæreditatem Darab adscivit. Sed inter principes, quos natura tam arcte conjunxerat, orta est primum discordia, mox pugna: & causa fuit, quod imperatum vectigal Græcus, sive ex suo ingenio, sive, ut alii ferunt, alieno impulsu traductus, Persæ ex fœdere solvere noluit. Scilicet pro re hæc verba sunt data:

---

k) *Cette Alexandre* (inquit D'Herbelot in Bibliotheca sua Orientali) *est communement apellé fils de Philippe, quoi qu'effectivement il fut fils de Darab fils de Bahaman, c'est a dire de Darius, qui avoit eposé la fille de Philippe de Macedoine, et qui la renvoya a son pere, quoi qu'elle fut deja grosse de lui, à cause de la puanteur de sa bouche qu'il ne pouvoit souffrir. Cette femme accoucha d'un fils de Darius, dans la maison de Philippe, qui fit elever l'enfant comme s'il eût eté son propre fils; c'est pourquoi le surnom de fils de Philippe lui demeura.*

data: "Avis, ovum illud pariens, ſuo nido evola- "vit. Illius itaque cupiditatem Dara ſuo animo "eximat." Ira inde Perſarum regi: qui autem ultionis ſecum ultorem tracturæ avidus, dum alteri noceat, in ſua tela irruit. Cum enim copias in aciem educeret, qui dextro & ſiniſtro cornu præerant ex Hamdan Duces, ii ſuo regi propter ſævitiam jampridem infeſti, aut, quod etiam traditur, a populo rogati, ex compoſito eum hoſti vulneratum prodiderunt. Tamen læta hæc victoria Alexandro non fuit. Viſo enim fratre, in ſigna caritatis & lacrimas effuſus, teſtabatur Deos Deasque immortales, ſuo injuſſu, dolum ei ſtructum fuiſſe. Dara viciſſim genibus Alexandri advolutus petiit ſupplex, ut "filiæ ſuæ Hoſcenk nuptias "conciliaret, & in proditores ſui animadvertens, "ſuis cognatis & amicis parceret." Neque infelices hæ preces fuerunt: quod enim religioſe promiſerat Alexander, ſtudioſe etiam implevit. Et tale modo de inimicis ut Alexander victor i), ſic Darius victus triumphavit.

Hæc

---

i) Ideo Zu Elkarnejn (ذو القرنين) ab orientalibus dictus. Et ita D'Herbelot in Bioliot.

Hæc ſunt, quæ de præſenti argumento ab Orientalibus accepi, & quæ cum Græcorum Romanorumque annalibus conferre jam vellem, niſi hoc conſilium feſtinatio ſcriptoris & magnitudo voluminis ſuſtuliſſet.

XVI. DE API ÆGYPTIIS SACRO.

Conſentiunt Græci & Latini, Apin, id eſt, Bovem Ægyptiis ſacrum fuiſſe. Quod autem dictu mirum. Neque enim minus ſtupidum, quam iners, hoc animal eſt. Ægyptii viciſſim acuti poſteris cogniti ſunt. Et cetera ingenii documenta ut taceam, ipſius ſcribendi artis, qua non alia ſubtilior, auctores celebrantur. Quorum tamen de inſti-

sua Orientali habet: *L'origine de ce surnom vient des deux cornes du monde, c'est a savoir, L'Orient et L'Occident, comme les Orientaux les apellent, que cette Alexandre a subjugué.*

instituto melius existimabitur, ubi illius ratio investigata fuerit. Et nobis hæc jam cura.

Totus animus, totus sui Deus est. Neque de eo facile, nisi comparate, judicatur Deo autem quærere similitudinem, humanæ imbecillitatis id vitium: quod tamen eodem actu ejus remedium est. Similitudine enim res obscura illustratur. Proprie & remisse ratio, figurate & clare comparatio loquitur. Personamque docentis cum illa nudis præceptis, tum hæc claris exemplis sustinet & tuetur. Quæ vero cognoscendi via si sapiente homine digna est, neque insipiente indigna censebitur. Et Ægyptiis, sicut aliis gentibus, literarum rudibus, data fuit hæc venia, ut Numen, quod sola mente non comprehendebant, imagine sibi proponerent. Quæ autem imago maxima & optima in cœlo reperta fuit. Et potestatem Numinis, creatricem cum Sole, qui vim nascendi & initia præbet, conservatricem cum Luna, quæ maturitates & fructus cumulat, contendere licuit. Neque alia contentio aptior. Quæ enim cœli, eadem Dei benignitas est. Et ut stellæ principes, una calore diurno, altera rore nocturno ter-

ras

ras uberat fovetque, sic Conditor earum & Præses tantis suis beneficiis favet & perpetuitatem addit.

At nulla virtus magis, quam beneficentia, vices exigit. Et, quod pro necessitate acceptum, id muneri datum est. Quod tamen grati specimen animi honestius, quam splendidum fuit. Neque enim suppetebat aurum argentumve, quæ metalla, nescio, iratum an propitium Numen humano generi aperuerit. Antiquius vero & simplicius inter pecora actum est: neque ultra cupiditas aut cogitatio fuit. Et per valles, colles, qui sua sponte herbescunt, armenta pascere beatius, quam spe & metu agris illaborare judicatum est. Armentorum vero pars præcipua est bos. Sive enim proceritas corporis, sive honos capitis spectetur, ceteris antecellit. Et magnificus adspectu, haud minor ille usu est. Victui & vestitui præprimis prodest. Quem itaque consecrare, tanti memores doni non puduit.

Consecrationis vero id genus si humile, neque sublimi & objecta re sua dignum quis putet, mores alienos ex suis æstimare is dedicat. Male enim delicato nostroque seculo quod in fastidio

est,

est, id olim in pretio fuit. Neque defuit ætas, qua regio etiam fastigio decora pastoralis vitæ conditio visa est. Et plena exemplorum Sacra & profana historia.

Sed redeat, unde digressa est nostra oratio. Et ordine occurrit, quod ejusmodi sacro operati sunt primi omnium Ægyptii, dixissem Indiani, nisi, quæ animos diu tenuit, contrarii persuasio hoc verbum sustulisset. Antiquissima hæc gens: neque priores, ut non Philosophos, ita nec Theologos, alia protulit. Quod vero probare, nostri operis non est. Atque præsenti argumento satisfacere convenit. Proditum memoriæ est, Osiridi & Isidi dedicatum in Ægypto Apin fuisse. Quæ vero nomina Indianæ sunt originis, sed in babarum mutata, Osiris ab Ishvara Domino, Isis ab Ishani, contracte Isha Domina a), & Apis ab Apen Genitore, Patre b). Et ea Soli, Lunæ, ac Bovi addi-

a) Systema Brahmanicum, p. 86. Dea autem Ishani (Luna) vocatur etiam Indice Uma (Domina) Lib. cit. p. 319. Cui vocabulo Hebr. אם, ut Indico Apen Hebr. אב facilile quis contulerit.

b) Lib. cit. p. 325. Proprium bovis nomen

addita c). Ut enim ille diem, & ista noctem, ita hic gregem ducit. Utriusque vero sideris loco quem colere placuerat Bovem, communis ille generis est. Quocirca ne minus in signo quam in signato esset, sexum discriminare oportuit. Et Numen quomodo Solis specie Tauri, sic Lunæ specie Vaccæ colere, gentis sollemne fiebat d). Utriusque autem effigies fuit Apis (tam mas quam femina). Et in hac imagine, tanquam in speculo, quod Divinæ virtutis genetricis cogitandum erat, videri potuit.

Apin vero (Bovem) Sôlis & Lunæ vicem gessisse, etiam pervetusta ejus simulacra ostendunt. Nam supersunt Osiridis (Tauri), quæ discum inter cornua radiantem specie referunt e). Quomodo nec

---

Indice est Pashu. Unde origo fuit Shivæ, titulo honorifico Solis: qui ideo etiam Pashubadi (Dominus Bovis) vocatur. Lib. cit. p. 86.

c) Loc. cit. d) Lib. cit. p. 197. 199.

e) Vide Museum Kircherianum. Et System. Brahm. p. 86: *Pleraque Shivæ Dei* (Osiridis s. Solis) *simulacra in Indiis bove vehuntur*. Sic etiam Mitra Persarum (Sol) bovi insidens exhibetur. Syst. Brahm. p. 197. Quibus adde imaginem

nec desunt Isidis (Vaccæ), quæ caput radiatum similitudine exprimunt f). Et his palam collocatis, loco Nuuinis, velut ipsi Numini vota suscipere & solvere, publicæ privatæque salutis intererat.

Sequitur, ut quæ Api instituta pietatis sollemnia fuerint, pari brevitate disseratur. Bos ille fusci esse coloris debuit, qui significaret purpureum, tam cœlum, cujus igne ipse conceptus, quam mare, ex cujus sinu emersus hic mundus credebatur g). Et festus erat dies, quo ad sedem regni & Memphim ductus fuit. Anteiit juventus, sacra carmina præcinens: circumfusi idolo sacerdotes:

Osiridis (Solis), quæ specie bovis in Tab. VI. Tom. 2. Niebuhri conspicua est.

f) Syst. Brahm. p. 319: *In tabula* XIII et XIV (Musei Borgiani) *Isis Indica anseri insidens visitur, radiis amicta. — Anser Isidis quoque Indicæ vehiculum est, atque ex hoc attributo conjici posse videtur, Isidem Ægyptiacam subinde pro luna, subinde pro ipsa terra parturiente et luctante sumi debere.*

g) Herod. Lib. III. Plutarch. de Iside et Osiride.

venerans gratansque turba, huc illuc fluctuans: & orbe circa templum per septem vices facto (orbis solstitialis, hiberni & percursi, æstivi & ingressi id signum), quadrupedans Numen Sacris initiatum. Atque finis religiosæ cærimoniæ initium magni convivii & paris gaudii fuit h). Cujus moris exemplum sacer etiam Codex offert. Api ut similis erat conflata ab Aarone Bovis imago, ita neque Apidis festivitati dissimilis compergo, ita neque Apidis festivitati dissimilis comperta, quæ Israëlitarum secuta est. Structo enim altari, & facta re divina, choros ducere & epulis indulgere gens cœpit i).

Antiqua hæc testimonia: quæ, ubi nova accesserint, plus auctoritatis accipient. Constans sui Brahmanum fuit ingenium, & avitæ tam religio-in-

---

h) Syntagma Seldeni de Diis Syris p. 126 seq. Et Plutarch. Lib. cit.

i) עגל Exod. 32: 4, non *vitulum*, sed *bovem* significare, argumento est Ps. 106: 20: וימירו את כבודם בתבנית שור אכל עשב *Gloriam suam permutarunt cum herbivori bovis imagine.* Quod nomen שור *bos* ab עגלה *plaustro*, cui jungi solebat, accepit.

nis quam cærimoniæ pervicax. Nam ut olim, sic hodie nonnisi unum Numen, nec mutabile nec interiturum, intelligunt. Et nomen Parabrahma k). Quod autem, pro sua & diversa virtute, pluribus sub speciebus, una Brahmæ (Creatoris), altera Vishnu (Conservatoris), tertia Shivæ (Parentis, utrimque vero & gignendi & perdendi vi nobilis) venerantur l). Shivæ tamen, cui plus potentiæ, plus etiam honoris competit. Et Bos, qui ejus symbolum est inter animantia, sicut Sol & Luna inter sidera, auspicato in templo alitur m). Quemadmodum inaugurato etiam per fora & vicos ducitur. Et hæc pompa comitatu sacerdotum, concentu tympanorum, & plausu virorum, feminarum, preces & coronas offerentium, magnifica. Quæ vero ne inanis sit, Deo bicorni sacra mensæ &

---

k) Bartholomæi Iter in Indiam, Germanice translatum in Magazin von Reisebeschreibungen. Tom. 15. p. 329 seq.

l) Liber proxime citatus. Et Dissertatio de *Trinitate Indiana.*

m) Sic etiam Apis Ægyptiorum, qui a Cambyse stricto mucrone percussus fuit, etiam in templo erat, Herod. Lib. III.

& fores ubique patent n). Et positam in medio oryzam capere si libuerit, faustum in omen id vertitur. Corpus autem Deastri si etiam manu contingere licuerit, ominis inde fides. Et quanti vivus, tanti & mortuus fieri solet. Atque in illius velut in publico funere omnia in supremi honoris habitum composita videre est o).

Tanta est Tauri religio: neque minor, quæ Vaccæ. Et meruit Socia, ut parem haberet. Nam Dii hi Conjugales perinde Brahmanibus sunt, quam Ægyptiis fuerunt. Et offerre cum Mari flores, tum Feminæ fruges, naturæ utriusque datum est p). Quæ itaque unius, eadem alterius ex

n) Pari modo in festo Osiridis fici ramus et vas aquarium, arbores et fruges Dei fecundantis indicia, præcesserunt. Et rerum terrestrium optimo huic Parenti resinam et myrrham offerre, sacramentum Ægyptiis fuit. Plutarch. Lib. cit.

o) Syst. Brahm. p. 197, 198. Sic et Apis, vulnere, quod a Cambyse acceperat, confectus, et in sacello jacens, sepultus a Sacerdotibus fuit. Herod. Lib. cit.

p) Lacte, butyro, oryza, et aliis rebus Deæ in-

ex persvasione gentis est sanctitas. Et ut tactu caudæ sancte juratur atque vita beate ponitur, sic haustu stercoris & urinæ obstricta religioni fides arcte firmatur q). Vaccinam vero carnem edere, nefandum id crimen. Ipsum vocabulum horrore audientem percellit r). Et eam occidere, capitale est s).

Ho-

---

ter aras et altaria litatur. Quomodo, ubi sollemne celebratur lunæ, ejus signum fronti etiam imprimere, religiosus mos est. Iter Bartholomæi citatum, p. 358. Sic et Apis Ægyptiorum in fronte candorem figuræ quadratæ habuit. Herod. Lib. cit.

q) Syst. Brahm. p. 202, ubi additum: *Per hanc actionem et mortem corpus in semina naturæ resolvendum, animam sacro animali tradendo a vili et ærumnosa metempsbychosi liberari sperant.*

r) De se ita Bartholomæus (in Syst. Brahm. p. 199): *Cum ego in oppido Ramapurate ministro regis Travancoridis dixissem, Europæos homines vaccinam carnem edere, — aures ambabus manibus obstruxit, et me insalutato exivit.*

s) De se idem eodem loco: *Vidi — sententia regis Travancoridis — quinque viros arbori appensos et morti traditos, quod contra regni leges et religionis præscripta voluntarie unicam vaccam occiderint.*

Hodiernis Brahmanibus ſunt etiam alii ritus, pii & ſollemnes: qui priſcis Egyptiorum & Apidis congruunt. Qui vero, ſi memorarentur, maxime profani viderentur. Et quos, utcumque re ſignificantes, verbo ne peccetur, ſilentio transeam t).

Peregrini hoc ſacri arcanum: cujus ſenſum, ingenuum & ſimplicem, fingendi autem ſacerdotali libidine credendique populari facilitate corruptum & deflexum, ſcrutari volui. Et reperire ſi potui, quod voti & ſtudii fuit, me conſecutum eſſe putabo.

XVII.
DE VETERI PAPYRI ET UTRIUM IN TRAJECTU AMNIUM USU.

§. I.

Magna licet ſit nec raro vinci neſcia vis cohærentis naturæ; vidimus tamen ſæpiſſime, illam ambitio-

t) Copiose de his Bartholomæus in Syst. Brahm.

bitiosa & audaci arte frangi ac superari. Hæc humanæ necessitatis & rationis nobilis proles medios ardentis solis æstus arborum nexu & umbra mitigat: hæc sævam ingruentis hiemis vim tectorum invento & præsidio arcet: hæc arcana terræ, benignas generosi metalli venas scrutatur, & aurum ac argentum, pretia rerum, eruit & tundit: hæc instrumenta belli & pacis, arma in hostium vindictam, vel civium tutamen, & aratra, in agri culturam & messis fiduciam, effingit: hæc multas alias res, vitæ humanæ commoda vel decora, ex rudi & informi materia in speciem vel usum conformat. In iis vero, quæ maxime animi humani magnitudinem sollertiamque indicare videntur, illud arduum inceptu, arduum exitu fuit, rapida minacis fluminis, adversa cæci vadi, & aperta procellosi oceani tentare, frangere, transilire. Quam vero in consilio audaciam, in opere industriam, & in periculo fortitudinem stimulus domesticæ necessitatis mature excitavit, & desiderium exteræ voluptatis longe lateque provexit. Atqui ea est naturæ æquitas & liberalitas, ut si quid uni

p. 31 seq. 102 seq. 220 seq., et in suo Itinere citato p. 358 seq.

uni quod alteri datum sit, defuerit, id singulari beneficio compensaverit; ita quoniam hominibus facultatem cum avibus volandi vel cum piscibus natandi non concessit, iis instrumenta varii generis, supplementa hujus imbecillitatis, cogitatione & opera assequendi potestatem tribuit. Hinc primum rates scirpeæ vel ligneæ contextæ, pontesque junctis lintribus fluctuantes, vel in aëre pendentes compositi sunt: cui aquas stagnantes, fluentes, trajiciendi generi, ut minus artis, ita plus antiquitatis inest. Deinde, artifici ingenio ad operum polimen plus, quam injuria temporis ad eorum ruinam, invalescente, naves apertæ, vel tectæ, velis armatæ, vel remigiis instructæ, fabricatæ sunt, & vento ac pelago in mutua & commoda rerum commercia commissæ. Adeo cum earum varia genera apud varias gentes commemorantur, tum id mihi memoria maxime dignum visum est, quod quibusdam orientis populis antiquitus & recentius placuit, structura aptum atque ingeniosum, & ætate spectabile ac curiosum. Ad ardua vero & ambigua hujus argumenti accedens, equidem vereor, ne orbum, periclitantem & naufragum agam. Sed consilii temeritatem, quam suscepti negotii amor

mihi

mihi fecit, Lectoris, antiquitatis studiosi, pronus favor æquitate sui judicii temperabit.

§. II.

Constat inter omnes, in studio historico mediocriter versatos, Nilum, famosum Ægypti flumen, Ægyptiis vilitatem vel difficultatem annonæ suo vel pleno vel tenui alveo portendens, occultis scopulis, brevibus vadis, horrendisque catarrhactis plenum & infestum esse. Huc etiam accedit præpinguis & copiosus limus, quem hic fluvius sive fortibus sive lenibus stagnis effusus secum trahit, arvis quidem fœcundum, naviculis vero molestum moramque facientem a). Hinc fit, ut iste amnis, prout navium, quibus aliæ utuntur gentes, non facile patiens, veteribus vehicula sui tantum similia & his naufragii periculis minus obnoxia, inveniendi occasionem faciendique necessitatem dederit. Ubi vero mala, ibi quoque remedia, etsi vitio infirmitatis humanæ aliquando tardiora. Qui ripas nominati fluminis antiquitus coluerunt, ut iniquum ejus alveum sibi faciliorem tutioremque arte effi-

a) Vid. Seneca Nat. Quæst. L. IV. Cap. 2.

cerent, naturæ beneficio utentes, e papyro, herba in Nilo nascente, ii navigia sibi construxerunt b), tantæ levitatis, ut super aquam fluitantes, neque limoso & inerti profundo impedirentur, neque ad saxa obvia & latentia frangerentur, nec in æstuosas syrtes detruderentur; in illidendo enim tanto citius cedebant, quanto minus illæ molis habebant. Sed cum multa de horum navigiorum materia, tum non nisi pauca de eorum forma apud antiquos scriptores invenio. Nec ea, quæ reperio, in unum congruunt: Herodoto tradente, illa quoad partem ex spina conserta fuisse c), & Plinio referente, Ægyptios junco ad commissuras eorum ferruminandas usos esse d). Si utriusque fides non sit ambigua, satis testimonii nobis ad judicium suppetit, has naviculas, si minus specie adspectus, tamen compositionis genere inter se discrepasse. Præterea, ut Nilus non semper eodem stat fastigio, sed fluitantem suum alveum, fontibus & imbribus,

b) Αυτος δε ὁ παπυρος προς πλειςα χρησιμος· και γαρ πλοια ποιεσιν εξ αυτε. Theophrast. L. IV. c. 9.

c) Vid. Herodot. Euterpe p. 139.

d) Vid. Plinius L. hist. M. XVI. c. 36.

bus, fecretis ejus cauffis, occlufis, in ficco paffim deftituit, fic, hoc naturæ obftaculo comperto, ejusque fuperandi fagaci confilio inito, illas naves plicatiles, humerisque ex aridis in navigabilia loca translatitias effecerunt. Hinc conjicer licet, has naviculas exiguæ tum aquæ tum molis fuiffe; cui conjecturæ fidem facere videtur Achilles Tatius, afferens, illas nannifi fingulos homines capere potuiffe e). Vero tamen fimile videtur, etiam in ufu fuiffe navigia papyracea majoris capacitatis, nec anguftis Nili ripis femper coërcitas, fed alto quoque mari nonnunquam commiffas f). Quibus de indole & ftructura navium papyracearum breviter difputatis, operæ pretium, remque non ingratam me facturum putaverim, fi quæ de papyro, planta fupra memorata, paffim memoriæ prodita funt, paullo copiofius repetierim. Neque vero is fum qui aliquid novi de hac re in medium proferendi, facul.

---

e) *Quare parva iis ac levia navigia et exigua aqua satis sunt: quod si quandoque aquam deesse contingat, sublatam humeris naviculam asportant quo usque aquam inveniant.* Vid. Celsii Hierobot P. Post. §. 147.

f) Vid. Plin. H. N. L. VI. c. 22.

facultatem & laudem mihi assumam. Detur hæc venia mihi, qui neque ingenio, neque ætate, nec doctrina sim cum iis, quorum opera in cognitione hujus plantæ egregie versata est, comparandus, ut eorum, præcipue Ol. Celsii, summi viri, qui suo opere Hierobotanico rostro Suecano amplitudinem celebritatis, sibi æternitatem nominis, suæque familiæ nobilitatem cognominis fecit, clarissima vestigia pari studio & reverentia sequar.

§. III.

Hæc planta, nomine vetusto & Græco παπυρος, recentiori autem & Linneano Cyperus Papyrus, religiosis voluminibus dicata, & ab adulatione Augusti etiam Augusta appellata, si minus specie, tamen usu cæteras orbis terrarum herbas æquat vel superat. Nam Ægyptii non modo ex ipso papyro subacto cita Nili navigia, ut supra vidimus, sed etiam ex libro mollito vela, chartam, tegetes, funes, marsupia aliaque utensilia texuerunt, nec alta ejus radice inutili, quippe quæ, testibus Abu'lfadli & Plinio, succum gustatu dulcem, crudum mandentibus, coctum bibentibus suggerit

rit g). Etsi vero illa planta tantum utilitatis tantumque voluptatis suo sinu complexuque fovet, tamen hæc vulgaris de rerum pretio sententia, quo præclarius eo rarius de ea non valet. Nam quantumvis præstans, in omnes fere inferioris Ægypti partes nimia diffunditur, non in alto rapidoque Nili gurgite surgens, sed in hujus fluminis quiescentibus, aut ipsius regionis palustribus aquis nascens h). Neminem, ut opinor, fugit, Nilum, unicam Ægyptiis spem, quotannis crescendo extra ripas in circumjecta sata & pascua diffluere. Quo autem superfluo amne ad justum alvei sui cursum redeunte, restat aqua in cavis & sinuatis locis, qua stagnante, paludes oriuntur, non tam liquidæ, quam pigræ & limosæ. In his sordidis cunabulis, per universam fere regionem frequentibus, planta ista nobilis papyracea pingui terræ succo & tepido solis calore abunde herbescens & augescens adolescit,

---

g) Vid. Plin. H. M. L. XIII. c. 11. Celsii Hierobot. de Papyro.

h) Φυεται δε ὁ παπυρος ϰ εν βαθει τ ὑδατος αλλ᾽ ὁσον εν δυο πηχεσιν ενιαχ δε και ελαττον. Theoph. Hist. Pl. L. IV. c. 9.

ſcit, ita ut locum huic veteri fecerit proverbio: Επιλιπειν εδει προτερον φεροντα βιβλυς τον Νειλον i). At vero virtutibus papyri dicendis nec vetera nec recentiora defuerunt ingenia & ſtudia. Plinius, venia vetuſtatis, imperfectius; "Papyrum naſci in "paluſtribus Ægypti aut quieſcentibus Nili aquis, "ubi evagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente "altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ "craſſitudine, triangulis lateribus, decem non am-"plius cubitorum longitudine in gracilitatem faſti-"giatum, thyrſi modo cacumen includentem" k). Proſper Alpinus, pro exſpectatione ſui ſæculi, ve-rius: "Papyrus, inquit, quem Berd Ægyptii nomi-"nant, eſt planta fluminis Nili, binis aut pluribus "caulibus rectiſſimis ſupra aquam ſex ſeptemve cu-"bitibus aſſurgens; cauliumque in faſtigiis ſcapus "innumeris capillamentis, longis rectisque contex-"tus, cernitur. Foliis quoque conſtat multis rec-"tis, enſiformis Typhæ aliquatenus ſimilibus, tri-"angularibus ac mollibus. Chirurgi foliorum me-"dulla utuntur ad ulcerum ora dilatanda; ex ſca-"pique

---

i) Vid. Pluthαrch. adv. Colat. p. 1126.

k) H. M. l. c.

"pique combusto cinere, recentia ulcera curant; "qui etiam maligna augeri, si sæpe adspergatur, "non finit. Ex scapis recentibus aquam distillant, "ad oculorum suffusiones, caligines ac obscuritates "maxime proficuam" l). Hæc tamen planta non Ægypto propria est & alibi prorsus peregrina & hospes, sed fructuosa sua semina in alias quoque terras, sui patientes, latius & liberalius dispersit. Auctor est Strabo, eam quoque dari in India & Italiæ lacubus ll), Plinio de Syria, & Theophrasto de Euphrate, Babyloniam præterfluente, idem adfirmantibus m). Plus vero ad certum hujus rei judicium valet auctoritas summorum Botanicorum, v. gr. Scheuchzeri, Bauhini, Raji, & omnium instar Linnæi, quorum beneficio sapimus, papyrum in Calabria, Sicilia, Syria, & Ægypto vivere, vigere & florescere. Fuere tamen, qni præcipiti & levi fide potius, quam acri & certo judicio putarent, aliquantulum discriminis inter memoratarum regionum & Ægypti papyrum intercedere. Abu'lfadli ait, papyrum Babylonicam spe-

cie,

l) De plantis Ægypti. ll) Vid. Dalech. in Plin. p. 294. m) Vid. Theophrast. Lib. IV. c. 9. et Plin. H. M. l. c.

cie, & Italam uſu haud parum cedere Ægyptiacæ, quæ illam longitudine foliorum & ſcapi craſſitie ac rotunditate, & hanc ſingulari chartæ opificio ſuperat n). Ejusmodi enim varietas non novas, me judice, papyri ſpecies probat, ſed ſolummodo oſtendit, ejus plantas, quantum cœlo ſoloque tantum cultu habituque inter ſe differre, tali diſcrimine, quale inter alias diverſi climatis herbas intercedere ſolet.

Pro virili parte jam breviter diſputatis, quæ de famoſa papyracea herba dicenda habui, placet perdifficilem quæſtionem, quid per Vaſa Gome Jeſ. XVIII. 2, navalia legatorum vehicula, & Arcam Gome Exod. II. 11, fluitantia Moſis cunabula, intelligatur, paucis exponere. Quam certa eſt res, utroque loco mentionem de navigii quodam genere fieri, tam anceps eſt eruditorum de גמא Gome, materiam ejus indicante, certamen. Obſcura hujus vocabuli origo animos diſputantium in ſuſpenſo vel diſſenſu reliquit. Varias eorum de hac re conjecturas, magis vel minus ſpecioſas, ſi recenſuerim, operæ pretium non fecerim.

n) Vid. Dalech. ad Plin. p. 294.

cerim, cum aliquid certius afferre non possim. Quid autem juvat, radicem hujus vocis trepidanter quærere, cum ejus vis est in promtu? Primum vertitur a LXX interpretibus, ad scientiam Ægypti natis & institutis, ideoque in hujus terræ rebus fide maxime dignis, παπυρος Exod. II. 3. VIII. 11. Job. VIII. 11. Jes. XVIII. 2. XXXV. 1: tum non sine cœno & vapore radices agit, sarmentisque silvescit Job. VIII. 11: & deinde Bibula Memphitis tabellaria navis, Byblienfibus lætum salvi & reperti Adonidis nuntium afferens, aliaque vetusta Nili navigia, ut supra dictum est, ex papyro conserta fuerunt o). Prævia horum luce & veritate, mihi persvaserim, sæpius nominatum vocabulum, quod alii aliter reddunt, Romanorum juncetum vel arundinetum sua potestate referre, & nomen esse non tam peculiari ejus generi proprium, quam pluribus ejus speciebus Cyperi, Junci, Scripi aliisque commune. Sed satis de his; jam reliqua persequemur.

§. IV.

o) Vid. Cassiodor. L. IX. Ep. 38.

§. IV.

Cum vero in eo ſim, ut quæ veterum fuerit aquas trajiciendi ratio oſtendam, papyraceis Ægypti navibus levi calamo perſtrictis, nec aliud vetuſtum navigiorum genus mihi prætereundum videtur, pari ſtructuræ ingenio, latiori autem uſus ſpatio curioſitati poſteritatis ſe commendans. In trajectu amnium uſum quoque utrium memorant antiqui ſcriptores, auctoritate & fide graviſſimi. Si cauſſa tam ſingularis & audacis navigandi generis quæratur, ex incorruptis rerum geſtarum monumentis ſatis conſtat, illam non in inſcitia melioris, ſed in cura tutioris, non in ignavia hominum, ſed in iniquitate locorum poſitam eſſe. Nam ut Nilus, quod ſupra compertum eſt, papyracei, ita Tigris aliaque orientis flumina, non minus vadis & ſcopulis occultis, manifeſtis, periculoſa, pellicei navigii neceſſitatem & fiduciam indigenis fecerunt. Xenophon, omnium, qui hujus inventi memoriæ conſuluerunt, quantum mihi conſtat, antiquiſſimus auctor, refert, Rhodium quendam Græcis, altitudine Tigris & inopia navium trepidantibus, ejusmodi conſilium, conſuetudine certe probatum, dediſſe: utres, inquit, pelliceos, in-

inflatos, & sibi invicem junctos, eosque a terra in amnem porrectos, adpensis lapidibus velut ancoris stabilitos, & ne secunda aqua deferantur, retinaculis utrinque religatos, pontis in modum humo & virgultis injectis, ne vacillent, impedimentis futuris, consternam: quos audacter velut per solum ingressi, flumen nullo vitæ metu trajicietis, singulis binos homines facile sustenturis p). Idem quoque vir clarissimus memorat, Græcos milites, commeatus parandi caussa, Euphratem saccis coriaceis, levis fœni plenis, & arcte, ne aqua ad paleas penetraret, consutis, transnatasse q). Simili

p) Τουτοις δ', εφη, ζευξας τους ασκους, προς αλληλους ἁρμοσας ἑκαστον ασκον, λιθους αρτησας, και αφεις ωσπερ αγκυρας, εις το υδωρ δε αγαγων, και αμφοτερωθεν δησας επιβαλω ὑλην και γην επιφορησω· ὁτι μεν ουν ου καταδυσεσθε, αυτικα μαλα εισεσθε· ὁ γαρ ασκος δυο ανδρας ἑξει του μη καταδυναι. ὡστε δε μη ὀλισθανειν, ἡ ὑλη και ἡ γη σχησει. Xenophon de expedit. Cyri L. III. c. V.

q) Διφθερας, ἁς ειχον στεγασματα, επιμ-

mili apparatu superavit Alexander Hydaspem r), & Oxum s), item Hispani Rhodanum t). Ex his manifestum est, veteribus duplex utrium genus placuisse, alterum follibus inflatum, alterum stramentis refertum. Qui autem priscus flumina transeundi mos nondum decursu temporum obrutus, vel inconstantia hominum mutatus est. Orientales, domesticæ antiquitatis retinentissimi, & quidem illi, qui circa utramque ripam Tigris colunt, im-

---

πλασαν χορτȣ κȣφȣ. Ειτα συνηγον και συνεσπων, ὡς μη ἁπτεσθαι της καρφης το ὑδωρ. Vid. Eundem L. I. c. V.

r) Αγων επι την νησον και την ακραν, ενθεν διαβαινειν αυτω ην εγνωσμενον. Και ενταυθα επληρȣντο της νυκτος ἁι διφθεραι της καρφης εκ πολλȣ ηδη παρενηνεγμεναι, και κατερραπτοντο ες ακριβειαν. Arrian. 1. 5. Exped. c. 12.

s) *Utres quamplurimos stramentis refertos dividit; his incubantes transnavere amnem.* Curt. L. VII. c. 5.

t) *Hispani sine ulla mole in utres vestimentis conjectis, ipsi, cetris suppositis incubantes flumen etransnatavere.* Liv. Lib. XXI.

impetum hujus amnis, vorticibus rapacis, vadisque infidi, utrium nexu & auxilio, tutiori ad trajiciendum via & ratione, perrumpunt. Testis est Auctor Geographiæ Orientalis, Gihan Numa dictæ, Turcice conscriptæ, & latine publicari cœptæ, qui memoriæ prodidit, in Euphrate & Tigri non rarum esse genus ratis, nomine Kalak, & specie tabulæ latrunculorum, ex transversis lignis compositæ, quæ plura umbracula, opportuna hominibus ob vim caloris suffugia, atque erectum triclinium, necessarium sarcinis adversus profluentem aquam tutamen, habet, & præterea inflatis annexa est utribus, quorum levi contactu per brevia, præcipitia & saxosa harum aquarum iter facilius & tutius initur u). Lucem fidemque his addit Behenâm,

u) Hæc sunt verba ipsius auctoris, quæ ex Turcico in Latinum conversa asferre licuit: *Quod ad naves Tigris attinet, illæ, quæ ex Basra veniunt, Garâb, quæ vero a Mosul ad Bagdad et a Biregek in Euphrate ad Halla appellunt, Kalak appellantur. Kalak vocatur navicula, quæ tabulam alveumve latrunculorum referens, ex lignis per clavos sibi invicem affixis composita est, et ad minimum quatuor, ad plurimum decem vel quatuordecim*

nâm, Epiſcopus Chaldæus, nullo alio quam ſuæ pietatis Turcis ſuſpectæ & inviſæ crimine, ſua patria Ninive jam pridem profugus, quo familiariſſimo Pariſiis uti contigit. Hic vir, rebus ſecundis & adverſis juxta memorabilis, pro certo retulit, memoratam ratem Kalak, qua ſæpius & ipſe vectus eſt, umbraculis ramoſis & ligneis conſtare, majoris, minoris longitudinis, inflatis utribus natantem, & quanto conſuetis cymbis leviorem, tanto trajectui Tigris, frequenti montium interjectu & aquarum inundatione prærapidi, aptiorem x). Quod

---

umbracula, singula inflatis utribus annexa, habet. Huic navi superstructa est ex lignis et tabulis contignatio in altitudinem unius ulnæ, a specie triclinii non abhorrens, et ingentium sacrinarum capax. Hoc naviculæ genere utens, utres memoratæ contignationi subjectos leviter tangendo, in Tigri et Euphrate iter facies.

x) Ipsa verba optimi hujus viri, Arabice loquentis, si placet, accipe:

الكلك الذي هو سقف العون والحطب
طويلا وقصيرا مجدودا جميعا وتحتهم
الظروف منفوخة الريح وهذا يحمل
الاحمال والناس الذين يريدوا يسافروا

Quod vero ad originem hujus vocis Kalak attinet, animi ſum incertus, utrum eam petam a Chaldaico כלך cortex, involucrum, an a Perſico كلك.

من جزيرة هي مدينة الي موصل هي
ايضا مدينة علي نهر الدجلة لان في
ذلك البلاد الغايق ما يقدر يسافر بالنهر
المذكور لان في مطارح جبال عالية
والنهر يفوت بين الجبال في بعض اوقات
نهر هو كثير عالي كي ينزل الي البر
يعمل كثير ضرر لمسافرين واوقات نزولة
يغرق كثير من الكلك مع المسافرين

i. e. Kalak est fabrica tectis, quæ ex ramis et lignis tota penitus contexta sunt, constans, longior, brevior, super utres vento inflatos fluitans, et sarcinarum item hominum ex oppido Gezira ad Mosul, urbem apud Tigrim sitam, proficisci cupientium capax. Nam in his locis memoratus amnis cymbæ est impatiens, quippe qui non modo passim obviis et excelsis montibus in tenuem et rapidum alveum cogitur, sed etiam aliquando admodum tumescens terram inundat, tanta pernicie, ut et multas hujusmodi rates cum earum viatoribus suis voraginibus hauriat.

ܩܠܡܐ calamus, quod facilius crediderim, mutuis Mesopotamiæ & Persiæ hospitiis atque commerciis veniam hujus opinionis mihi dantibus.

Hæc habui, quæ de hoc argumento, quod saxa habet, & veterum ac arduum amnium trajectum spectat, dicerem. Equidem scio, me ejus dignitati delectu verborum & cultu sententiarum satisfacere non potuisse; tamen hoc me consolatur, me antiquitatis æquis æstimatoribus rerum fide & studiorum officio consulere voluisse.

XVIII.

DE ORBE TERRARUM DEHISCENTE

GEN. X. 25.

Quæ cœli, non eadem terræ conditio est: illinc constantia & ordine, hinc fortuna casuque dominantibus. Et fatorum potestati huic occultæ, non solum quicquid rerum nostro orbe continetur, sed ipse etiam orbis subest. Terræ, maria vices alternant.

nant. Et velut paria secum facit natura, ut, quæ sustulerit, alio loco reddat. Exempla plurima. Nota autem, quæ propiora. Et animum ad omnium antiquissimum vertere placet. Memoriæ id proditum est Gen. X. 25.

ולעבר ילדו שני בנים שם האחד פלג כי
בימיו נפלגה הארץ

Quæ verti solent: "Hebero nati sunt duo filii, quorum uni nomen Phaleg fuit, quia ætate "ejus humanum genus in colonias divisum fuit.

Quæ autem verti debent; "Hebero nati sunt "duo filii, quorum uni nomen Phaleg fuit; quia "ejus ætate terra dehiscebat."

Nam primum, & spectata verbi פלג proprietate, significat, non ut פרד separavit, discrevit a), sed in duas partes di-

---

a) פרד Ar. فرد, auctore Vanculi (in Lexico Turcice Arabico) est بر نسنه‌یی ایرمق وانفراد يالكز اولمق اهوية انفرد دیرلر که سوریدن ایرلمش اوله *separare, Passive separari. E. g. cervus* انفرد

visit, diffidit b). Quæ significatio manifesta est in Job. XXXVIII. 25: מי פלג לשטף תעלה ודרך לחזיז קלות "Quis diffindit inunda-"tioni alveum, fulgurique tonanti tramitem?" Neque ea ambigua in Ps. LV. 10: בלע ארני פלג לשונם "Haustu quasi, Domine, hiatuque "ad inferos conde linguam eorum procacem." Deinde, & ubi ipsa res in considerationem venerit, haud credibile est, centum annorum spatio (tantum a supremis diluvii ad primordia Phalegi impletum est) nullo terras jure divisas fuisse. Et tandem nihil singulare habuisset, petere rationem appellationis a more tam communi, ut, crescente plus

(Hebr. נפרד) *dicitur, ubi seorsim a grege solus erraverit.* Quam potestatem id habet Gen. X. 5: *Ex his orti, qui lingua et familia per nationes suas* (נפרדו) *discreti, tractus maritimos tenuerunt.*

b) פלג Ar. فلج, interprete eodem Vanculi, est بر نسنه‌يي ايكي يرمق فلجت الشي فلجين انا شققته نصفين *rem per medium findere. E. g. rem* فلجت (Hebr. פלגת) *diceris, ubi eam in duas partes secueris.*

plus quam accolis satis esset hominum multitudine, novæ sedes semper quæsitæ fuerint.

Interpretationi, cui fidem etymologia facit, auctoritatem historia addit. Vetus est memoria, Ponticum mare olim stagnum fuisse; Samothraciæ diluvie autem orto, longe lateque id patescens, in Mediterraneum erupisse. Auctor est Diodorus Siculus c): Οι δε Σαμοθρακες ιςορȣσι, προ των παρα τοις αλλοις γενομενων κατακλυσμων, ετερον εκει μεγαν γενεσθαι. Το μεν πρωτον, τȣ περι τας Κυανεας ςοματος ραγεντος, μετα δε ταυτα, τȣ Ελλησποντȣ. Το γαρ εν τω Ποντω πελαγος λιμνης εχον ταξιν, μεχρι τȣτȣ πεπληρωσθαι δια των εισρεοντων ποταμων, μεχρις οτȣ δια το πληθος παρεκχυθεν το ρευμα λαβρως εξεπεσεν εις το Ελλησποντον, και πολλην μεν της Ασιας της παρα θαλατταν επεκλυσεν, ȣκ ολιγην δε και της επιπεδȣ γης εν τη Σαμοθρακη θαλασσαν εποιησε. "Ferunt Samothraces, maxi-"mam memoria mortalium illuviem aquarum in "sua regione exstitisse: aperto primum Cyanearum, "deinde Hellesponti ostio. Quo factum est, ut "specie

c) Lib. V.

"specie lacus haud major Ponti pelagus, invectu "autem fluminum in immensum auctus, & fauci-"bus Hellesponti patefactis, proxima & plana, "non solum Asiæ, sed etiam Samothraciæ stagnis "effusis obruerit." Et vestigia manent. Quæ Bosphori, Propontidis & Hellesponti sunt littora, ea vallibus collibusque interrupta, fluctuantis speciem maris habent. Aspera etiam, quæ Græciam ambiunt: eminentibus Thessaliæ montibus. Atque prærupta Peloponesi ora. Quomodo, quibus frequens est Archipelagus, insulæ totidem inducti soli reliquiæ sunt. Et in his Cretam antiquitus ultimam continentis partem fuisse, argumento est ipsum nomen. Nam id corruptum ex קרן, Ch. קרנתי, Ar. قرنة (ut אמת ex אמנת, eliso נ), quod exstantem rei extremitatem notat d). Et inclinat animus, ut credam, exinde appellationem sui etiam accepisse Chronon (Saturnum), qui insulam hanc imperio tenuit, Cranaum, qui Cecropi successit, Craneum, qui Macedonum rex fuit, & Cranon, quod Thessaliæ oppidum Pelasgi colu-

d) W. F. Hezel über Griechenlandes älteste Geschichte und Sprache p. 96 seq.

coluerunt. Quæ ſententia nihil ſaltim admiſſi & fabuloſi ex Græcorum ingenio habet.

Etymologiæ ut hiſtoria, ſic hiſtoriæ mythologia auxilio venit. Data fuit hæc venia poëtis, ut vera fictis amplificarent. Et in oſtentationem ſui generis divina humanis miſcere, tam Græcis quam Latinis licuit. Utcumque vero de his exiſtimabitur, aliquid tamen veri ineſt. Neque enim adumbrati ſpecies omni ſolido caret. Traditum licentia carminis eſt, hauſtæ per ſtagna Ogygis Græciæ homines, ex terra conditos, Prometheum e), Japeti filium, reddidiſſe. Et pari audacia fingendi affirmatum fuit, Saturnum, Cretæ principem, Rheam ſororem matrimonio ſecum conjunxiſſe; atque Jovem, ejus filium, in ſuos penates Europam, Agenoris Phœnicii regis filiam, intuliſſe f). Quam vero utramque fabulam eſſe Græ-

ciæ,

---

e) Προμηθης appellatus *Prudens*, quia rudem omnium rerum terram coloniis et artibus locupletavit. Cui Επιμηθης, *Imprudens*, qui Græcis tot vitiorum malorumque auctor fuit, opponitur.

f) Nomen Agenoris, Sidonii regis, ex כנען

ciæ, coloniis Phœnicum post memoratam inundationem occupatæ, imaginem putabis, si substitueris pro filio Promethei stirpem Japheti, & pro connubio Saturni & Jovis fœdus amicitiæ, quo Græciæ indigenæ & advenæ, Pelasgi g) inquam ex Phaleg, & eorum affines, Jones Thracesque ex Javan & Thiras h), Noachi nepotibus, atque Æoles, Thessali, Attici Doresque ex Elissa, Tharsis,

---

probabiliter ductum est. Et ejus liberi, ut filia Europa *unam*, sic filius Cadmus, qui jussu patris sororem reduceret, *alteram* in insulam Cretæ ductam ex Canenæa *coloniam* significabit. De colonia *Cadmæa* nunquam est dubitatum. Ex quo etiam *Europæa* parem sui fidem faciet.

g) Pelasgi, quos cum Phoenicibus sæpe Dionysius Halic. miscet, in Græcia antiquissimi fuerunt. Qua enim ætate in Sichone et Achaia floruisse dicuntur, ea in Phalegi tempora incidit. Neque in Peloponeso solum, sed etiam in Samothracia et Paphlagonia hi celebres. Et eorum nomen subinde Jones et Æoles adsciti fuerunt. Herod. Lib. II, VII. Srrabo L. II, V.

h) Certa Jonum origo ex Javan Dan. VIII, 22: neque incerta Thracum ex Thiras, si quid nominum similitudini tribuendum sit.

ſis, Cittim, & Dodanim i), Noachi pronepotibus, generati, in unius gentis, ſi minus nationis, animum & corpus coierunt. Atque tali modo, & fuco ſublato, hæc & ſimilia recte de facie cognoſces.

Ita (qua autem ex cauſſa, incertum) ingens Samothraciæ tractus, quemadmodum (ſi Plinio credendum) qui Inſulæ Atlanticæ fuit, ingenti ſpatio merſus eſt. Et caſui tam memorabili nomen ex natura datum. Quod enim, orbe ſic diviſo, ſuperfuit utrimque telluris, id ipſum, hinc a poſitione cœli Europa (ab ערב occidit ſol), inde a diſſectione terræ Aſia (ab חצה ſecuit per me-

i) De Elissa Josephus: Ελισας μεν Ελισαιους εκαλεσεν, ων ηρχεν, Αιωλεις δε νυν εισι: *Elisas Elisaeos habuit cognomines, quibus ortum dedit. Nunc autem Æoles sunt.* Et quæ dissimilitudo inter cetera nomina, *Tharsis et Thessali, Cittim et Attici, Dodanim* alia lectione *Doranim et Dores* intercedit, ea in dissimili Hebrææ et Græcæ linguæ ingenio, uno rigido, altero molli, positam sui rationem habuit. Multa de his J. D. Michaëlis in Specilegio Geogr. Hebr.: quæ vero omnia, præcipue quæ de Tharsis retulit, mihi non placuerunt.

medium) appellatum eſt. Quæ autem duplex appellatio quo tempore increbuerit, in dubio poſitum eſt. Hebræis ea vulgaris non fuit; quamquam iis Græcia aliquando, e. g. Dan. VIII. 5. מערב Occidens dicta eſt. Etenim, ut, quod Aſiæ mediterraneum & orientale eſt, ארץ, Continens, ſic quod Europæ transmarinum & occidentale, איים Inſulanum dicebatur k). Tamen, & poſtquam terra in duas partes diſceſſerat,

---

k) אי Ar. أَيَّة proprie est *e mari eminens pars terræ*, quæ quiescendi vel commorandi ergo petitur, i. e. *insula*. Unde Arabice ductum ثَأبي *in exstante hac parte sibi sedem quæsivit*. Et איי הגוים Hebraice dicta fuit ea Europæ et Asiæ pars transmarina, quam proles Japheti incoluit. Michaëlis Lib. cit. p. 131, et in Supplem. ad Lex. Hebr. Quæ autem Asiæ pars continens patria Hebræis fuit, ea ארץ *Terra* appellata est. Ex quo Demetrius Nicanor (Mac. XII, 38) memoratur, pace parta, copias omnes dimisisse, quas collegerat *απο των νησων των εθνων ex insulis gentium* i. e. Græcia. Et Herodotus (Lib. II, c. 103) de Sesostro ait: *peragravit* Ηπειρον

rat, ſicut unam & occidentalem, quam Pelasgi occupaverant, Europam, ita alteram & orientalem, quam ab occidentali reciſam ii reliquerant, Aſiam appellandi cauſſam habuere. Ut autem Græci cœperunt, ſic Latini imitati ſunt. Et aut propoſiti amor argumenti me fallit, aut titulo Africæ neque alia origo fuit. Nam פרק eſt rupit, fregit. Et quæ Freto Herculeo Marique Rubro montium altitudines impendent, eas olim naturæ cohærentis haud minores eſſe indices, facile quis ſibi perſvaſerit.

Supereſt quæſtio, quo tempore pars tanta orbis profundo hauſta fuerit. Magna hæc, ſed difficilis: & ejus pondus, ut potero, excipiam. Si (quod vero ſimillimum eſt) Samothraciæ diluvies eadem, quæ Ogygis fuerit, inter annum ante Chr. nat. 1800, quo Iſac cum Abimelek fidem futuræ amicitiæ ſanxit, & annum ante Chr. nat. 1856, quo idem ſollemnia nuptiarum celebravit, incidiſſe ea putetur. Ogyges enim Athenienſibus anno

 1831

continentem, donec ex *Asia in Europam transgressus*, *Scythas subigeret*.

qui sibi gentem ex Phœnicibus condidit, ita altero, qui hujus gentis, velut Noach generis humani, stirpem post fatale diluvium propagavit. Neque nomen hoc Ogygis proprium, sed in morem Pharaonis Ægyptii, gentilitium ex meo judicio fuit. Et, auspiciis hujus principis, in Ogygiam Homeri insulam n) Phœnices demigrasse crediderim: quomodo, ductu Sichonis, Amoræorum regis, in Sicyoniam Peloponesi regionem eos se contulisse non dubitaverim. Testimonio autem ipsa locorum nomina erunt. Et eodem modo, quod nomen נפלגה הארץ dehiscens terra Phalego fecerat, non personæ, sed populi seu tribus fuisse videtur. Atque eo nobilitati fuerunt Pelasgi, Græciæ aborigines: quibus deinde Græcos, sui conditoris Regu (is frater Phalegi) nomine appellatos, se immiscuisse, fama est o).

XIX.

---

n) Od. H. v. 244. De qua insula Plinius (Lib. III. c. X.): *Promontorium Lacinium: cujus ante oram insula XM passuum a terra Dioscuron: altera Calypsus, quam Ogygiam adpellasse, Homerus existimatur.*

o) Epiphanius (Epist. ad Acacium et Paulum):

XIX. DE TEMPLO MECCANO.

§. I.

De Templo Meccano, multis ſcriptoribus memorato, ſcribere conſtitui, non quaſi de hoc argumento, quod propter diſtantis loci periculum cognitu arduum eſt, accuratius & diſertius me dicere poſſe putem, ſed ut jam diu compertis, quæ manca ſunt & inchoata, aliquid novi addam. In tanta ſcribendi cura & difficultate, non tam peregrina

---

Φαλεκ και Ραγȣ, οιτινες, επι το της Ευρωπης κλιμα νενευκοτες, το της Σκυθιας μερει, και τοις αυτων εθνεσι προσεκριθησαν, απο της τȣ Θηρας (תירס) ηλικιας και επεκεινα, εξ ȣπερ οι Θρακες γεγονασι. *Phaleg et Regu, qui cum ad Europæ clima divertissent Scythiam versus, cum ipsarum gentibus coaluerunt inde ab ævo Thiras et deinceps, ex quo Thraces orti sunt.* Græcorum vero nomen Γραιοι corrupte ex רעו, mutato ע in γ, sicut Γομορρα ex עמורה ductum est.

grina ingenia, quibus veritatem noſcendi non æque occaſio atque cupido fuit, quam domeſticum auctorem, qui laudem majoris doctrinæ & ſtudii obtinuit, ſequi animus eſt a). Hoc conſilio favorem fidemque legentium eo facilius habebo, quod non vanis & incompertis rumoribus, ſed incorruptis rerum geſtarum monumentis rem propoſitam confirmare ſtudebo. Equidem haud dubito, quin primordia nominati delubrii, proximaque primordiis, plus ficti, quam veri habitura ſint. Sed præterquam quod fabulæ in materia obſcuræ vetuſtatis non ingratæ erunt, liceat genti, ſuperſtitioſæ & rudi, in iis rebus, quæ ad fidem magis, quam judicium pertineant, fingere & credere, ut ſui ſacri origines conſecret, & ad parentem ſanctiſſimum referat.

§. II.

a) Nomen hujus auctoris est Ibrahim Efendi, qui, optimis Arabum & Persarum scriptis in partes vocatis, & Turcice translatis, opus geographicum, quod Gihan Numa i. e. Theatrum Mundi inscribitur, pari studio & ingenio conscripsit. Vid. dissert. Spec. Geograph. Orient.

§. II.

Ut autem res, de qua disputabitur, aliquid luminis & gratiæ ab iis, quæ circa sunt, accipiat, nonnulla de situ & natura regionis, in qua reperitur, præfari lubet. Hæc terra, cui indigenæ nomen Hegiàz dicunt, maxima est pars Arabiæ Petreæ, & spatio in orientem provinciæ Neged, in Occidentem Tehamæ obtenditur: ab ea vero Jemen in meridiem, Syria in septentrionem spectat b). Cœlumque hibernis imbribus & nebulis fœdum, æstivo ferventique vento periculosum c). Ideoque solum oleæ, vitis, & omnium, quæ calidioribus terris oriri solent, patiens est, propter autem regionis sterilitatem vel incolarum inertiam, parum fert frugum, adeo quidem, ut, si inhabitantes aditu Giddæ, oppidi maritimi notique emporii, prohiberentur, fame & inopia perirent d). Tamen sunt loca, per se satis fœcunda, quæ multo terræ humore, velut sata Ægypti lenibus Nili stagnis, resu-

---

b) Gihan Numa.

c) Opus Cosmogr. Ibn Eluardi.

d) Ex ore Scherifi Meccani Abdallah hæc accepi.

refudant e). Hæc autem, quo rariora, eo minus expediendis tot hominum neceſſitatibus ſufficiunt. Arabes tamen, qui in his terris inter armenta & pecora degunt, ſuum habent principem; quem vero magis ut Muhammedanæ religionis Summum Pontificem colunt, quam ut ſuæ ditionis regem & dominum timent. Etenim quamdiu hic juſte imperat, tributa impigre ſolvunt: ubi autem in bona & ſanguinem ſævire incipit, pugnam vel fugam meditantur, nondum domiti, ut ſerviant, ſed ut obediant f). Hæc autem regio Hegiàz, etſi cultu adſpectuque horrida eſt, tamen adeo ſancta habetur, ut nemini, niſi Muſlemio, eam peragrare liceat. Ora Giddæ ultimus eſt Chriſtianis, qui Infideles contemtim appellantur, conſtitutus limes: quem periculo vitæ tranſierint, niſi ſacramento Iſlamismi ſe obſtrinxerint. Hujusque rei fidem facere cupiunt Arabes exemplo Chriſtiani hominis, qui, cum occulto habitu Meccam adire vellet, primum conſpectu circumjacentium montium & latratu occurrentium canum territus fuit, deinde vero ſpecie eminentis tem-

e) Descript. de l'Arabie par M. Niebuhr p 302.

f) Niebuhr l. c. p. 302 — 305. & Abdallah.

templi adeo commotus fuit, ut ſacris Muhammedanis extemplo initiari cupierit g). Ceterum ſi de hac etiam urbe aliquid dixerim, nihil vel operi incongruum vel lectori moleſtum fecerim.

§. III.

Mecca longit. 70 gr. latit. 21 gr. 40 min., ſatis ampla eſt, & ad modum quadri porrecta in profunda valle, quæ in univerſum æſtimanti ſicca quidem & ſterilis eſt, tamen aliquot ab ipſa urbe milliarium intervallo, fructuum abunde ferax eſt. Olim circumdata fuit muro, tutamine in bello, ornamento in pace, qui vero paullatim diuturnitate temporum, exundatione aquarum, aut incuria hominum collapſus eſt, paucis tantum ejus veſtigiis hodie relictis. Rudera quoque videntur mœnium, quibus circumjecti montes juncti fuerunt; quem in finem, parum compertum eſt, niſi dixeris, ad depellendum hoſtem hoc factum fuiſſe. Hæc autem urbs quo nobilior nomine, eo difficilior aditu eſt; juga enim, quæ ambiunt, nonniſi tribus locis viam & iter camelis aliisque jumentis oſtendunt. Et quanto

g) Niebuhr l. c. 310.

quanto plus hominum vel utilitatis vel pietatis gratia eo concurrit, tantò major ibi eſt numerus & ſplendor ædium, quæ, ſi materiam ſpectes, lapide aut tegulis cæmentoque conſtructæ ſunt, ſi formam, nec ſpecie & delectatione carent. Priſcis temporibus Mecca inopia aquarum laboravit, quarum vero copiam ex largis venis, procul in prato Meslelch obviis, laudabili opera & canali ad ſitientem urbem derivavit mulier quædam, quam Chalifa Harun Elraſchid in matrimonio habuit. Hic autem alvi ductus ſæpius vaſtatus, ſæpius a Chalifis reſtauratus fuit, donec regina imperatoris Sulejmān eum tot tantorumque ſaxorum compagibus firmavit, ut ima ſua ſede ſtabilis maneat, & numeroſo peregrinantium agmini abunde ſufficiat. Mecca etiam officinis & tabernis, opibus & hominibus florentiſſima eſt: quod vero non tam induſtriæ & civibus, quam ſuperſtitioni & peregrinatoribus tribuendum videtur. Sed a ſpecie urbis & ſitu ad ſtructuram templi & magnificentiam tranſeundi jam tempus eſt h).

h) Gihan Numa. Niebuhr l. c. p. 309. 316.

§. IV.

Delubrum Meccanum, qnod a forma illius quadrata appellatur Kaaba (كعبة), in media urbe jacet, rudi vetuſtate magis, quam arte & magnitudine viſendum. Totum nobili materia & marmore conditum pavitumque eſt, ſine autem compoſitionis decore: nec in longitudinem, cui ſere par eſt latitudo, ultra quatuor & viginti ulnas patet, quibus ſi tres addideris, altitudinem habebis. Tectum vero aureus canalis circumit, qui aquam inde fluentem ſuo ambitu excipit, ſuoque ore ejicit. Portaque tantum in altum aſſurgit, ut inferum limen vix erecta manu contingere poſſis: ſingulari ſtructura, cujus cauſſa fuit Korajſchitarum provida mens & cura, ne aqua, heic loci ſupra modum frequenter exundans, ipſum delubrum ingrediatur. Et ne quid opinioni, quæ de interiori hujus templi ſanctitate eſt, frequenti & promiſcua adeundi licentia detrahatur, illius fores, quæ nummis aureis argenteisque lamellis obductæ ſunt, bis modo per annum, niſi peregrinantes adfuerint, aperiuntur: quo tempore nonniſi hominibus, genere vel virtute claris, aditus ad hæc excelſa per translatitias ſcalas patet. Maxime autem memorabilis eſt lapis ille niger, quem

non

non forte casuque a conditore repertum, sed manifesto & præsenti numine in monte Abi Kabis ab angelo Gabriele electum, & in illustri ac orientali parte muri palam collocatum esse, credendi facilitate referunt Muslemii. Albi & tam lucidi coloris hic initio fuisse dicitur, ut ejus nitor ex longinquo, & quidem quatridui itinere, oculos non fugerit, paullatim vero, & crescente mali humani mole, adeo tristitiæ & lacrimis se dedisse, ut lugubrem & nigrum splendorem acceperit. Sed quo minus gratiæ & venustatis in fronte, eo plus opulentiæ & dignitatis in recessu habet Kaaba. Ingens ibi vis est auri argentique: nec desunt ornamenta varii generis magnique pretii, in quibus plurimi æstimatur sericus ille pannus, quo etiam exterior & interior pars muri velatur, aureis litteris sacrisque sententiis intertextum opus, & quotannis sumtu Othomannici imperatoris mutandum. Hoc præterea delubrum spatio & corona columnarum, quæ ex metallis factæ, & catenis, argentearum lampadum sustentaculis, inter se junctæ sunt, circumdatum est: cui autem sæpto cohærent quatuor pietatis ædes, totidem Sunnitarum sectis, Hambalitis,

Schafeitis, Malekitis, & Hanefitis, dicatæ, non, nulla alia consecrata loca ut taceam i).

§ V.

De origine hujus templi hæc accepimus. Ubi Abrahamus Ismaëlem cum sua matre Meccam propulerat, accidit, ut Gerhemitæ, homines Jemenses, in Syriam profecturi, sedem circa hanc urbem figerent. Quibus cum hic profugus, dextra data, fidem futuræ amicitiæ sanxit. Mox vero domesticum publico adjunxit fœdus, filia ex illa gente in matrimonium ducta. Atque hoc tempore Abrahamus, præcipiente Deo & ministrante Ismaële, Kaabam condidisse fertur: aperta a dextro ejus latere foveâ, futuræ pecuniæ receptaculo. Sed propius vero est, Homeritas, qui hoc delubrum amplificasse dicuntur, ejus quoque fundamenta jecisse. Posthæc, ut ad nostros annales redeamus, cum Gerhemitæ, qui superiora, & Amalekitæ, qui inferiora Meccæ tenebant, arma inter se conferrent, his fusis, illi victoria & imperio potiti, diu autem non usi sunt. Cum enim jura divina & humana superbe & ava-

re

i) Gihan Numa & Niebuhr p. 311, 312.

re imperitando violassent, brevi eorum arma in Chazaitas cesserunt, cum quibus vero pacem & affinitatem Ismaëlitæ junxerunt. Atqui tam sævis temporibus, dum odiis, viribus de principatu certabatur; sacra etiam Meccana pluribus & inhumanis modis polluta sunt. In ipso templo vestigia dorcadum, fugacium alias ferarum, videbantur. Cum autem Kasi ben Kelàb, profligatis Chazaitis, Meccam cepisset, Korajschitis, nobilissimæ omnium Arabicarum tribui, sua circa delubrum tribunalia exstruendi veniam concessit. Hæc prætoria, quæ Dar Elnedwe (دار الندوة) vocantur, initia fuerunt amplæ & excelsæ porticus, quæ trecentis & undecim marmoreis columnis multisque arcuatis tectis composita, patentem illam aream, in qua media jacet delubrum, suo ambitu complectitur, & Mesged Scherif appellatur. Tantaque est hujus operis magnitudo, ut novendecim portas, introire cupientibus semper patentes, sex & quinquaginta conclavia, religiosi petiti & propitii responsi domicilia, & sex turres, promulgandis precum horis destinata loca, habeat, & peregrinantis populi, vim caloris umbra hujus ædificii vitare cupientis, abunde capax sit k). §. VI.

k) Gihan Numa & Niebuhr l. c.

§. VI.

At vero templum Meccanum, quo non aliud in orbe Muhammedano est sanctius, multis & magnis muneribus, post longam sæculorum seriem repetitis, cumulatum quoque fuit. Ut quisque religione & opibus maxime valuit, ita plurimum voluntatis & operæ ad ornanda illius integra vel reficienda illius fracta contulit. Illustri exemplo nobis erit primum Chalifa Walid ben Abd Elmelek, qui ingentem vim pecuniæ misit, ut ea non memoratus solum Kaabæ canalis, sed omnes etiam ejus trabes inaurarentur. Hunc excepit Chalifa Mutvakal, quo non alius in hoc delubrum liberalior. Cum omnes Kaabæ angulos auro obduxisset, conquiescere non potuit, nisi eadem re in omnibus ejus columnis, numero viginti tribus, studiose perfecta. Addidit etiam lapides summæ raritatis & caritatis, margaritas gemmasque varii generis: item velum, intus suspensum, cingulo argenteo aureoque monili distinxit. Optimisque Sulejmani auspiciis, porta hujus templi, quam sacrilega manus suo argento privaverat, pristinam faciem recuperavit. Sic & imperatores Achmed Chan & Murad, suo quisque modo, Kaabam ornarunt. Ille enim adaman-

mantem pretio octoginta mill. aureorum, hic tres lampades auro argentoque cælatas muneri misit. Eosque principes munificentia æquarunt vel superarunt reges Persarum, qui præter grandem pecuniam & clarissimas margaritas, tres auro gemmisque illuminatas effigies, unam solis, lunæ duas, dono dederunt. Et ut nec Kaabæ externa deesset species & pulchritudo, eam Asaad, princeps Jemensis, primum corio antiquius & simplicius, deinde textili pictoque stragulo religiosius & decentius cooperuit: cujus exemplum quoque secuti sunt Chalifæ, qui hoc delubrum coccineo vel albo velamine bis aut ter per annum ornare cœperunt. Sed rebus Chalifarum turbatis, curam sacri hujus integumenti magnifice sustinuerunt principes Ægypti & Jeminis reges, donec eam imperatores Turcarum sumtuose susceperunt. Ad tantam vero pietatem accessit haud minor humanitas. Ut Mecca non minus litterarum morumque magistra, quam pervulgatæ religionis sedes esset, laudatus Sulejman quatuor celebribus Muhammedanorum sectis suas condidit scholas, quæ singulæ quindecim studiosis & uni præceptori gratis paterent Quibusque unam addidit Scherif Eddin, Emir nobilis, hac etiam virtu-

te

te cognitus, quod suam scholam præstantissimis libris locupletavit. Quin & duplici beneficio Meccam obstrinxit Gajâs Eddin, Bengalæ imperator, qui illius non gravem modo inopiam pondere auri & ædificio hospitii levavit, sed rudem etiam juventutem instituto doctrinæ & virtutis fovit & complexus est l). Multi etiam alii, præcipue dum nova & acceptior Muhammedis doctrina erat, primum illius templum & Kaabam suis studiis & fortunis certatim prosecuti sunt: quorum nomina & opera non dicam, ut cætera, quæ nostri sunt consilii, exponendi locum habeam.

§. VII.

Sed delubrum Meccanum non minus adversis, quam prosperis rebus memorabile est. Haud pauca fortuita & tristia ei acciderunt, quorum subitos casus nulla humana consilia & opera antevertere potuerunt. Positio autem cœli & urbis in caussa fuit, cur hoc templum exundationi aquarum sæpius fuerit obnoxium. Illius terræ imbres, objectu montium & torrentis modo per declivia effusi, quie-

l) Gihan Numa.

quicquid impedimenti in planis offenderint, si grave est, obruunt, si leve, secum auferunt. Multa hujus cladis exempla, nonnulla proferam. Tristis est indigenis recordatio ingentis profluvii, nomine Neheschel (نهشل) noti, quod ex improviso & proximis jugis instar rapidi amnis venit, & ipsam Kaabam (fœdum spectaculum) intravit. Quod malum ne amplius nascatur, saxis constructi sunt canales, exitiosæ inundationis parata receptacula. Nec vanus fuit hic metus, nec timidos sui pœnituit laboris, etsi claris postea indiciis probatum est, naturam plus, quam artem valere. Ex montibus, qui meridiem adspiciunt, per decem fere annos magna vis aquarum erupit, majori tamen civium trepidatione, quam damno. Plus nocuit illa alluvies, quæ anno octingentesimo primo æræ Muhammedanæ tam pleno & forti ingruit alveo, ut, multis hospitiis vastatis, nec minori mortalium vi abrepta, ipsum delubrum ad pendentes usque lampades suo fluctu impleverit. Idem fere fatalis eventus centum post annis: & ab illo tempore dimidii circiter sæculi decursu, ex simili casu tantum detrimenti cepit Kaaba, ut ad illius remedium Imperator Murad duas miserit na-

ves, marmore aliisque rebus onustas; quæ autem, cum naufragium fecissent, communi consensu decretum fuit, ut illud argentum, quo supra nominatus Achmed cingulum delubri distinxerat, in hunc usum signaretur. Quem vero torrentem, interjecto quatuor & quinquaginta annorum spatio, secutus est alius & gravior, tantam vim aquarum vehens, ut dirutis canalium aggeribus, ingentem numerum, jumentorum in campo, hominum in templo, oppresserit. Tot tantasque calamitates cumularunt etiam casus ignis, varii & luctuosi. Semel Kaaba ictu fulminis, nec sine magna clade, tacta fuit: manifesto argumento, nobilem illum Meccanum, cui Abdallah nomen, veritatem non dixisse, sive ignorantia, sive superstitione, cum Constantinopoli fidem mihi facere vellet, hoc sanctissimum templum nullo unquam tempore cœlesti igne percussum fuisse. Ad hoc inevitabile malum accessere duo alia incendia, æque gravia, non æque excusata. Alterum enim, quod manifestæ incuriæ tribuatur, ita ortum dicitur, ut, cum quædam mulier thura & odores in delubro incenderet, scintilla elapsa fuerit, quæ tectum corripuit, & omnia, præter mœnia, hausit. Alterum vero ejusmodi ini-

iniqua hac forte accidit, ut, cum mus ardentem in domo monachi candelam avide prehenderet, tractu flammæ primum illud conclave, & deinde templum ei contiguum incensum fuerit m).

§. VIII.

Atqui quo latius Muhammedana religio sparsa & disseminata est, eo plura in illius curam & auctoris honorem templa sunt condita. Omnium vero, si minus ratione ædificii maximum & pulcherrimum, tamen opinione vulgi augustissimum & sanctissimum est, quod Meccæ habetur. Huic enim loco, quo Abrahamus & Ismaël orti creduntur, & quo major pars Corani in lucem Muhammedani orbis prodiit, sanctum aliquid & venerabile inesse putatur. Quamquam vero hoc superstitionis persvasione sibi persuadunt Muslemii, tamen legis tenore iis injunctum est, ut id, de quo non dubitant, etiam coram videant. Sic ad omnium pertinet officium, Meccam peregrinari. Ex æqua autem hujus juris interpretatione, crimine culpæ non tenentur, qui iter tanti sumtus propter inopiam suscipere non pos-

m) Gihan Numa.

possunt. Nec divitibus vitio vertitur, si, blandiente inertia, alios homines, quibus minus rerum, plus autem fortitudinis est, ad obeunda suo nomine sacra Meccana conduxerint, ita ut hæc gens pretium offerendo, domique sedendo peregrinetur. Talique modo ex potentium pecunia & indigentium servitio oritur sacra cohors, quæ undique, ex Europa, Africa, & Asia, ingenti numero Meccam confluit. Cum vero urbi appropinquat, tanta est templi reverentia, ut sua quisque veste detracta, linteam & humilem sumat, & cidari quoque deposita, nudato capite incedat. Initia vero pietatis in monte Arafat: quo loco inter pia vota & multa lumina in memoriam Abrahami, suum filium sacrificaturi, hostiis litatur. Datoque hoc piaculo, puris & castis ad limen Kaabæ aditus patet. Hæc cærimonia. Delubrum, vultu, voce gestuque ad pietatem compositis, per septem vices circumire omnibus, lapidemque nigrum, cujus mentionem fecimus, osculari mos est & religio. Qui autem hoc saxulum ore non possunt, extremis digitis contingere in turba student. Adeoque ater hic calculus tot caritatis signis, quot nulla unquam persona, cumulatus est. His solennibus peractis, a templo & pietatis venditatio-

ne

ne ad forum & quæstuosam mercaturam disceditur, insita hominibus naturâ, avaritiam superstitioni miscere. Quo autem penes plurimos nihil est sancti, nullus Dei metus, nulla religio est. Omnia circumstantium vocibus, litigantium jurgiis, & mercantium lucrosis studiis strepunt. Sed etsi multi Muslemiorum in contrahendo subdoli, tamen fere omnes in dando munifici sunt. Neque Meccani citius suam domum peregrinantibus referant, quod fiat gratis, quam hi illorum pauperibus suam manum aperiunt, quod fit large & libenter. Sacra autem cohors, cum satis Meccæ inopiam pavit, ejusque opes coemit, in patriam revertitur, & postquam Medinam, sepulcrum Muhammedis, aliaque sacra loca visitavit, bona & fortunas sibi, nomen & salutem ignavis domum refert. Hæc sunt delubri Meccani primordia, species, fata, & veneratio: quæ omnia licet rudi & incondita voce perscripserim, tamen Sacri peregrini non incuriosis aliquid ea voluptatis allatura existimaverim.

XX.

XX. DE SEMUM, VENTO PESTIFERO.

§. I.

Cum multa ſunt in rerum natura, quæ delectationem, tum Semum, ventus Orientalis, inter ea eſt, quæ ſtuporem afferunt. Aut compoſita & in falſum aucta ſunt, quæ de hac tempeſtate tradunt ſcriptores, aut non alia vis, nec major, nec eaſibus atrocior cognita eſt. Similitudinem habet cum fulmine, quo præſente & manifeſto tanquam Numine propter mores irato genus humanum horreſcit. Si autem unius tam alti & abditi ſecreti ratio innotuit, quæ ſit alterius, ad noſtra usque tempora compertum non eſt. Tamen licet mihi, ex iis, quæ de Semum accepi, veſtigia quædam illius & quaſi lineamenta aperire.

§. II.

Primum omnium explicanda nobis videtur vis vocabuli Semum, quod Arabicum eſt, ſcribitur

سموم ,

ܣܡܘܡ, &, interprete Golio, ventum ferventem interdiu ſudinde & noctu ſpirantem ſignificat. Addit Wankuli, Lexicographus Turcicus, illum ventum locis diſertis proprium eſſe. Et inclinat animus, ut credam, Hebræorum זלעפה ab Arabum Semum non diſcrepaſſe: quod, ſi أزلغب, uſtulata fuit cutis, in comparationem venerit, non ex multorum conjectura turbinem, procellam, ſed pro etymo æſtum fervidum & igne quaſi conficientem notabit. Sententiam confirmant loci, quibus occurrit. Pſ. XI. 6. ורוח זלעפות מנת כוסם & afflatus venenati ventus ſors eorum calicis. Ipſum hauriendi calicis verbum eſt euro, cujus peſtifera vis imbibitur, aptiſſimum, & Arabibus ac Syris, de morte loquentibus, uſitatum. Ephræm. Syrus a): ܟܣܐ [illegible] hauſto mortis poculo, effugimus. Et Arabs poëta b): سقينا كاس حتفٍ هذيلا Hudalitis calicem mortis bibendum dedimus. Fides præterea ex contextu eſt. Præcedunt

a) Tom. I. p. 46. b) Schult. Gramm. Arab.

cedunt enim: pluet in impios prunis & sulphure. Sic, ad exemplum Græci ανθρακας in Originis Hexaplis, Hebræum פחים ab Arabico فحم carbo transfero: quæ vox nude posita carbonem, adjecto autem אש, illum ardentem s. prunam significare videtur. Accedit Thren. V. 10: Nigruit cutis nostra, tanquam si furno usta esset, מפני זלעפות רעב præ famis vi ardente. Quæ enim comparatio esset? Nigruit cutis nostra, tanquam si in fornace usta esset, procellis famis.

§. III.

Duplex autem est vis tempestatis, cui nomen Semum dicitur: altera communis & annua, altera singularis & rarior. De utraque speciatim agere volo. Ad communem quod attinet, cum Scirocco Italorum, vento propter æstum famoso, congruit, eo tantum discrimine, quod vehementior est. Etenim in Oriente quo propior est solis accessus, eo major vis caloris est, quæ, aëre concitato, valescit & sævit. Tamen in hoc etiam orbe

terra:

terrarum, pro varia cœli poſitione differt; impetu ejus in locis eminentibus quam in depreſſis remisſiori. In illis enim cum rari, tum in his frequentes ſunt imbres, qui modum caloris temperant. Documentum diſcriminis in Tehama, regione campeſtri circumdatisque jugis, habetur c). In univerſum vero ſi Semum æſtimatur, hinc, illinc ſpirat; tamen ut plurimum eurus eſt, aut eurus in auſtrum flexus d). Et media æſtate vix ejus æſtus toleratur, qui rapidæ inſtar flammæ corripit & haurit. Scilicet raritas aëris ſpiritusque tum animantes haud ſatis nutrit: & flatu ardenti tanquam ſole meridiano ipſa metalla caleſcunt e). Diviſa enim tempora non habet ejus furor, qui, ſive dies ſive nox fuerit, idem eſt, æque cæcus & ignitus. Neque hic brevis. Si Abd Allah, Scherif Meccanus, vero majora mihi non retulit, menſtrui ſpatium, & quod excedit, ſpirans Meccæ quotannis im-

 plet

c) Niebuhr. Description de L'Arabie. p. 4.

d) Idem lib. cit. p. 6. Et Abd Allah, quo linguæ Arabicæ magistro Constantinopoli usus sum.

e) Niebuhr. lib. cit. p. 6.

plet f). Levamento autem repertæ ſunt domus ſubterraneæ aut cellæ, dolio quodam in ſuprema parte inſtructæ, quo admiſſa vitalis aura incluſo frigore temperatur g). Et ubi hæc receptacula non adſunt, moleſtia Semumi arcetur, valvis, foribus & feneſtris clauſis. Aquam præterea per plateas ſpargere uſitatum eſt: quæ immodicum calorem ſalubri vapore huc & illuc digerat & miniſtret h). Sub dio autem periculoſe agitur. Hinc, & ſæviente Semum, in urbibus fora ſunt vacua, clauſæ tabernæ, & officinæ tacentes: in agris palo ſuſpenſa aratra, aut in medio opere defixa: & in viis magna ſolitudo. Eventus enim docuit, fla-

---

f) Abd Allah: يجي السموم . من الشرق والبر بالليل وبالنهار ويستغيم شهرا واكثر *Venit Semum ex oriente, et die nocteque per menstrui aut longioris temporis spatium spirat.*

g) Niebuhr lib. cit. p. 6.

h) Niebuhr lib. cit. p. 6, 7. Et Abd Allah: يرشوا الما في الزقاق ويسكروا الباب ويدخلوا في وسط البيت *Fusa per plateas aqua, et clausa porta, in parte ædium interiori se abdunt.*

flagrante hac canicula, commercantes, rusticantes aut peregrinantes, si minus capitis, tamen salutis periculum subinde adiisse i).

§. IV.

Atqui si Semumi species, de qua disputatum est, valetudini gravis, ea, de qua jam dicetur, vitæ periculosa est. Nostri vero tam provida & consultrix fuit Natura Divina, ut, sicut cetera mala, ita hoc raro nascatur. Longiora sunt intervalla temporum, quibus nulla injuria cognitum fuit Semum. Campis autem, nudis & arenosis, quo magis quæque terra patescit, eo frequentius letiferam hanc tempestatem gignit & transmittit. Sic solitudo, æqua & aprica, quæ Basoram, Bagdad, Haleb & Meccam distingvit, repetitis inde cladibus nobilitata est. Funesta etiam in Persia & India exempla. Traditur, planitiem, quam Beit Elfakih &

---

i) Niebuhr lib. cit. pag. 6, 7. Abd Allah:
في هذا الزمان يشتغلوا في البيوت
ولا يخرجوا ولا يسافروا الا ضررتنا
Hoc tempore negotia sub tectis obeunt: nec quisquam, nisi necessitas affuerit, foras exierit, aut iter susceperit.

& Hodeide prospectant, similis mali expertem non esse k). Idem de vastis Ægypti & Æthiopiæ desertis memoriæ proditum est l). Et quemadmodum supra memorata, ita hæc Semumi species, pro situ locorum, alia ab alio latere erumpit; eurus enim Meccæ, africus Bagdadi, corus Basoræ, & aquilo Suratæ pestem flammamque, & quidem appetente meridie præcipue minitatur m). Horrenda vero tum & futuri quasi præsaga est cœli imago: non claritas, non nubes: fusca quæ extrema mundi ora: & langvescentis fulgor solis in similitudinem sangvinis mutatus n). Præceduntque hæc sig-

---

k) Niebuhr lib. cit. p. 7.

l) J. Bruce's Travels to discover the Source of the Nile. T. IV. p. 341, 581, 583.

m) Niebuhr lib. cit. p. 7.

n) Bruce lib. cit. T. IV. p. 581: about a quarter before tvelve, our prisoner first, and then Idris, cried out, The Simoom! the Simoom! My curiosity would not suffer me to fall down looking behind me. About due south, a little to the east, i saw the coloured haze as before. It seemed now to be rather less compressed, and to have with it a shade of blue. The edges of it were not designed as those of the

ſigna leti turbinem, qui murmure minaci aures perſtringit, jam celerius, jam ſegnius transiens o). Atque niſi cautio adhibita fuerit, certum inde exitium. Cauſſa autem mali quo occultior, eo magis ingenia inquirentium ſollicitavit. Sunt, qui eam ex nimio calore repetant. Quibusdam enim contactu hujus venti exſpirantibus vox ſuprema, ſi qua in poteſtate fuit, hæc edita narratur: **igne urimur** p). Neque is ego ſum, qui repugnem, modo

---

former, but like a very thin smoke, with about a yard in the middle tinged with those colours. Abd Allah: في وقت السموم الشمس مثل . النار حامية احمر صحو ولكن ما هي صافية. *Tempore Semumi, ignis ardentis et vim et speciem sol habet, clare tamen in cælo quamvis sereno non lucet.*

o) Bruce loc. cit.: We all fell upon our faces, and the Simoom passed with a gentle ruffling wind. Et p. 583: The blue meteor, with which it began, passed over us about tvelve, and the ruffling wind that followed it continued till near two.

p) Busching's Erdbeschriebung V. Th. I. Abth. S. 191. seqq.

modo præproperi fati origo etiam in solo quæratur. Magna enim pars telluris est, cujus cœlum æque calidum, tamen non æque periculosum est. Accedat itaque oportet res etiam terrestris, quæ plurimo sole excitata, spiritum in præsentissimi modum veneni aufert. De his autem judicent, quibus arcana naturæ scrutari honos est.

§. V.

Semumi vero si origo latet, palam ante oculos effectus est. Tanta est illius vis, ut eam, quæ fulminis est, non tam æquare quam superare videatur. Etenim non ferit solum & percellit, sed suo etiam ictu tanquam multi temporis tabe absumit. Subito anima efflatur: corpus pari celeritate tumescit: sangvis per nares, os auresque redditur: color subviridis aut rubidus, plerumque mixtus, suffunditur: & membra, quasi cæca putredine fluentia, si tacta fuerint, dilabuntur. Exempli loco, brachia, crura, aut quæcumque alia pars corporis prehensa fuerit, suo toto soluta manum trahentis sequetur q). Tamen omnibus hæc tempestas non juxta

q) Idem loc. cit. Niebuhr lib. cit. et Abd Allah:

juxta capitalis æſtimatur. Eſt aliaqua illius cum peſte ſimilitudo. Lue enim ſicut unius ita alterius pereunt alii extemplo, aliis vero ſpiritus aliquot poſt horis labitur, qui interclūſus ſæpe aliis redit. Cauſſaque in modo virium poſita creditur: ita ut, quo plus roboris fuerit, eo minus formidinis ex peſtilentia Semumi immineat. Inde mos eſt Arabibus, oleum uvasque paſſas in itineribus ſecum ferre: quæ animi & corporis recreationi deſtinata, caſu Semumi in virtutem quoque remedii converti ſolent r). Multum vero ſi valet natura, plurimum

من جا له السموم يموت خالا ويخرج
الدم من الفم والاذنان والاخشام
ويصير جسد الانسان احمر مثل
الدم ويرتخي اللحم من العظم

Qui Semumo tactus fuerit, e veſtigio moritur, ſanguine per os, aures, nareſque fuſo, et corpori color ſanguinis ſuffunditur. Et qua carnis oſſiumque compages eſt, etiam diſſolvitur.

r) Niebuhr lib. cit. p. 8. On croit avoir obſervé, que ceux qui étoient moins abattus et moins fatigués, y etoient moins expoſés que les autres. Ainſi d'une grande caravane, il n'y avoit que 4 ou 5 perſonnes, qui moururent

mum etiam momenti consuetudo affert. Quicquid enim, sive hominum, sive brutorum animantium fuerit genus, solo cœloque regionis adsuetum est, supremam ex Semum necessitatem facilius, quam quod peregrinum sit, èvadere dicitur s). Fama etiam est, modo credentibus fallax non sit, Se-

mumo

---

sur le champ, plusieurs ont encore véçu quelques heures, d'autres ont été retablis par des refraichissemens, que les Arabes portent ordinairement en voyage tels que de l'ail et des rasins secs, et dont ils se servent avec succès pour rappeller à la vie des personnes prèsqu' etouffées.

s) Abd Allah: اهل البلد يصبروا علي السموم اكثر من الغربا هكذا حيواناتهم ايضا وحيوانات حق الغربا يموتوا مثلهم في الحال من حوم السموم ويصير الجلد منفصل من اللحم واللحم منفصل من العظم ويصير لون الكل احمر *Semumi major ess patiencia indigenis, quam advenis, sive hominum sive ferarum fuerit genus: quod si alius orbis fuerit, mors festina, mutua, quæ carnis ossiumque est, coagmentationis laxatio, et color rubidus per totum per partes diffusus sequitur.*

mumo minus obnoxias esse feras hirsutas, quasi adversus vim ejus mortiferam frequentia & firmitas pilorum tutamini esset t).

§. VI.

Ubi autem mala, ibi etiam remedia: quæ nosse, humanæ rationi relictum est. Hæc autem, etsi quid faciendum, quid fugiendum sit, docet & explanat, tamen (mirum dictu) multa sunt, quæ bruto animantium genere quasi magistro & duce didicit & expressit. Exempla varia: illustre nobis offertur in modo, quo nocitura Semumi potestas a camelis & mulis vitatur. Præsentiunt hi, & quidem ex longinquo (tanta est vis sui odoris), illum ventum adesse, ejusque adventum capite humi defixo quasi latebra quadam eludunt u). Cum

t) Busching loc. cit.

u) Niebuhr lib. cit. p. 7. Abd Allah: يشموا الحيوانات قبل الانسان رايحة السموم ويضعوا روسهم في الارض حتى يفوت *Jumenta, quæ citius homine odorem Semumi capiunt, humi capita sua defixa, donec transeat ille ventus, tenent.*

possunt. Nec divitibus vitio vertitur, si, blandiente inertia, alios homines, quibus minus rerum, plus autem fortitudinis est, ad obeunda suo nomine sacra Meccana conduxerint, ita ut hæc gens pretium offerendo, domique sedendo peregrinetur. Talique modo ex potentium pecunia & indigentium servitio oritur sacra cohors, quæ undique, ex Europa, Africa, & Asia, ingenti numero Meccam confluit. Cum vero urbi appropinquat, tanta est templi reverentia, ut sua quisque veste detracta, linteam & humilem sumat, & cidari quoque deposita, nudato capite incedat. Initia vero pietatis in monte Arafat: quo loco inter pia vota & multa lumina in memoriam Abrahami, suum filium sacrificaturi, hostiis litatur. Datoque hoc piaculo, puris & castis ad limen Kaabæ aditus patet. Hæc cærimonia. Delubrum, vultu, voce gestuque ad pietatem compositis, per septem vices circumire omnibus, lapidemque nigrum, cujus mentionem fecimus, osculari mos est & religio. Qui autem hoc saxulum ore non possunt, extremis digitis contingere in turba student. Adeoque ater hic calculus tot caritatis signis, quot nulla unquam persona, cumulatus est. His solennibus peractis, a templo & pietatis venditatione

ne ad forum & quæstuosam mercaturam discedatur, insita hominibus naturâ, avaritiam superstitioni miscere. Quo autem penes plurimos nihil est sancti, nullus Dei metus, nulla religio est. Omnia circumstantium vocibus, litigantium jurgiis, & mercantium lucrosis studiis strepunt. Sed etsi multi Muslemiorum in contrahendo subdoli, tamen fere omnes in dando munifici sunt. Neque Meccani citius suam domum peregrinantibus referant, quod fiat gratis, quam hi illorum pauperibus suam manum aperiunt, quod fit large & libenter. Sacra autem cohors, cum satis Meccæ inopiam pavit, ejusque opes coemit, in patriam revertitur, & postquam Medinam, sepulcrum Muhammedis, aliaque sacra loca visitavit, bona & fortunas sibi, nomen & salutem ignavis domum refert. Hæc sunt delubri Meccani primordia, species, fata, & veneratio: quæ omnia licet rudi & incondita voce perscripserim, tamen Sacri peregrini non incuriosis aliquid ea voluptatis allatura existimaverim.

XX. DE SEMUM, VENTO PESTIFERO.

§. I.

Cum multa ſunt in rerum natura, quæ delectationem, tum Semum, ventus Orientalis, inter ea eſt, quæ ſtuporem afferunt. Aut compoſita & in falſum aucta ſunt, quæ de hac tempeſtate tradunt ſcriptores, aut non alia vis, nec major, nec caſibus atrocior cognita eſt. Similitudinem habet cum fulmine, quo præſente & manifeſto tanquam Numine propter mores irato genus humanum horreſcit. Si autem unius tam alti & abditi ſecreti ratio innotuit, quæ ſit alterius, ad noſtra usque tempora compertum non eſt. Tamen licet mihi, ex iis, quæ de Semum accepi, veſtigia quædam illius & quaſi lineamenta aperire.

§. II.

Primum omnium explicanda nobis videtur vis vocabuli Semum, quod Arabicum eſt, ſcribitur

سموم ,

سموم, &, interprete Golio, ventum ferventem interdiu fudinde & noctu fpirantem fignificat. Addit Wankuli, Lexicographus Turcicus, illum ventum locis difertis proprium esfe. Et inclinat animus, ut credam, Hebræorum זלעפה ab Arabum Semum non diferepaffe: quod, fi أزلغب, uftulata fuit cutis, in comparationem venerit, non ex multorum conjectura turbinem, procellam, fed pro etymo æftum fervidum & igne quafi conficientem notabit. Sententiam confirmant loci, quibus occurrit. Pf. XI. 6. ורוח זלעפות מנת כוסם & afflatus venenati ventus fors eorum calicis. Ipfum hauriendi calicis verbum eft euro, cujus peftifera vis imbibitur, aptiffimum, & Arabibus ac Syris, de morte loquentibus, ufitatum. Ephræm. Syrus a): ܟܣܐ ܕܡܘܬܐ ... haufto mortis poculo, effugimus. Et Arabs poëta b): سقينا كاس حتف هذيلا Hudalitis calicem mortis bibendum dedimus. Fides præterea ex contextu eft. Præcedunt

a) Tom. I. p. 46. b) Schult. Gramm. Arab.

cedunt enim: pluet in impios prunis & sulphure. Sic, ad exemplum Græci ανθρακας in Originis Hexaplis, Hebræum פחים ab Arabico فحم carbo transfero: quæ vox nude posita carbonem, adjecto autem אש, illum ardentem s. prunam significare videtur. Accedit Thren. V. 10: Nigruit cutis nostra, tanquam si furno usta esset, מפני זלעפות רעב præ famis vi ardente. Quæ enim comparatio esset? Nigruit cutis nostra, tanquam si in fornace usta esset, procellis famis.

§. III.

Duplex autem est vis tempestatis, cui nomen Semum dicitur: altera communis & annua, altera singularis & rarior. De utraque speciatim agere volo. Ad communem quod attinet, cum Scirocco Italorum, vento propter æstum famoso, congruit, eo tantum discrimine, quod vehementior est. Etenim in Oriente quo propior est solis accessus, eo major vis caloris est, quæ, aëre concitato, valescit & sævit. Tamen in hoc etiam orbe

terra:

terrarum, pro varia cœli positione differt; impetu ejus in locis eminentibus quam in depressis remissiori. In illis enim cum rari, tum in his frequentes sunt imbres, qui modum caloris temperant. Documentum discriminis in Tehama, regione campestri circumdatisque jugis, habetur c). In universum vero si Semum æstimatur, hinc, illinc spirat; tamen ut plurimum eurus est, aut eurus in austrum flexus d). Et media æstate vix ejus æstus toleratur, qui rapidæ instar flammæ corripit & haurit. Scilicet raritas aëris spiritusque tum animantes haud satis nutrit: & flatu ardenti tanquam sole meridiano ipsa metalla calescunt e). Divisa enim tempora non habet ejus furor, qui, sive dies sive nox fuerit, idem est, æque cæcus & ignitus. Neque hic brevis. Si Abd Allah, Scherif Meccanus, vero majora mihi non retulit, menstrui spatium, & quod excedit, spirans Meccæ quotannis im-

 plet

c) Niebuhr. Description de L'Arabie. p. 4.

d) Idem lib. cit. p. 6. Et Abd Allah, quo linguæ Arabicæ magistro Constantinopoli usus sum.

e) Niebuhr. lib. cit. p. 6.

flagrante hac canicula, commercantes, ruſticantes aut peregrinantes, ſi minus capitis, tamen ſalutis periculum ſubinde adiiſſe i).

§. IV.

Atqui ſi Semumi ſpecies, de qua diſputatum eſt, valetudini gravis, ea, de qua jam dicetur, vitæ periculoſa eſt. Noſtri vero tam provida & conſultrix fuit Natura Divina, ut, ſicut cetera mala, ita hoc raro naſcatur. Longiora ſunt intervalla temporum, quibus nulla injuria cognitum fuit Semum. Campis autem, nudis & arenoſis, quo magis quæque terra pateſcit, eo frequentius letiferam hanc tempeſtatem gignit & transmittit. Sic ſolitudo, æqua & aprica, quæ Baſoram, Bagdad, Haleb & Meccam diſtingvit, repetitis inde cladibus nobilitata eſt. Funeſta etiam in Perſia & India exempla. Traditur, planitiem, quam Beit Elfakih &

i) Niebuhr lib. cit. pag. 6, 7. Abd Allah:
في هذا الزمان يشتغلوا في البيوت
ولا يخرجوا ولا يسافروا الا ضررنا
Hoc tempore negotia suh tectis obeunt: nec quisquam, nisi necessitas afflueril, foras exierit, aut iter susceperit.

& Hodeide prospectant, similis mali expertem non esse k). Idem de vastis Ægypti & Æthiopiæ desertis memoriæ proditum est l). Et quemadmodum supra memorata, ita hæc Semumi species, pro situ locorum, alia ab alio latere erumpit; eurus enim Meccæ, africus Bagdadi, corus Basoræ, & aquilo Suratæ pestem flammamque, & quidem appetente meridie præcipue minitatur m). Horrenda vero tum & futuri quasi præsaga est cœli imago: non claritas, non nubes: fusca quæ extrema mundi ora: & langvescentis fulgor solis in similitudinem sangvinis mutatus n). Præceduntque hæc sig-

k) Niebuhr lib. cit. p. 7.

l) J. Bruce's Travels to discover the Source of the Nile. T. IV. p. 341, 581, 583.

m) Niebuhr lib. cit. p. 7.

n) Bruce lib. cit. T. IV. p. 581: about a quarter before tvelve, our prisoner first, and then Idris, cried out, The Simoom! the Simoom! My curiosity would not suffer me to fall down looking behind me. About due south, a little to the east, i saw the coloured haze as before. It seemed now to be rather less compressed, and to have with it a shade of blue. The edges of it were not designed as those of the

ſigna leti turbinem, qui murmure minaci aures perſtringit, jam celerius, jam ſegnius transiens o). Atque niſi cautio adhibita fuerit, certum inde exitium. Cauſſa autem mali quo occultior, eo magis ingenia inquirentium ſollicitavit. Sunt, qui eam ex nimio calore repetant. Quibusdam enim contactu hujus venti exſpirantibus vox ſuprema, ſi qua in poteſtate fuit, hæc edita narratur: igne urimur p). Neque is ego ſum, qui repugnem, modo

former, but like a very thin smoke, with about a yard in the middle tinged with those colours. Abd Allah: في وقـــت الســـــموم الشمس مثل . النار حامية احمر صحو ولكن ما هي صافية *Tempore Semumi, ignis ardentis et vim et speciem sol habet, clare tamen in cælo quamvis sereno non lucet.*

o) Bruce loc. cit.: We all fell upon our faces, and the Simoom passed with a gentle ruffling wind. Et p. 583: The blue meteor, with which it began, passed over us about tvelve, and the ruffling wind that followed it continued till near two.

p) Busching's Erdbeschriebung V. Th. I. Abth. S. 191. seqq.

modo præpropreri fati origo etiam in solo quæratur. Magna enim pars telluris est, cujus cœlum æque calidum, tamen non æque periculosum est. Accedat itaque oportet res etiam terrestris, quæ plurimo sole excitata, spiritum in præsentissimi modum veneni aufert. De his autem judicent, quibus arcana naturæ scrutari honos est.

§. V.

Semumi vero si origo latet, palam ante oculos effectus est. Tanta est illius vis, ut eam, quæ fulminis est, non tam æquare quam superare videatur. Etenim non ferit solum & percellit, sed suo etiam ictu tanquam multi temporis tabe absumit. Subito anima efflatur: corpus pari celeritate tumescit: sangvis per nares, os auresque redditur: color subviridis aut rubidus, plerumque mixtus, suffunditur: & membra, quasi cæca putredine fluentia, si tacta fuerint, dilabuntur. Exempli loco, brachia, crura, aut quæcumque alia pars corporis prehensa fuerit, suo toto soluta manum trahentis sequetur q). Tamen omnibus hæc tempestas non juxta

q) Idem loc. cit. Niebuhr lib. cit. et Abd Allah:

juxta capitalis æſtimatur. Eſt aliaqua illius cum peſte ſimilitudo. Lue enim ſicut unius ita alterius pereunt alii extemplo, aliis vero ſpiritus aliquot poſt horis labitur, qui interclūſus ſæpe aliis redit. Cauſſaque in modo virium poſita creditur: ita ut, quo plus roboris fuerit, eo minus formidinis ex peſtilentia Semumi immineat. Inde mos eſt Arabibus, oleum uvasque paſſas in itineribus ſecum ferre; quæ animi & corporis recreationi deſtinata, caſu Semumi in virtutem quoque remedii converti ſolent r). Multum vero ſi valet natura, plurimum

---

من جا له السموم يموت حالا ويخرج
الدم من الفم والاذنان والاخشام
ويصير جسد الانسان احمر مثل
الدم ويرتخي الحم من العظم

Qui Semumo tactus fuerit, e vestigio moritur, sanguine per os, aures, naresque fuso, et corpori color sanguinis suffunditur. Et qua carnis ossiumque compages est, etiam dissolvitur.

r) Niebuhr lib. cit. p. 8. On croit avoir observé, que ceux qui étoient moins abattus et moins fatigués, y etoient moins exposés que les autres. Ainsi d'une grande caravane, il n'y avoit que 4 ou 5 personnes, qui moururent

mum etiam momenti consuetudo affert. Quicquid enim, sive hominum, sive brutorum animantium fuerit genus, solo cœloque regionis adsuetum est, supremam ex Semum necessitatem facilius, quam quod peregrinum sit, evadere dicitur s). Fama etiam est, modo credentibus fallax non sit, Semumo

mumo

---

sur le champ, plusieurs ont encore véçu quelques heures, d'autres ont été retablis par des refraichissemens, que les Arabes portent ordinairement en voyage tels que de l'ail et des rasins secs, et dont ils se servent avec succès pour rappeller à la vie des personnes présqu' etouffées.

s) Abd Allah: أهل البلد يصبروا علي السموم اكثر من الغربا هكذا حيواناتهم ايضا وحيوانات حق الغربا يموتوا مثلهم في الحال من دوم السموم ويصير الجلد منفصل من اللحم واللحم منفصل من العظم ويصير لون الكل احمر *Semumi major est patientia indigenis, quam advenis, sive hominum sive ferarum fuerit genus: quod si alius orbis fuerit, mors festina, mutua, quæ carnis ossiumque est, coagmentationis laxatio, et color rubidus per totum per partes diffusus sequitur.*

mumo minus obnoxias esse feras hirsutas, quasi adversus vim ejus mortiferam frequentia & firmitas pilorum tutamini esset t).

§. VI.

Ubi autem mala, ibi etiam remedia: quæ nosse, humanæ rationi relictum est. Hæc autem, etsi quid faciendum, quid fugiendum sit, docet & explanat, tamen (mirum dictu) multa sunt, quæ bruto animantium genere quasi magistro & duce didicit & expressit. Exempla varia: illustre nobis offertur in modo, quo nocitura Semumi potestas a camelis & mulis vitatur. Præsentiunt hi, & quidem ex longinquo (tanta est vis sui odoris), illum ventum adesse, ejusque adventum capite humi defixo quasi latebra quadam eludunt u). Cum

 enim

t) Busching loc. cit.

u) Niebuhr lib. cit. p. 7. Abd Allah: يشموا الحيوانات قبل الانسان رايحة السموم ويضعوا روسهم في الارض حتا يفوت *Jumenta, quæ citius homine odorem Semumi capiunt, humi capita sua defixa, donec transeat ille ventus, tenent.*

enim omnis vaporis ea ſit natura, ut ſuperiora petat; juga & colles, ſaxa & arbores efficere videntur, ne ille, qui Semumi peſtifer eſt, inferiora teneat. Salubre inde Arabibus præceptum. Sub occurſum enim Semumi, ad imitationem ſui quisque jumenti, in campo procumbit, & in ventrem provolutus, oreque operto, ſalutem quærit. Sagacitas præterea, quæ genti magna eſt, talia etiam præmonet. Nam ut ceteros ſenſus, ita odoris acutiſſimum pro ſingulari & ingenerata frugalitate habent. Si exteri, & qui idem conſequi inveſtigando non poſſint, in ſocietate itineris fuerint, iis etiam manu, voce ſignificant impendens periculum periculique declinandi rationem. Nec conſilium impune ſpernitur. Affirmant, qui interfuere, fidem & obſequium omnibus ſaluti, temeritatem vero & caſum multis exitio fuiſſe. Et memoria eſt, qui arcanum hocce cœli cognoſcere voluit, eum, & qui primus experimentum fulminis inſtituit, pari fato exceſſiſſe x).

XXI.

x) Niebuhr lib. cit. p. refert: Un de mes domestiques en avoit été surpris dans une Gara-

XXI. DE DIÆTA TURCARUM PRÆCIPUE CONSTANTINOPOLI.

§. I.

Rerum humanarum alternæ ſunt vices: & quemadmodum dies turbidus ex ſereno, ſic adverſa valetudo ex ſecunda naſcitur. Quod vero malum, quo id propius, eo gravius. Atque illius nolle remedium, contra naturam eſt. Neceſſitas autem eſt, quæ ingenium facit. Nec ulla unquam gens tam barbara, omnisque ſenſus tam expers fuit, quæ non herbas & alia in auxilium vulneris ſive morbi

vane sur le chemin de Basr'a à Haleb; les Arabes ayant crié à temps que l'on se jettât à terre, aucun de ceux, qui prirent cette précaution ne périt. Les autres qui se crurent trop surs et qui la négligerent, en moururent. Entre autres un chirurgien françois, qui vouloit approfondir ce phénomène.

bi qua fierit. Itaque medicina nusquam non fuit. Sed sui, ut ceteræ cujusque scientiæ, initia rudia. Quæ antem longius provecta, fastigium demum implevit. Atque gloria hæc medicorum præcipua. Nam conjecturalis ista ars est: tamen eo certi crevit, ut plus consilii & rationis in sinu fovere, quam fortunæ & eventus in fronte ostendere putetur. Atque tot tantisque, quæ sui dedit, experimentis fides est. Nescio autem, quo humanæ imbecillitatis vel improbitatis vitio, quæ terra medicinæ parentem tulit, ea ita degeneraverit, ut salutaris scientiæ vix nomen retineat. Patria hæc Hippocratis, & Græcia fuit: Turcici autem imperii jam ibi sedes est. Neque alia gens omni bonæ arti magis infesta. In auctores, in libros sæviit. Tamen si satis intelligitur, cur res litteraria in odio sit, admirationem movet, curni medicina in amore habeatur. Nam illa juxta dominationem periculosa; hæc autem tanti, quanti ipsa salus, fieri solet. Abditi vero hæc caussa. Fortior est ratione superstitio. Et ea, quæ Turcarum & Muhammedana est, illuc respicit, ut nihil non futuri fato quodam immutabili contineri putetur. Quod autem ex necessitate manet, id consilio frustra vitari opinio est. Et

re-

referre, exempli loco, ut secundam valetudinem ad propitium Numen, sic adversam ad iratum, ex religione æstimatur. Sed duplex inde malum. Etenim, quæ valetudinis aut tuendæ incuria, aut recuperandæ inscitia est, hinc repetenda videtur.

§. II.

Hæc mens, hæc erratio Turcarum, quæ statim eos natos excipit. Certus, ut supra monui, ex eorum persuasione est imminentium ordo: & ventura primo cujusque ortu destinata sunt. Timere itaque vitæ sub vitæ primordia, malum in omen vertitur. Et illius quod invalidum æque ac quod validum sit, fati occultæ potestati committere pium est. Ita nec curæ sunt variolæ. Insitum generi humano & deforme hoc malum est. Atque penes Turcas gravissima sui labes. Nam robusta gens est: multo carne, nec minori sanguine. Quam naturam parentes liberis reddunt, & hi ad nepotes referunt. Tendit verò, ex quo natus est homo, usque ad senectutem in ariditatem: & quod superfluum humoris fuerit, accedente calore, tanquam aqua vel vinum, vaporat. Quæ autem efferve-scentia, quo major in puero, eo periculosior est:

e-

domique & ſedendo tempus terrere dominis licet Quo autem otio corpus, animus torpet. Nam rerum animantium & inanimantium id commune eſt, ut quælibet motu vigeat. Salubritatemque hominis labor, quomodo loci temperiem turbines, commendat. Sed Turcæ langueſcentis non ſola hæc ratio. Propera venus; quia gens ad libidinem projecta eſt; & quo plus intemperantiæ, eo citius exhauſta pubertas. Cui nec parcitur. Nam feſtinatur matrimonium: & qui vix exceſſit ex ephebis, nuptias celebrat. Præcox vero quæ maturitas, ea decidua & brevis eſt: atque voluptate in flore ætatis hæc præcepta, effetum corpus ſenectuti traditur. Totum, partes, velut arbores, deficiente humore, ſicceſcunt. Nec quod periit viribus, gentilitio & tenui victu ſatis penſatur. Potui eſt aqua, & hæc mera: quæ vero an ingenio ſoli (vinearum hoc fœcundum) conveniat, in ambiguo eſt. Et quæ victui præcipue oryza eſt, ſatisne ea, ubi non ſatis acceſſerit carnis, nutriat, nec certum eſt. Quomodo annon dulcia quædam mala ſint mellita edulia, quorum Turca avidus nimiopere eſt, perinde in dubio ponatur. Nervos vero omnes & mentis & corporis nihil magis, quam uſus opii copioſus

fran-

frangit. Lætificus & somniferus, sed nociturus & mortiferus hic papaveri succus est: cujusque veneno non modo pallescit os, & membra solvuntur, sed etiam hebescit judicium, & memoria languescit: totidem præproperæ mortis manifesta, fœda præsagia. Quæ vero tollendi, quicquid roboris fuerit, caussæ cum singulæ multum valeant, quantam vim, ubi coierint, habere existimentur? Verum nec aliæ desunt. Et hæ imprudentiæ: quam vero temeritatem nec raro fortuna deprehendit. Incalescit sole vel labore homo. Et aperire tum fenestras, ventique spiramento obvium se dare, plurimis mos est. Quo autem facto, primum horror, deinde febris membra capit. Sic etiam matutinum, vespertinum frigus incautum vulgus subinde corripit. Atque iis, qui fere nudi domum e balneis redeunt, inprimis hoc anceps. Pluresne vero improvidos inde, an ex haustu vel lavacro gelidæ aquæ sudantes perstrinxerit rigor & oppresserit, haud nihil ambigam. Tam male de sua valetudine sexus virilis meretur. Nec ipsi, quæ muliebris est, melius consultum. Nota marito suæ uxoris ambitio. Etenim simul par esse cœperit, superior fieri cupit. Neque ei ignota suæ vir-

tutis

tutis inconſtantia. Quocirca, ut hinc majeſtas & imperium, inde pudor & obſequium retineretur, cautum fuit. Ideoque domi manere, aut foris faciem operire, fas feminæ eſt. Sed ut in opaco & ſolitudine animus, ſic in anguſto & brevi ſpiritus ingraveſcit. Atraque naſcitur bilis, tanto pejor, quod hoſpitali aditu & familiari ſermone eam expellere permiſſum non eſt. Atque morbis varii generis inde origo.

§. IV.

Hæc ſunt mala, quorum auctor ſibi ipſe Turca eſt. Quæ autem cumulantur iis, quorum cauſſæ extra eum poſitæ ſunt. Et hæc contagionis: niſi imprudentiæ gentili vim hujus etiam mali tribueris. Quam amœnum, tam ſalubre cœli ſolique ingenium eſt. Piger tamen aliquando & manens Conſtantinopoli eſt aër. Urbs in collibus quidem ſita: vallibus vero interjectis qui vapor admittitur, non ſemper ſalubri temperamento huc & illuc digeritur; verum hic quemadmodum ſolis repercuſſu inardeſcit, ſic terræ halitu putreſcit. Quanta enim intra parietes munditics, tanta in foro & per vicos immunditics eſt. Atque hinc

plu-

plurima ad luem materia. Duæ vero ſpecies lepræ ſunt obviæ. Quarum una eſt vulgaris, & Græca appellatur. Atque hæc mala. Nam defluit capillus (quod etiam in barba & ſupercilio fit), & naſus, labia turgeſcunt: pallido ore, gula ulceroſa, voce rauca, & bulbulis ſubalbi coloris per totum corpus ſerpentibus. Qua autem pejor eſt, ſed hæc rarior, quæ lepra Arabum vocatur. Et res ipſa talis. Os, ſuræ, pedes tumeſcunt. Sparſæque in ſumma cute, quæ admodum dura eſt, puſtulæ: quæ crebræ, ſquamulisque ſimiles & prurientes, teterrimum odorem adjiciunt. Utraque adſpectu fœda: hoc tamen effectus diſcrimine, quod prior curationem, non vero poſterior accipit. Sed tanta miſeria miſericordiam fecit. Et iſtiusmodi leproſis paratum haud procul ab Iscudari, Conſtantionopolis ſuburbio, domicilium fuit. Nec ipſi deſunt legata, teſtamento relicta. Quæ autem prædia cum annuo victui non ſufficiant, precariam quoque animam trahere, & ſtipem a prætereuntibus captare opus eſt. Malumne vero domeſticum ſit peſtis, quæ in hac regione tam frequens eſt, magnopere dubito. Neque enim ulla ejus veſtigia antiquitus ibi viſa ſunt. Patria ſua Ægyptus: & peſtifer

Afri-

Africus vere dicitur. Atque sua quemadmodum letalis Semumi, australis venti, stirps ignota. Quæ vero calamitas cum fato Turcico longe lateque per Europam propagata fuit, & cum fatali hac doctrina perpetua in Turcia erit. Nam quicquid divinitus (hæc fides) decretum sit, id humanitus non vitatur. Atque ubi non fugæ locus, ibi nec consilio opus est. Sic & peregrina est labes venerea. Tantoque ea major, quo minor illius cavendæ aut tollendæ diligentia adhibetur. Legi enim fati neque hæc excepta. Tamen quæ sua vis in septentrionali, non eadem in orientali orbis parte est. Plurimus sol plurimum sudoris elicit. Neque parum hujus est, quod in balneo fluit. Et jubet religio, ut vel minima labes, sive animi sive corporis fuerit, aquæ adspergine pietur. Quo autem frequenti piaculo, quantum culpæ, tantum & veneni discedit. Nihilominus, quod ejus superest, quo occultius, eo latius nocet. Sed palam id facere, pudor aut religio prohibet.

§. V.

Reliquum est, ut de Turca medico paucis dicam. Penitus hic rudis. Et primas ultra literas -

si

si paullum progressus fuerit, magistrum se artis prædicat: quasi morbi verbis, non medicamentis, curari possint. Neque præcipiendi perito facile is cesserit. Sui judicii pervicax, in quantum suæ scientiæ ignarus est. Et inscitia, ad quam natus & institutus fuit, auctoritate plurimum apud eum valet. Ipsi suspecta & invisa, quæ nova sunt. Et profecto, cui alienam religionem conviciis prosequi fas est, in alienam disciplinam transgredi ei nefas habetur. Suis itaque insistit. Et hæc eo redeunt, ut caussas morborum discriminare nesciat. Est tamen cujusque ægritudinis aliquid proprium, quod vero ipsum fugit. Quapropter cum singulis consulere non possit, communia sequitur: & hominibus, velut jumentis & pecoribus, sine omni examine medetur. Nec miror. Sua ars, sua opera non magni in universum æstimatur. Nam convalescere, sicut mori, res fati est. Et ex hac persuasione licentia usurpatur, cum opis a medico petitur. Quam vero in extremo vitæ periculo melius ferre vetula turpis putatur. Ad ultimum, & ubi suæ infames & obscuræ artes nihil profuerint, rogatus venit, qui sacris præest, ut miraculum faciat.

Hæc habui, quæ de Turcarum diæta, observanda, non imitanda, scriberem.

XXII. DE MAGNIFICENTIA CHALIFARUM.

§. I.

Impotens sui genus humanum est. Et caduca, ut id ipsum, sua virtus: paucis repertis, qui honesta suomet ingenio petunt. Opus itaque legibus fuit. Quarum vero auxilio cum mala cupido haud satis coërceretur, etiam metus a Deo additus est. Jus enim divinum, ut non latenter, sic nec impune violatur. Sed mortalium regimini ut religiones, sic religionum tutamini pontifices quærere, rei publicæ interfuit. Nihil non curâ viget & servatur. Nec quicquam tam sacrum, quod non facile in profano per incuriam deseratur. At pontificum maxime memorabiles sunt, Papæ, qui personam Christi, & Chalifæ, qui Muhammedis se sustinuisse jactarunt. Neque cum his ceteri principes auctoritate conferendi. Rei non tantum civilis, sed etiam sacræ penes eos arbitrium fuit. Et hominum haud minus rationi & conscientiæ, quam

quam vitæ & fortunæ imperare eis licuit. Ubi autem vis, ibi ſpecies. Et quantumcumque hæc inanis, tamen in vulgus plurimum valet. Sic & fulmen minus terreret, ſi fulgur abeſſet. Aciem vero oculorum hoc præſtringit. Et illius magnificentiæ pontificalis ludibrio ita mens ſtupuit, ut ad pontificis ſui pedes, tamquam ad aras, ſua gens procumberet. Papæ vero qui habitus fuit, quo propior, eo notior eſt. Et quam ſplendide vel ſuperbe Chalifa ſe geſſerit, cognoſcere lubet.

§. II.

Tempore dieque res humanæ, quomodo pereunt, ſic augeſcunt. Et illuſtri documento eſt, qui cultus Muhammedani pontificatus fuit. Crevit hic gradatim, ut canna, ſive Tigridis, qui Bagdadum, ſive Nili, qui Cahiram, ſuperſtitionis Muhammedanæ ſedem, alluit, geniculatim adoleſcit. Parva autem (ut eſſe ſolent) ſui initia. Et fas fuit, ut, qui ſui & divini vatis opinionem aliis faceret, quo ſanctius, eo ſimplicius viveret. Sic pudori non fuit Muhammedi, ſedentem humi capellas mulgere a). Et uti obſoleta veſte, aut calceos

a) Abulfedæ Annales Muslemici T. I. p. 191, 192.

ceos ſarcire, decorum ei viſum eſt. Quemadmodum nec victu modum privati ſupergreſſus eſt. Sitis aqua, & fames pane hordaceo depulſa fuit b). Quamquam hæ virtutes, utcumque ſublimes viſæ, nonniſi ſpecies quædam virtutum, virtutibus ſimiles, fuerunt. Nam ſubdolum erat ingenium. Palam pietas: sed intus ſumma adipiſcendi cupido.

§. III.

At vero, hominem, quem audacia fingendi credendique facilitas ſuper homines ſuſtulerat, æmulari poſt illius fata certamen & honos manebat. Et Muhammedi quo propiores Chalifæ, eo plus ex ejus moribus hauſerunt. Sic, qui illius primum ſocii, deinde ſucceſſores fuerunt, eodem vitæ tenore nobis cogniti ſunt. Et hæc laus eo major, quod auctu imperii non aucta cupiditas eſt. Abu Becer, qui Iracâ expugnata, etiam Baſora potitus eſt, haud plus, quam quinque auri argentique ſtateres in fiſco moriens reliquit c). Et hæc ratio

b) Abulfeda lib. cit. p. 193. addit, Muhammedem ventri vacuo lapidem, latrantis stomachi obturaculum, alligasse.

c) Elmacini Hist. Sarac. p. 18: dicitur (Abu

ratio paupertatis. De alieno sibi minus, quam de suo licere putabat: publicæque pecuniæ sic cupiens fuit, ut privatam ad ærarium referret. Ut autem hic præivit, sic Omar secutus est. Qui Ægyptum, Persiam, Chorasaniam, pluresque alias regiones sui juris fecerat: qui tamen his triumphis, nescio, an suo pallio, duodecim laciniis consuto, gloriosior in concionem prodierit d). Morisque tam adstricti imitator etiam Osman fuit. Qui quantum pecuniæ (& hoc plurimum) paraverat, non in sui ostentationem, sed in rei, sive civilis levamentum, sive militaris firmamentum convertit e). Atque Ali, quo non alius Chalifa major,

Becer) ex ærario acceepisse tres statères in mercedem, & dixisse uxori: vide, quid accesserit opibus Abu Becri, ex quo huic imperio præfui, idque, redde Muslemiis. Et cum ejus opes computassent, valde omnium erat quinque staterum.

d) Elmacini Hist. Sarac. p. 253. Justitia ejus (Omari) pietas & abstinentia celebria sunt.

e) Elmacini Hist. Sar. p, 35: Instruxit exercitum decem aureorum millibus, & trecentis jumentis, & reliquit erogandas eleemosynas, quæ valebant 200000 aureos.

jor, ita se gessit, ut subditis par videretur. Neque ultimum fuit in humanitatis suæ laudibus, quod, quos in foro emerat dactylos, sinu vestis domum gestavit f). Temperamentum hoc fortunæ hi principes tenuerunt. Et inclinat animus, ut ambigam, melior ipsa res, an meliori exemplo ea acta fuerit. Ad vultum principis se orbis componit. Tantaque frugalitatis ac modestiæ imitatione satis & audaciæ & virium ad arma & pericula civibus accessit. Durities hinc corporis, & validior corpore animus. Atque inde res Muhammedana brevi tempore in tantum eminuit, ut locum miraculo fecerit.

§. IV.

Vitio autem inconstantiæ humanæ religiones, quemadmodum ceteræ res, obsolescunt. Et sui cum gratiam novæ, tum satietatem inveteratæ faciunt. Hoc etiam Muhammedanæ fatum. Ut ad-

f) Elmacin. lib. cit. p. 43: Aversatur (Ali) mundana, multus erat in dandis eleemosynis, justus & humilis. Abulfeda lib. cit. p. 345: Fertur Ali emtos drachma dactylos in pallio

fecta fuit sacri fides, quæ initio pervicax erat, sic etiam temperantia, quæ diu in amore fuerat, paullatim sui fastidium peperit. Verumque superioris nomen esse luxuriam, judicatum est. In Muavia, primo Ummiadarum Chalifa, priscæ simplicitatis quædam vestigia manebant g). Qui autem secuti sunt, ii effeminate aut dissolute infames. Sic Abd Elmelec, quoad privatus, vita egregius fuit: imperium vero ubi obtinuerat, in vitia & dedecora prorupit h). Cujus autem ut casus Valid II habuit, ita etiam mores excepit i). Et incertum, ma-

domum portasse — &c, cum contingeret, aut auri argentique acervum inveniret, dixisse: o tu flava, ut flavescas! o tu alba, expalleas velim, aliumque decipias, non me, cui opus te non est.

g) Elmac. lib. cit. p. 50: Benignus valde & liberalis in egenos fuit. Abulfeda lib. cit. p. 379: Ejus (Muaviæ) liberalitas superabat parcimoniam, a qua non videbetur alienus.

h) Abulfeda lib. cit. p. 427: Vir sapiens erat (Abd Elmelec) — religiosus quoque. Verum ex quo imperii fræna capessivit, opum voluptatumque cupidinibus sublatus & in præceps datus, sibimet factus est dissimilis.

i) Abulfeda lib. cit. p. 459: (Hic) ultimis pres-

magisne turpi libidine Valid II, an histrionali favore Jezid l) posteris innotuerit. Quos etiam principes, si minus luxu, tamen avaritiâ, perinde in publicum, ubi studiosa vanitatis fuerit, exitiosa, Haschem æquavit vel superavit m).

§. V.

Inchoata ab Ummiadis Abasidæ longius provexerunt; quo enim plus rerum, eo plus cupidi-

---

sus erat angustiis — Chalifa vero creatus — opum voluptatibus & luxuriæ totum se dedit, vino potando, musicis concentibus audiendis, feminis. Elmac lib. cit. p. 85. omnes (ille) suas cogitationes ad lasciviam & lusum convertit.

l) Abulfeda lib. cit. p. 447: avide captavit voluptates & hilaritatem, præsertim famosas cantatrices. Elmac. lib. cit. p. 79: Erat ignavus, & expendens multa in uxores, ludos & spectacula.

m) Elmac. lib. cit. p. 81: Erat avarus & invidus — habuit vela, vestes, & thecas vestiarias, quas nemo habuit ante eum. — Tamen, eum vita excessisset, non fuit, quo involvere-

piditatis. Antiqua imperii sede, quamquam auspicato condita & diu incolumi, contentus Abu Gjafar non erat. Qui itaque Bagdadum condidit. Et ea urbs, ut Chalifarum & Muslemiorum nomine digna videretur, majorem humanâ speciem, auspice hoc Pontifice, accepit: forma illius rotunda, cœloque, cui anguli desunt, simili: & ne a domino sacrisque hi propius quam illi abessent, in ea media institutum principis palatium erat. Sic & quæ septem portæ patebant, cum stellis, quæ errant in orbes, rationem habuere. Eæque omnes animantium suo genere insignes. Nam affuere uni centum leones, alteri totidem cameleopardi, & tertiæ haud pauciores elephanti: quomodo nec quartæ quingenti equi, multigeræ aves quintæ, & sextæ homines dignitate & forma conspicui defuere. Septima autem ipsi Chalifæ cum suo comitatu, ut extimus cœli orbis Saturno, qui e septem sideribus ferri altissimus cum suis satellitibus credebatur, dedicata erat. Et hic, cum in publicum prodiret, gemmifer, non vero sine nigra veste. Neque

tur, quippe qui omnia repositoria obsignaverat, nec quemquam ea ingredi passus fuerat.

que enim stellas nisi obscuro in cœlo apparere novit. Sed augustis mista etiam grata. Et hæc fuere arbusta: quæ stragulis, serico auroque intertextis, operta, garrientium voce oscinum personarunt; hinc, inde vitreos per tubos salienre etiam aqua, & odoriferis optimi generis ubique sparsis. Atque hunc in modum cetera. Nam is erat numerus satellitum, ea magnificentia epularum, & id pretium supellectilium, ut servitus odium, copia satietatem, & amplitudo fastidium pareret n). Prodige autem cum Abu Gjafar speciosa & magnifica, tum effeminate Emin voluptuaria & ludicra secutus est. Vino & amori hic deditus. Neque alius aut libidine fœdior aut sumtu stultior fuit. Quod autem sua ex opinione principalis fortunæ præmium fuit o).

§. VI.

n) Rosarium Chalifarum Turcice, auctore Nasmi Zade Efendi. Abulfeda lib. cit. T. II. p. 21, & Elmac. lib. cit. p. 104.

o) Abulfeda lib. cit. T. II. p. 129: deperibat studio voluptatum, vinum potabat nullo pudore, ludiones & musicos contrahebat undecumque terrarum, stipendiisque cumulabat amplissimis, ærarium & supellectilis pretiosa

equestris ordinis flore circumfusus fuit. Quæ vero servientium turba pedibus incedebat, ut Chalifa omnibus præemineret. Tamen varie quoque hæc ornata. Miles cum armis: & qui non belli, ii pacis insignia præferebant. Atque feriæ tam intentæ non sine voluptate finitæ. Nam, votis pro publica salute susceptis & solutis, in medio cibus erat. Et quas delicias, sive domesticæ sive peregrinæ artis, ingenia cænæ reperierant, hæ omnes appositæ fuerunt p).

§. VII.

Pontificii Orientalis hæc magnificentia: suæque magnificentiæ hæc facies; quæ composita in superbiam & deformis fuit. Tamen ingenuæ & liberalis nec exempla defuerunt. Alternæ haud minus morum, quam rerum vices: & victus cultusque, quemadmodum cœli marisque, intemperiem tempestes sequitur. Testis est Omar, ex stirpe Ummiadarum generatus, & ut appellationis, sic virtutis, qua tertius a Muhammede princeps excelluit, hæres. Qui publicæ pecuniæ tam parcus aut suæ tam

p) Codex MS., qui continet Regum Ægypti historiam.

tam largus fuit, ut una tantum veste uteretur. Et aperta domo, in qua secum & cum Deo loquebatur, nihil repertum fuit, nisi penula, quam precaturus induere, & funis, quo fatigatus precibus se sustinere solebat q) Cui autem animi magnitudini pares fuerunt pauci eorum, qui idem fastigii tenuerunt. Nam iis fortunam magis, quam ipsos fortunæ imperasse compertum est. Sed avidus, qui incontinens: &, quod sumtu exhaustum, id raptu expletum est. Quæ demum perdendi libido, ut alii cuivis imperio, sic etiam Chalifatui necessitatem pereundi attulit.

XXIII. DE SCHOLIS ET COLLEGIIS TURCARUM.

§. I.

Cum animum ad scribendum conferrem, in voto habui, ut aliquid reperirem, quod dignum chartis, legen-

q) Elmac. lib. cit. p. 76. Et supra citatum Rosarium Chalifarum.

legentium otio & doctorum judicio videretur. Hujus generis præsentem putavi esse materiam, quo longius a nostris terris petitam, eo curiositati propiorem. Jucundum erit, cognoscere, quæ vis ingeniorum, quis habitus studiorum, quæ sedes litterarum Turcis sint & fuerint, quos vix esse homines imperiti credunt, & quos barbaros eruditi appellant. Atqui de genere eorum & intellectu melius existimabit, cui nostrum libellum, humanitati hujus populi destinatum, legere placuerit. Provincias in servitium, gentes in triumphum, & opes in tributum agere, non est sola Ottomanorum virtus. Complecti disciplinas, adsciscere sapientes, & instituere scholas, hanc quoque laudem cum aliis communem habent. Studia quidem & ingenia nostri orbis non æquant; tamen proximis est locus. Superiorum est, de inferioribus mite judicare. Quod & judicium memoria nostrorum majorum, rudis & incultæ gentis, facile præstabit. Res in gyrum eunt, & sidus, quod occidentem illuminat, vertente cœlo, in orientem transibit.

§. II.

A quo tempore religio Muhammedis nata

est, tuendæ illius & amplificandæ nec cura defuit. Novo sacro non templa solum dicata, sed collegia etiam condita sunt, templis contigua, sumtu & pietate Chalifarum, ut, quemadmodum in illis per sacerdotes & cærimonias Numen coleretur, ita in his per divini humanique juris cultum, religionis & potentiæ firmamentum, juventus traduceretur. Cæteris quidem disciplinis ibi locum non fecit recens superstitio, quæ quo originibus suis propior, eo humanitatis impatientior fuit. Satietatem vero copia paullatim tulit, modum & temperamentum insani erroris ætas & ratio fecit, honestisque artibus suum pretium & studium rediit, eo successu, ut in medio inter nos & antiquos ævo virtus apud Arabes sibi constiterit a). Quo magis ex Græcorum & Romanorum exemplo compertum erat, quantum in litteris sit momenti ad reipublicæ in pace decus & in bello præsidium, eo plus temporis & operæ in cognoscendis veterum præceptis & sæculorum eventibus consumebatur. Hinc magna in consiliis prudentia, nec minor in factis celeritas & claritudo exstitit. Quicquid barbararum gentium erat, non

a) Dissert. de Chalifis Litterarum Studiosis.

non minus cito Arabum victoriis quam passibus peragratum est. Sed affluentia rerum vitia peperit: a negotio ad otium, a temperantia ad luxum, a bonis artibus ad improba vota & fœda scelera desciscebatur. Oneri itaque suo cessit fortuna, & nomen Turcarum non tam sua virtute quam Arabum ignavia inclaruit. Cum imperio autem orientis auspicium quoque orientalis doctrinæ in hanc gentem delatum est. Sed Ottomanni si Arabibus magnitudine rerum gestarum pares, certe gloria litterarum inferiores fuerunt: cujus diversitatis rationem & caussas cognoscere lubet. In considerationem vero hic venit, primum vis naturæ, deinde vitæ ratio. Præter cœli solique positionem, quæ suo ardore in Arabia plurimum adjumenti ad vigorem animi & celeritatem ingenii attulit, illa libertas, quæ turbæ Arabum, in campis & silvis degentium, perpetua nec ullo dominationis contactu violata fuit, ingenia maximopere aluit & excitavit. Initia quidem Islamismi ingenuo liberoque spiritui sæva & infesta fuerunt; spatium vero deinceps & impetum orta de jure chalifatus certamina dederunt. Quibus vero iris, odiis fiebat, ut sacri Muhammedani professio,

quæ

quæ erectis ingeniis metum & ſilentium, & imbecillis animis ſuperſtitioſam ſollicitudinem & miſeriam impoſuerat, magis magisque in bonam mentem, judicium & ſtudium recti, verteretur. Poſt hæc tempora Arabibus non tam curæ erat, ut nimis religioſi viderentur, quam ut ſatis prudentes haberentur b). Turcis contra ex medio climate medium contigit ingenium, in antiqua eorum patria & Tartaria diu formatum, nec in hodierna & occupata ſede mutatum. Robuſti corpore, vultu graves, & mente inertes, tarde incedunt, cogitant & loquuntur: expreſſa ſoli natalis, cœli frigidioris, aëris pigrioris, terræque durioris imago. Inſitam vero genti ignaviam auxit longa dominatio, quæ omnem ut in agendo auctoritatem, ita in cogitando alacritatem fregit & debilitavit. Sultanus duplicem gerit perſonam, alteram civilem & Principis, quam gloria ſanguinis & jure hæreditatis obtinuit, alteram ſacram & Pontificis, quam avorum atavorumque virtute & Muhammedanæ gentis conſenſu acquiſivit, & utramque per plura ſæcula conſtanter habuit & poſſedit. Nihil domi

aut

b) Cit. Dissert.

aut foris exstitit, quod illum gemini hujus fastigii ambiguum, & occupati imperii usurpatique sacerdotii reum agere voluerit aut potuerit. Victæ gentes invalidæ, & vicini populi inter se discordes: qua impotentia, qua invidia factum est, ut hic Cæsar non vitæ solum & opibus, sed menti etiam & cogitationibus subjectorum imperitet, ipse securus c). Tanta vero nec ullis legibus eo exercita potestas, quam inimica sit rectæ rationi, quæ omnium domina & regina esse debet, effectu & Turcarum exemplo melius, quam ex nostra disputatione intelligetur.

§. III.

Ottomanni vero, quo propius ad tempora Chalifarum accesserunt, eo gloriosius in litteris versati sunt. Nec hæc res admirationem habet. Integra adhuc, sincera, voluptatibus Orientis inexhausta, & ad perferendos æque animi atque corporis labores valida erat gentis natura. Nec dum prisce & sub imperio Arabum contracta consuetudo, discendi amor & laus, in oblivionem aut tædium

c) Dissert. de Prudentia Civili Ottomannica.

dium venerat. Privatæ induſtriæ robur quoque & incitamentum ex publico fuit. Nem ipſi principes nulli rei pepercerunt, ut quicquid in Arabum Scholis vel tempore & die collapſum, vel vi & ferro fractum, vel barbarie & incuria neglectum jacebat, reficerent & ornarent. Nec nobilitas aut pecunia, ſed virtus & doctrina gratiam Principis, auctoritatem apud potentes, & ſtudia vulgi portendebant. Fidem vero facient exempla. Othman I, qui nomen & originem genti fecit, litteras in magno pretio habuit; quo minus autem iis operam daret, occupatio ambitionis novique condendi regni cura impedivit d). Quanti vero liberalia ſtudia fecerit, argumentum erit hæc illius ad filium ſuprema oratio: "Tempera, fili, lacrimis: in-"anis eſt dolor, quem hæc fatalis neceſſitas tibi "facit. Conſilio divino parere, lex eſt, ad quam "homines naſcuntur. Letalis ſpiramenta zephyri "in omnem ætatem & conditionem, juvenes, ſenes, "cives, reges, pariter ſæviunt. Fato lubens con-"cedo, & ſupercilia lætus compono, cum meæ "for-

---

d) Tableau General de l'Empire Othoman par de M. d'Ohsson Tom. II. p. 466.

"fortunæ hæredem, meæque potentiæ successorem "in te videam. Parentis vero vocibus aurem, "consiliis mentem, & votis operam adhibere, con"junctissimi erit pietas & tuum obsequium. Hoc "sceptrum, hoc imperium capesse; alterum ut for"ti cum animo teneas, alterum ut æquitate tempe"res. Suis justitia radiis tuum thronum illustret, "nec illius splendor angustioribus, quam totius "regni limitibus definiatur. Vim & injuriam odis"se, divinitatem vero Corani tueri, fid m aviti sa"cri amplificare, honestas artes fovere, & homini"bus religione & doctrina spectatis benefacere, "memento; ita ut quanto quis sapientia & probi"tate notior, tanto plus gratia & auctoritate apud "te valeat. Viam, quæ ad famam, fortitudinem "& victoriam ducit, semper & ubique ingrediaris; "nec in ea errabis, si mea vestigia sequi, & meas "artes imitari volueris. Prosperitateque rerum, opi"bus, divitiis, exercitibus & classibus in vanitatem "uti quo plus periculi habet, eo magis studebis, "ut quantumcunque penes te sit majestatis & po"tentiæ, signo religionis subjiciatur, & fundamen"to sacræ legis collocetur. Deum, solum & æter"num, in oculis semper feras, qui, quod felix fau-

"stum,

"ſtumque eſſet, noſtris fieri armis juſſit, non ut no-"ſtram magnificentiam augeret, ſed ut ſui nominis "cultum & cultores tueretur. Hæc tua ſit cura ani-"mique cogitatio, quam ſalus tui populi, ſacri de-"poſiti, quod tibi cuſtodiendum tradidit. Numen, "ſibi vindicat. Ad ultimum tibi perſuadeas, ve-"lim, te non eſſe natum principem & factum im-"peratorem, niſi ut religioſis tutamen, inimicis me-"tum, civibus amorem, omnibus juſtitiam, libera-"litatem & clementiam feras & oſtentes" e). At vero Orchan I, quia in rem paratam & opes paternas ſucceſſit, plus otii & temporis ad opera pacis, quietas cogitationes, & bonas artes habuit. Hujusque judicii documentum eſt gymnaſium, quod, capta Nicomedia, pari magnitudine & arte ibi exſtruxit: opera, quæ victori gloriæ, victis uſui ceſſit f). Sic & Muhammed II, quod nomen expugnata Conſtantinopoli ſibi peperit, conditis in illa urbe octo ſcholis illuſtravit. Et ut ſtudium litterarum, ſumtuoſam artem, adjuvaret, addidit etiam hoſpitia & ſtipen-

e) Sad Eddin Efendi.

f) Lib. cit. M. D'Ohsson et Levenclavii Hist. Musulm. Turcarum Lib. IV. p. 188. et Lib. XV. p. 581.

ſtipendia, diſcipulis & magiſtris parata cubicula & ſubſidia g). Nec hi ſoli de ingenio ſuæ nationis optime meruerunt. Alii quoque Turcarum principes, & quidem recentiori ætate, ſimilia ſui documenta dederunt. In rebus dubiis conſilia eruditorum expetere, & optima ſequi, ſibi magnificum & publico ſalutare putarunt Murad & Bajazid h). Memorem quoque Muſtafam III, qui Vizirum Raghib Paſcha, magni ingenii nec minoris eruditionis virum, cum reverentia quadam amavit, & Abdul Hamid, qui poëtas, auſpicia ſui imperii carmine & gratulatione perſecutos, opibus & honoribus extulit i). Hæc autem liberalitatis exempla, regia & potentia, plurimum amoris & imi-

g) Libri citati.

h) Levenclavius sub initium Hist. Musulm. de Murad hæc refert: *intellecto, reges Musulmannos in Asia ditionibus Osmaneis undique finitimos de occupanda Borussa cogitare, juris Mahommedanici peritissimos quosque convocare jussit, et in consilium adhibitis quæstionem proposuit* etc. Et quæ idem Auctor de Bajazid habet, lege in Libr. VII. p. 232.

i) Commentatio de Fatis Lingu. Orient. p. 84.

imitationis excitarunt. Ad mores principis, bonos, malos, ſe componere, ſervientium virtus aut vitium ubique fuit. Quam adulationem, quem honorem Cæſaribus quoque adhibuere Ottomanni. Suosque Principes ut injuria in contrahendo, ita æquiatate in dando referunt: & quemadmodum aliena rapere & auferre, imperium, ita ſua offere & largiri, humanitatem vocant. Quæ humanitas etiam latiſſime patuit. Non ſatis fuit, hoſpitia, quibus noti, ignoti, pari liberalitate excipiuntur, in agris & viis condere: inſervire litteris, earumque ſedes in urbibus & pagis parare, magna etiam in ſua gente pietas & animi contentio fuit.

§. IV.

Hæc autem bonæ mentis domicilia & pii uſus legata, ne ſapientia plurimi conſtet, rara non ſunt. In magnis urbibus magnus eſt eorum numerus, & quidem duplex genus, quorum unum Mekteb dicitur, quod Scholas, alterum Medreſe, quod Collegia interpreteris. In Scholarum inſtituto minus eſt ſpeciei, plus autem humanitatis. Patent enim pauperum votis & filiis; nec gratis ſolum diſcere, ſed vivere etiam ſine pretio ibi licet.

cet. Stipendia magiſtris & alimenta diſcipulis redeunt ex bonis teſtamento relictis. Operæ autem mercedem exigere, ſi præcipientibus nefas eſt, grati memorisque animi teſtimonium dare, ſtudioſis pulchrum judicatur. Tamen in his litterarum ludis ſtudia eo magis ſpectant, ut pueri boni homines, quam ut clari cives fiant; & ſimulac legendi ſcribendique artem, principia religionis & elementa vernaculi ſermonis didicerint, ex litterato otio ad quæſtuoſum quisque negotium ſe confert. Quod vero ad collegia attinet, ex ſanctitate loci, quo eminent, ex dignitate materiæ, qua nitent, & ex amplitudine doctrinæ, qua perſonant, plurimum commendationis habent. Templis, more antiquo, cohærent, ut juvenes tam reverentiâ Numinis, quam verecundiâ magiſterii, honeſtius & diligentius agant. Et ut plus roboris adverſus vim temporis & minus periculi ex ignis caſibus ſit, cæmento & tegulis connexa ſunt. Suæque ſingulis cellæ, pro cujusque magnitudine collegii, plures vel pauciores; quas pueri ut moribus melius conſulatur, diſcreti colunt. Ubi autem propter majorem frequentiam non ſatis eſt loci, datur neceſſitati venia, & in unum cubiculum duo aut tres coguntur.

Sin-

Singulaque gymnasia suos etiam doctores habent, quorum est, non minus discentium otia modo & ratione, quam eorum negotia severitate & disciplina temperare, ut illa cum fructu, & hæc sine periculo fiant. Nomen illis est Chavadja, quod Senex latine dicitur: aptum, & obsequio, quod Patribus studiosi debent, congruens cognomentum. Mediocris vero est eorum eruditio, nec elementa superat: fides & opera, virtus & auspicium probantur. Qui majorem exspectationem sustinent, & Professores (Muderris indigenæ dicunt) vocantur, hunc titulum in ignaviam vertunt. Ut & hi ipsi operam dent discipulis, lex jubet: quam vero impune migrant, & suo se officio satisfecisse arbitrantur, si una vel duabus per mensem vicibus in scholas venerint. Par etiam est his temporibus Summi Pontificis (Mufti) inertia, qui olim non sanctiorem sui muneris partem esse duxit, religioni præesse, quam studiis & ingeniis in Gymnasiis interesse, nec consilio solum & auspicio, sed opera etiam & institutione. Diversa autem est, pro instituto majorum aut arbitrio doctorum, præcipiendi via & ratio, vel umbratilis et pædagogica, vel liberalis & gymnastica. Præceptor enim

aut

aut in cœtu & frequentia docet, quando una vox omnibus sufficit, aut singulis in secreto hæret, cum uni magis vacat k).

§. V.

Quæ vero in his sapientiæ ludis tradi solent, jam consideranda videntur. Primum omnium rudimenta linguæ Arabicæ & Syntaxin discere oportet. Posthæc ad Dialecticam transitur: quod studium cognitio Troporum sequitur. Exponitur deinde amplificandi concisa & explicandi obscura artificium: quo facto, illa scientia, quæ de ordine & delectu vocum in oratione agit, traditur. Duplex tum Theologiæ explanatur ratio, quarum una Scholastica, altera Moralis dicitur. His præmissis, Philosophiæ, Astronomiæ, Geometriæ, Corano, Traditionibus Prophetæ, Ethicæ, Chronologiæ, Medicinæ, Interpretationi somniorum, Astrologiæ, Arti scribendi, & denique Poësi opera datur l). Pauci autem sunt, qui hunc integrum doctrinæ cursum conficere velint aut possint. Præceptis religio-

k) Lib. cit. M. d'Ohsson.

l) Lib. cit. M. d'Ohsson, et Galland de religione, scientiis et moribus Turcarum.

ligionis & elementis juris civilis tempora sua præcipue impendere, antiquitus usitatum fuit, nec præsens ætas omisit. Hæc juventæ cura, hoc prosperitatis omen. In reliquis disciplinis parum vel nihil spei ad titulos & imagines, honores & facultates proponitur: ex quo in iis nec facile laboratur, nec præclare proficitur. Lingua vernacula plurimum quoque temporis & studii sibi vindicat. Hæc composita est ex tribus, Turca, quæ priscæ simplicitatis imaginem refert, Arabica, quæ majestatem & copiam ministrat, & Persica, quæ pulcritudinem & suavitatem addit. Prima, quæ communis est sermonis, & parum peregrini ex duabus reliquis habet, statim ab infantia vel ipsis nolentibus se offert: secundam vero & tertiam, quæ elegantioris sunt dictionis, & Turcicis in magnificentiam & gratiam miscentur, ex præceptis arripere studiosam juventutem oportet. Et quidem hæc opera eo plus difficultatis habet, quo major est vocum numerus, & quo implicatior earum constructio, ita ut, quamquam quis ad hunc sermonem optime natus & institutus fuerit, tamen vim illius & amplitudinem ingenio suo & labore complecti non possit. Semper aliquid occurret,

quod

quod celeritatem legendi tardabit, & vim explicandi ambiguam reddet. Obſcure enim ſcribere, barbari pulcrum eſſe arbitrantur: quibus quo minor copia rerum, eo major ſollicitudo verborum eſt, ut cum varie & graviter dicere non poſſint, tamen copioſe & ornate dixiſſe videantur.

§. VI.

Atqui ubi ingenia juvenum in collegiis rigore diſciplinæ ſatis ſubacta & mollita fuerint, ex iis, tanquam ſeminariis, in regni ordines ſacros, civiles, transferuntur. Raro autem fit, ut qui ſic publice inſtituti fuerint, altiorem dignitatis locum conſequantur. Quam fortunam ſplendidius quidem nati, licentius vero educati ſibi vindicant. Hi enim non in ſchola & honeſtiſſimo conventu, ubi laus vel objurgatio ad induſtriam & æmulationem plurimum valet, ſed domi & intra privatos parietes, ubi animus laſcivit aut torpet, coram negligente parente & ab inſciente præceptore inſtitui ſolent. Nec tam neceſſaria diſcere oportet, quam jucunda ſequi licet. Illa enim ſtudia, quæ in obſcuritate rerum & recondita in arte verſantur, colere, laborioſum; iis autem, quæ in communi uſu, homi-

num-

numque more & sermone posita sunt, complecti, expeditum est. Satisque sibi docti, & ad reipublicæ administrationem apti videntur, si quædam vitæ præcepta ex philosophia morali, & prudentiæ exempla ex historia orientali hauserint. Astronomiæ enim & Geometriæ sublimia, Dialecticæ subtilia, & sui ac exteri orbis secreta cognoscere, natis otio aut servitio mancipiis non placet. Tamen virtutum non adeo sterile fuit hoc genus hominum, ut non & egregia sui documenta dederit. Testes sunt volumina, quibus aut gentilitii formam reddidit, aut peregrinæ eruditionis imaginem expressit. Hæc qui viderit, copiam & industriam laudabit, & qui legerit, artem & compositionem nec vituperabit n).

§. VII.

Sed Ottomannos in universum si æstimes, penes eos studium sapientiæ latius olim, quam his temporibus, diffusum erat. Præsentis socordiæ & inscitiæ plures sunt caussæ. Præcipua & cæterarum origo in fundo palatii latet. Primum facinus novi

n) Lib. Cit. M. d'Ohsson.

novi principatus est, conjunctissimum quemque, filium aut fratrem, tanquam hominem, publico suspectum & invisum, in carcerem condere. Et ne animus tantam injuriam clarius videat, & repetendæ libertatis occasionem avidius circumspiciat, non communi solum luce hominumque congressu, sed afflictorum quoque solatio & librorum usu arcetur. In hac autem solitudine, in his tacentibus locis, more ferarum, quæ clausæ tenentur, virtutis obliviscitur; & cum in diem & reipublicæ curam prodierit, tenebris & vinculis adsuetus, in claro cæcutit, & in officio claudicat. Quæ mala in palatio nata, paullatim in provincias manarunt. Negligentia parentum, desidia juvenum, & oblivio veteris disciplinæ, magnis & parvis civitatibus, ex imitatione principis, communia jam esse vitia cœperunt. Huc accedit amor sui, quem vetusta barbaries ingeneravit, & contemtus alieni, recensque fortuna peperit. Instituta & exempla majorum, ut in vita & moribus, ita in litteris & artibus intueri, & sine ullo novi experimento sequi, pium & honestum videtur. Sua & nota mirantur: nulla ulteriorum cupiditas, non longior cogitatio. Pedem & studia extra limen proferre, summorum viro-

rum famam ſequi, litterarum monumenta quærere, & aliquid dignum memoratu domum referre, iis non facile perſuaſeris, qui numero & virtute, jure & religione, judicio & ſermone mortalium ſe eſſe principes arbitrantur. Neque, qui ſatis habent ingenii & virtutis, ut non ſolum mala, quibus respublica laborat, videre poſſint, ſed etiam remedia, quibus eget, quærere velint, huic conſcientiæ & voto parem animum habent. Metus offenſionis, invidia procerum, & probra vulgi in cauſſa ſunt, cur rudia & vetera tueri, quam nova & ancipitia tentare, malint. Tamen detur hoc ſuperſtitioſæ & imperitæ genti, ut putemus, ſi ad præclaram indolem animique docilitatem inſtitutio & doctrinæ conformatio, ſi libertas, quam omnibus animantibus natura tribuit, ſi virtus, quæ proprium eſt hominis bonum, acceſſerit, ita ut non modo ſentire quæ quisque velit, liceat, ſed etiam quæ ſentiat, dicere libeat, ſi præterea audiendi loquendique cum exteris commercium nec ademtum fuerit, ſi hæc omnia coierint, Turcis, ſicut non ingenium deeſt, ita nec ingenii opera eſſe defutura.

XIV.

XXIV. DE COLONIA ET LINGUA CARTHAGINENSI.

§. I.

Ut res in fundo esse solet, ita suspicari licet, in visceribus deletæ Carthaginis spolia literarum latere, vix autem sperare, ea umquam inveniri posse, irrito hucusque omni fere quærendi studio. Quam vero desperationem nobis facit gens barbara, novarum rerum rudis & antiquarum incuriosa, quæ terram jam usurpat Carthaginensem, a multis retro sæculis Tunensem appellatam. Adeo generi humano non satis est in res, libet quoque in rerum nomina sævire. Quantum enim hæc novi tituli regio, Zeugitana latine dicta, spatio latior fuit, quippe quæ mari Mediterraneo ab ortu solis & septentrione, Tuscæ Fluvio & Numidiæ ab occasu a meridie Garamantiæ & Libyæ interiori contermina erat a), tantum Carthaginensis, a Plinio Africa

a) Histoire Universelle depuis le commencement du monde Tom. XI. p. 599.

frica Propria nominata, etsi Kessæ & Baijabæ tractibus tantum terminabatur, dignitate excelluit. Frugibus enim, aliisque in necessitatem & commoditatem vitæ rebus, per naturæ & artis conjunctam vim affluens, multas urbes ædificandi & amplificandi potestatem dedit, quarum princeps Carthago erat, quæ in promontorio maris mediterranei opportune sita, binas in confinio celebres, Uticam & Tunetam, originis nobilitate, ædificii magnificentia hominumque frequentia valde superavit. Augusta autem sua primordia, si fabula vera est b), debet alieno & regio malo, profugæ inquam Didoni, Tyrii Regis filiæ, quæ, relictis patris focis Diisque penatibus, in hoc orbis tractu consederat. Caussam fugæ dedit fratris Pygmalionis avaritia, qui divini & humani juris oblitus, Sichæum, hominem ditissimum, Sororis conjugem, & Herculis Sacerdotem, sacrilego parricidio peremit.

"— Quid non mortalia pectora cogis
"Auri sacra fames. —" Virg.

Dido tum res futuras mente & consilio providens, fratrem dissimulato odio & composito vultu

b) Justini Hist. Philipp. L. XVIII.

tu adit, & fingit, se ad eum migrare velle; sed fugam secreto moliebatur, quam & capessivit, iis comitantibus quibus rex æque suspectus & invisus erat. Coacervatis igitur Sichæi opibus, in Africam navibus appellunt. Quo autem ubi pervenerunt, quantum terræ taurina pelle tegi posset, ab indigenis oblique petitum; majus vero loci spatium, corio in minutissimas partes dissecto, callide occupatum fuit, in quo condiderunt urbem Caccaba primum vocatam c), ex equi capite, quod in primis fundamentis repertum, & bellicosam atque potentem in posterum gentem significans, novo oppido auspicatam sedem dedit:

"— — Nam sic fore bello
"Egregiam & facilem victu per sæcula gentem" d).

Confluentibusque ad famam novæ urbis proximis, vicinis & lucri cupidis cœpta ejus magnitudo & frequentia hominum, perque Reginæ liberalitatem paullatim ad fastigium surrexit.

"Instant, inquit Virgilius e) ardentes Tyrii: pars ducere muros,
"Mo-

---

c) Abregé de l'Hist. Ancienne par M. Rollin Tom. 1. d) Virgil. Æneid. l. 1. e) Æneid. l. c.

"Moliri arcem & manibus subvolvere saxa:
"Pars aptare locum tecto, concludere sulco.
"Hic portus alii effodiunt: hic alta theatris
"Fundamenta locant; alii immanesque columnas
"Rupibus excidunt scenis decora alta futuris."

Sed quam fabulosa videtur hæc antiquitatis de origine hujus urbis memoria, tam varia est posteritatis de nomine ejus disputatio. Aliis id cum Carthada, novam urbem significante, aliis cum urbe Carthæ, Tyro vicina f), comparantibus, aliis aliter, claro documento, adhuc sub judice litem esse, & parva spe, hanc rem umquam dirimi posse, magno autem solatio, eam nostra parum interesse.

Annum conditæ Carthaginis, nec minus incompertum, in medium quoque relinquam, ne vel sententiam eorum, qui hanc urbem a Didone 137 aut 142 annis annte initia Romæ structam g), vel eorum, qui origine altius repetita, eam a Canaæis, ob arma Josuæ huc delatis h), inchoatam, &

f) Servius in Virg. Æn. 1. v. 27. g) Petav. de Doctr. Temp. L. XIII. p. 370. h) Euseb. in Chron. L. 1.

& a celebrata regina amplificatam fuisse putent, secutus, aliquid antiquitati tam celebris molis, fidendo sive diffidendo detrahere sive addere voluisse videar.

§. II.

Quum jam virium haud pœniteret, imperium viribus paratum est, quod non in suadendi auctoritate, sed jubendi potestate positum fuisse videtur. Adeoque æquum & justum, ut rempublicam Carthaginensem Spartanæ Cretensique, optimis sui ævi civitatibus, præferat Aristoteles i). Fidemque huic sententiæ addere videtur, qua raro fruitur libera gens, placida per plura sæcula quies.

"Respublicæ, inquit Barclajus, quotquot olim "viguerunt, primum reges habuere, quibus expulsis "successit aut cæcæ popularitatis imperium aut per"missa proceribus potentia, id est, multiplex pro "unico, quod expulerunt regnum" k). Saltim Carthaginenses, dum vixit Dido, felicior novi regni conditrix, quam paterni conservatrix, unius ejus con-

i) De Republ. L. IV. & alibi passim. k) Satyric. p. IV. cap. 13.

consiliis & institutis paruisse videntur. Qua vero mortua, magis placuit avita libertas, quam infinita & libera potestas, nobilitatis & primorum vulgi judiciis non coërcita. Itaque Cives: "Jura magi-"stratusque legunt sanctumque senatum" l). Summosque in Republica Magistratus duces fuisse constat Suffetes, dignitate & auctoritate pares, munere autem tantum annuos, quia longa dominatio libertati periculosa. His sua jura & officia. Iis enim non minus incubuit, rempublicam consilio, fide, gravitate, vigilantia & cura tueri & amplificare, quam licuit, senatum ad deliberandum convocare, judicio præesse, & transactis rebus, concionem dimittere m).

Senatus vero princeps erat communis salutis, dominus publicæ mentis, sedes gravissimæ de rebus belli & pacis sive ad decus sive ad robur consultationis, & anima quasi civitatis, ex quo reliquis membris vis & vigor rediit n). Et æque fre-quens

l) Factum hoc esse, Didone adhuc viva, credit Emmius. de Rep. Carth. rationes vero non addit. m) Livius Patav. in Hist. Rom. L. XXX & XXXIV. it. Emmius l. c. n) Ubbo Emmius l. c.

quens fuisse hoc consilium atque magnificum, haud obscure arguit Centumvirorum delectus, ex optimis ipsius personis factus, & quidem adversus nascentem imperatorum vel flagitiosam impotentiam vel vitiosam incuriam: quarum illa perniciem civitati moliebatur, hæc non arcebat. Ideoque repertus libertatis præses, plebis custos, & justitiæ vindex, cui armorum duces ex castris reduces gestarum rerum rationem reddere oportuit o).

Cæterum, quo certius constat, Senatu & Suffetibus in diversa tendentibus, rem ad populi suffragium delatam fuisse p), eo magis est in obscuro, quanta potestas populi fuerit, quæ tamen, si eam cum Romana contendere licet, quantum per primam concordiam Magistratuum imminuta, tantum per crescentem eorum discordiam aucta videtur. Hinc autem

"Procax libertas Civitatem miscuit
"Frenumque solvit pristinum licentia" q).

Per hos vero magistratus diutissime respublica admini-

o) Aristoteles de Rep. Lib. 1. it. Justinus L. c. LXIX. p) Polybius lib. XV. q) Phædrus fab. I. 2.

ministrata, victi hostes, prolati fines, terribile omnibus gentibus Romanum imperium fractum, & immensum belli pacisque decus ac robur partum. Postquam vero leges (quibus nihil fuisse ad curam libertatis gravius & sanctius, probant tristia Hannonis & Magonis fata) ob certamina potentium & avaritiam Magistratuum, vi, ambitu & pecunia turbari coeperunt, res Carthaginensis his domesticis discordiis & externis bellis sensim attrita ad ultimum armis Romanorum succubuit.

§. III.

Etsi multas terra quævis alit artes, servat tamen unaquæque gens suum ingenium, suumque studium cœlo soloque conveniens, & ad litteras atque artes pro varietate legum, religionis & morum magis vel minus aptum. Sic quantamcunque in aliis rebus laudem sibi adquisiverint Carthaginenses, militiæ certe & mercaturæ gloria nescio an ulla umquam natio eos superaverit r). Natique illi ad utriusque hujus facultatis cupidinem, robur atque decus, etiam instituti fuerunt; ferocitate proximarum

r) Hist. Univ. p. 665.

marum gentium materiam belli, & vicinitate maris facilitatem commercii copiose & varie subministrantibus.

At quanta eorum privata, tanta & publica fuit sua hospitia & commercia amplificandi cura; qua nihil vel ad dignitatem amplius, vel ad utilitatem fructuosius putarunt, cujusque vi & felicitate suos non modo proavos sed etiam pronepotes nimium quantum præstiterunt s).

Neque huic eorum negotio materia & occasio defuit. Magna Africæ pars, quam fide datam & dolo ac vi auctam diligentissime coluerunt, rerum supra domesticam necessitatem & in peregrinum usum fertilis erat: plurimæ maris mediterranei insulæ, quas captas suis colonis locupletarunt, multarum rerum deliciis, exterorum illecebris, eximiæ: & Hispania, quam Phœnicii suæ ditionis fecerant, metallorum præcipue copia & pretio locuples. Quæ autem domi apud cives vel obnoxios negotiatio fuit, ea populo ingentis spiritus & aviditatis, nec satis ho-

---

s) Plinii Hist. Nat. L. VII. c. 56. t) Schroecks Allgemeine Weltgesch. 1 Th. von die Carthaginens.

honesta, nec satis ampla visa est. Fructum aliarum quoque gentium spectantibus placuit in longinquas regiones notas, ignotas, naves mittere. Ita orientem & occidentem nativo lucrandi ingenio complexi, procelloso suo pelago relicto, & periculo aperti oceani facto, in Angliam transierunt, insulisque Canariæ haud raro visitatis, totam, ut creditur, Africam circumvecti, Persas, Garamantas & Æthiopes petierunt, ubique locorum pecunia solvenda vel mercibus permutandis quæstus studiosissimi u).

Nec maximæ auctoritatis exempla incitamento & incremento hujus ampli & utilis defuerunt commercii, quod tanti erat, ut ne proceres quidem Reipublicæ negotiari sibi dedecori duxerint v). Quid? quod, ne ex æmula & extera vi mercatura tam magna & copiosa aliquod contraheret damni, mag-

u) Etiam Americæ littora legisse Carthaginenses, putat Cluverus; ejus vero pro hac sententia argumenta justo esse leviora observat Reiskius. vid. Cluveri Introd. in omnem Geog. p. 588, 589.

v) Plin. Hist. Nat. L. XXXVIII. 7. it. Dalecamp. in Petronium.

magna in ejus præsidium classis exstruitur, quæ, introducto quadriremum rudentumque usu, per longam annorum seriem maris dominium Carthaginensibus tutum reddidit.

Quanta autem Carthaginensibus rei navalis peritia, tanta quoque militiæ fortitudo fuit; quam non obscure arguunt eorum crebra cum Romanis bella, omnium, quæ unquam gesta sunt, maxime memorabilia. Sive enim alta indoles pugnantium, sive temporis, quo pugnatum fuit, spatium consideratur, neque validiores opibus, neque infestiores odiis ullæ inter se gentes fortius arma contulerunt & diutius. Paria in æmulis multa: ambitio, ultio, animus: dispar autem eventus, fatis Romanorum ad majora ducentibus. Hannibal enim Pœnus ingentis spiritus, miræ in sollicitando artis, in vincendo virtutis, & specimen utriusque fortunæ, postquam rem Carthaginensem hospitiis atque armis auxerat, ad ultimum magno prælio superatus fuit & profugus, sequenti civitatis suæ ruina. His autem diutius immorari temporis & instituti vetat ratio. Qui plura desideraverint, hanc materiam apud Cornelium Nepotem x), Livium

x) In vita Hamilcaris & Hannibalis.

um y). Florum z) aliosque copiose & eleganter tractatam reperient.

§. IV.

Carthaginenses autem malæ indolis fuisse annalium tradunt scriptores. Suspicionem tamen iniquioris subinde obtrectationis nobis fecit laudis æmulatio, quæ inter tantam gentem clarius exsplendescentem & Romanos id ægrius ferentes, quorum testimonia fere sola supersunt, intercessit. At utcumque studium patrii decoris falsa veris miscuerit, in aperto est opportunitatem opimi commercii opes, & abundantes voluptates desiderium invexisse, ita ut quanto plus rerum, tanto plus cupiditatis fuerit. Eamque avaritiam munia senatus, magistratuum legumque per pecuniam ambiendi licentia & consequendi facilitas auxerunt.

Eadem Punicæ fuit fraudis accusatio, æque gravis, non æque excusata; nisi dixeris hoc vitium a stirpe proxime antecedentis generarum fuisse; quo Carthaginenses ita laborarunt, ut nesciam, virtute plus

y) Lib. XXI, XXII & alibi passim. z) Epitome Rer. Roman.

plus an calliditate alios anteierint. "Carthaginen-"ses, inquit Cicero a), fraudulenti & mendaces, non "genere, sed natura loci, quod propter portus "suos multis & variis mercatorum & advenarum "sermonibus ad studium fallendi, studio quæstus "vocabantur." Parum vel nihil iis veri & sancti visum fuisse, promissaque frangere, dextramque revocare, id religioni sibi eos non duxisse, proverbio æque trita atque infamis illa Punica fides arguit. Hinc apud alios quantum animo subdolo vultuque composito ad sui amorem, tantum etiam ad sui odium valuerunt. Promti ad liberalia hospitia, tardi vero ad gratiam referendam b) ambitiose maluerunt beneficiis obligare, quam obligari. Tesseramque hospitalem frangere nefas putarunt, adeo quidem, ut Jovem Xenium, Deum hospitalem, violatis hospitii juribus, vindicem futurum, religiose coluerint.

Cum vero Carthaginenses maxime pecuniosi essent, nulli tamen illis minus luxuriosi, minus dissoluti fuerunt. Non summi solum magistratus, quam-

a) Orat. II. contra Rullum. b) Plutarch. Præc. de ger. Rep. cap. 5.

quamdiu personam civitatis gerentes jura describebant c), sed etiam milites d), quamdiu castra sequentes dignitatem reipublicæ & decus tuebantur, vino abstinuerunt; quod illustre est prudentiæ & continentiæ signum.

Ceteras autem omnes virtutes complexus videtur singularis eorum in patriam amor, qui tantus fuit, ut se pro ejus focis, templis & mœnibus in aperta capitis pericula & vitæ discrimina libenter intulerint. Sic facile quis sibi persuaserit, nihil iis fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus.

Ambigunt tamen haud pauci, an sacra Musarum coluerint Carthaginenses. Ego non arbiter hujus litis. Si vero quid sentiam, dicere licet, puto litteras apud hanc gentem, si minus floruerint, tamen non prorsus friguisse. Si Carthaginensium apud Livium orationibus aliquid domestici ingenii tribuendum sit, ostendunt hanc gentem sanctiori & augustiori eloquentiæ operam dedisse, ut ejus præsidio, velut perpetua potentia muniti, parare & tueri amicitias, adsciscere nationes, complecti provincias & hostibus terrorem, periclitantibus

c) Polyb. L. I. d) Plato de Legibus.

tibus vero salutem in judicio vel in senatu ferre facilius & certius possent. Nec Geographiæ & Astronomiæ rudes eos fuisse, probant longinquæ, quibus se commiserunt, navigationes. Certum est, Oeconomiam curæ, & probabile, Historiam amori his hominibus fuisse; incompertum vero, an studium quoque poëticæ & carminum gloriam foverint, nisi, quod apud Plautum e) exstat Punicum fragmentum, hunc scrupulum tibi penitus eripuerit.

Plena igitur fuit Carthago non modo Bibliothecarum, quas Romani, ut refert Cicero f), ibi reperierunt, sed etiam literatorum, inter quos ex veteribus Hannibal, Mago, Clitomachus, ex recentioribus Tertulianus, Augustinus, Gelasius I, Papa Romanus & alii eminuerunt g).

§. V.

Cum vero Carthaginenses litteras, quibus nihil ad notitiam rerum divinarum & humanarum amplius est & illustrius, ingeniose & studiose co-

e) Plautus in Pœnul. Act. V. f) Lib. I. de Orat. g) V. Histoire de Barbarie par Mss. Pierre Dan. pag. 164.

luerint, etiam persuasio numinis, cujus nutu & arbitrio omnia gubernantur, illis in pretio fuit. Et ut eos non fugit, nihil rite, nihilque providenter homines sine Divinitatis ope, consilio & honore auspicari, ita gravem fere nullam rem, antequam eam ad oraculum referrent, obeundam suscepe-runt h). Quod vero hanc cœlestem potestatem variis nominibus coluerunt, & in speciem quoque humani oris effinxerunt, id nescio eorumne conscientiæ, an Poëtarum licentiæ, qui Deo, quot munera, tot appellationes, ingentem plebejæ & superstitiosæ plurima numina fingendi libidini materiam, dederunt, tribuendum sit.

Sacra enim Carthaginensium, quæ a majoribus acceperunt, auxit Græcorum & Romanorum res divina, larga Deorum seges i). Deorum vero maxime coluerunt Milchom, a Sidoniis Baal a Græcis Zevs & a Romanis Saturnum appellatum k), cui hostiis quoque humanis litare fas habuerunt; tali nefando & festivo more, ut miseranda iræ divinæ

h) Livius L. XXI, XXIII. i) Diodor. Sic. L. XIV. k) Curtius L. IV. c. 3. it. Seldenus de Diis Syris.

vinæ piacula ſine ulla miſerationis ſpecie, ſuos infantes, amplexibus & oſculis datis, ipſæ dederint matres. Et ne horrendus talium victimarum clamor dolorem & lacrimas excitaret, circumſtans corona tympana impulit tibiasque inflavit l). Hinc carmen:

"Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
"Poſcere cæde Deos veniam ac flagrantibus aris
"Infandum dictu! parvos imponere natos" m).

Quemadmodum vero Chronum ut maximum cœli Regem, hoſtibus peſtem patriæ molientibus, invocarunt n), ita Uraniam velut optimam cœli Reginam, caritate annonæ ob penuriam pluviæ ingruente, Divino honore proſecuti ſunt o); ita quidem ut cymbalorum crotalorumque concentu effigiem hujus Deæ per urbes & vicos, magna caterva comitante, circumtulerint p).

Hæc vero duo Numina ſequitur longa minorum ſeries,

---

l) Plutarch. de Superstitione. m) Silius Ital. L. IV. v. 767. n) Didor. Sic. Lib. XX. o) Tertulian. in Apolog. cap. XXIII. p) Apulejus Lib. VIII.

series, quæ tamen ingenii humani ludibria non persequar, ne iis, quæ de hujus gentis lingua dicenda habeo, rebus majoris certe momenti desi fuisse videar.

§. VI.

Si nulla alia nobis suppeterent argumenta, certe ex iis, quæ supra disputavimus, facile intelligitur, Carthaginenses, utpote Phœnicum colonos, Phœnicia quoque, sive ut indigenæ dixerunt, Cananæa lingua usos esse. Quam autem cum Hebræa eandem fuisse probant primum Cananæa Palæstinensium nomina, Israëlitarum ex Ægypto in illa loca adventu vetustiora, quæ Hebræa sunt; deinde Josuæ legati, qui cum Cananæis per interpretem egisse non dicuntur; post lingua Hebræa, quæ non solum Cananæa q), sed etiam a Josepho r) Phœnicia appellatur; & tandem monetæ Phœnicum & marmora, quæ talem ostendunt sermonem, qualem in Hebræorum monumentis habemus. Tamen non dixerim inter utramque nihil intercessisse discriminis. Ut enim sermoni Hebræo suæ

q) Jes. XIX. 18. r) Lib. I. contra Appion.

ſuæ fuerunt dicendi varietates, שׂ pro שׁ ab Ephraëmitis pronunciato s), & Levita in domo Michæ per vocem ſuam a Danitis cognito t), ita nec ſuæ Phœnicis defuerunt, quibusdam ejus inſcriptionibus ad Syriaci oris habitum aliquantulum compoſitis u). Quod non mirum. Nam prætérquam, quod majorem Phœniciæ proprie ſic dictæ partem ora Syriæ maritima conſtituit, nulla Phœnicum ſuperſunt monumenta, quæ Babylonica Judæorum fata, quibus exactis Chaldaice vel Syriace locuti ſunt, ætate ſuperant.

Si autem ex his probabiliter, ex iis quæ ſequuntur certo efficietur, linguam Hebræam vel Hebrææ ſimillimam Carthaginenſibus fuiſſe vulgarem, quam Romani aliique Punicam, vocabulo, eam a Phœnicia Syriæ vernacula diſtinguente, appellarunt. Multum hic valent peregrina antiquitatis teſtimonia, plus domeſtica ipſius linguæ ſpecimina, plurimum hæc duo conjuncta.

Haud

s) Judic. XII. 6. t) XVIII. 30. u) Michaëlis Orient. und Exeget. Biblioth. Th. VI. p. 103. Th. VIII. p. 7. Th. X. p. 129. seqq.

Haud minimam Augustinus fidem meretur, qui non multum istas linguas (Punicam puta & Hebræam) inter se differre sæpe affirmat v). "Hebræi, inquit, dicunt Messiam, "quod verbum Punicæ linguæ consonum est, sicut "alia Hebræa permulta & PÆNE OMNIA." His consentit Hieronymus y) "Tyrus, inquit, & Sidon "in Phœnices littore principes civitates &c. qua- "rum Carthago colonia. Unde & Pœni sermone "corrupto quasi Phœni appellantur; quorum lingua "linguæ Hebrææ magna ex parte confinis est." Idem suffragium fert Priscianus: "Lingua Pœno- "rum, quæ Chaldææ vel Hebrææ similis est & "Syræ, non habet neutrum genus" z).

Robur his addunt Punica tum nomina tum vocabula, quot ad nostram memoriam pervenerunt, quæ, etsi sæculorum serie humanique oris mobilitate corrupta, maximam tamen cum Hebræa vel

v) Augustin. in Quæstion. supra Judices. — Contra litteras Petalliani L. II. c. 104. immo cognatæ sunt, inquit, linguæ istæ & vicinæ Hebræa, Punica & Syra. In Joann. Tract. XV. y) in Jeremiam L. V. cap. 25. z) Priscianus L. V.

vel Chaldæa lingua produnt cognationem Nomina apud varios Auctores obvia: Magog, mago, Anna vel Hanna, Anna, Jachin, Jachon, Mehirbaal, Maherbal, cet. & Vocabula Sanchoniathonis, qui ante belli Trojani tempora Phœnicio ſermone Phœnicum hiſtoriam, deinceps a Phil. Byblio græce redditam, ſcripſit, ab Euſebio ſervata: *βεελσαμιν κυριος ϑρανϑ* בעל שמים dominus cœlorum, *σαμημρϑμος υψϑρανιος* שמים רום cœli altitudo. Multaque ejusmodi, præeuntibus ſtudiis Bocharti a), ex Herodoto, Heſychio & Dioſcoride afferre poſſem, niſi propoſita voluminis magnitudo mihi eſſet impedimento.

Inſtar vero omnium eſt fragmentum linguæ Punicæ, quod nobis tradidit Plautus b), a Bocharto ſtudioſe correctum, Hebraice expreſſum & Latine redditum. Nempe prodit in ſcænam Punice loquens Hanno, verba, quæ ſequuntur, faciens:

"N'yth alonim valonuth ſichorat jismacôn ſith
"Chy-mlachai jythmu mitſlia mittebariimi ſchi,
"Liphorcaneth yth beni ith ja adi ubinuthai

"Bir-

---

a) Phaleg & Canaan p. 791, 794, 819, 834. b) in Pœnulo Act. V. Scæn. 1.

"Birva rob syllobom alonim ubymisyrthobom
"Bytlym mot ynot othi helech Antidamarchon,
"Ys sideli; Brim tyfel yth chili schentem liphul
"Uth bi imys dibur thim nocuth nu' Agorastocles
"Ythem aneti hy chyr saely choc, sit naso.
"Binni id chi luhilli gubylim lasibit thym
"Bodi aly thera yn' ynnu ysl' im moncor lu sim."

נא את עליונים ועליונות שכורת יסמכון זות
כי מלכי יתמו: מצליח מדבריהם עסקי
לפורקנת את בני את יד עדי ובנתי
ברוח רוב שלהם עליונים ובמשורתהם
בטרם מות חנות אותי הלך אנטידמרכון
איש שידע לי ברם טפל את חילי שכינתם לאפל
את בן אמוץ הבור תם נקוט נוה אגורסטוקלים
הותם חנותי חוא כיור שאלי חוק זאת נושא
ביני עד כי לו האלה גבולים לשבת תם
בוא רי עלי תרע אנא: הנו אשאל אם מנכר
לו שם

"Na eth eljonim veeljonoth sechorath jismecun zoth.
"Chi melachai jitthmehu matslia middabarehem iski
"Lephurcanath eth beni eth jad adi ubenothai.
"Berva rob sellahem eljonim ubimesurathem.
"Beterem moth anoth othi helech antidamarchon,

"Is

"Is ſejada li: Beram tippel eth chele ſechinatham leophel
"Eth ben amis dibbur tham necot navè Agoraſto-cles.
"Othem anuthi hu-chior ſeeli choc; zoth noſe.
"Binni ed chi lo haelle gebulim laſebeth tham.
"Bo di a le thera inna; Hinno eſal im mancar lo ſem.

"Rogo deos deasque, qui hanc regionem tuentur,
"Ut conſilia mea compleantur; Proſperum ſit ex ductu eorum negotium meum.
"Ad liberationem filii mei e manu prædonis, & filiarum mearum.
"Dii (inquam id præſtent) per ſpiritum multum qui eſt in ipſis & per providentiam ſuam.
"Ante obitum diverſari apud me ſolebat Antidamarchus
"Vir mihi familiaris; ſed is eorum cœtibus injunctus eſt, quorum habitatio eſt in caligine.
"Filium ejus conſtans fama eſt ibi fixiſſe ſedem, Agoraſtoclem (nomine)
"Sigillum hoſpitii mei eſt tabula ſculpta, cujus ſculptura eſt Deus meus: id fero.
"Indicavit mihi teſtis eum habitare in his finibus.

"Venit aliquis per portam hanc: Ecce eum; rogabo numquid noverit nomen (Agorastoclis)."

Hæc omnia satis testantur, Pœnos Hebraice locutos esse, & quidem, quod credere licet, antiquitus bene, recentius vero, ubi exterorum advenientibus & hospitiis per amplissima sua commercia mixti fuerunt, male, partim Syris partim Africanis, partim aliis gentibus in eorum linguam sævientibus.

XXV. DE MILITIA ARABUM.

§. I.

In principio hujus operis licet mihi præfari, militiam omnium antiquissimam me esse scripturum: quam Arabes, gens prisci ingenii morisque non minus in bello quam in pace retinentissima, colunt & sequuntur. Ita non sum audax, ut de re tam veteri, tam gravi & tam obscura me satis commode & cumulate dicere posse putem. Tale consilium

um non fiducia doctrinæ, ſed ſtudio officii ſuſcepi. Ne autem plus oneris, qnam ferre me qualicunque mea ſcribendi facultate poſſe intelligo, ſuſcipiam, da hoc ſcriptori, ut, ſi de ea tantum militia Arabum, quæ Beduinis & Jemenſibus, hominibus nec vi hoſtium oppreſſis nec commercio peregrinorum corruptis, propria eſt, dixerim, ſatis dixiſſe videar.

§. II.

Ut Arabia propter metum vaſtæ ſolitudinis & periculum horridi maris ab alieno orbe non facile aditur, ita indigenæ, peregrinis nec hoſpitiis mixti, nec connubiis infecti, propriam, ſinceram tantumque ſui ſimilem gentem conſtituunt. Tamen qui urbes & vicos in littore aut confinio colunt, ii contactu & mutatione ementium, aliquid novi, majoribus ignoti, ore habituque contraxerunt. Qui autem diverſi & diſcreti, ut fons, ut campus, ut nemus placuit, in ſilentio & ſolitudine, procul ab alieni ſoli luxu & cupiditate, ſub tentoriis degunt, greges ovium atque armenta equorum boumque, ſolas & gratiſſimas opes, ſimplicius & antiquius ſequuntur. Hi, inquam, homines, qui puro cœlo & liquido aëre felices & hilares, urbium opes & ſordes ignorant

norant vel fugiunt, per plurimas familias aut tribus descripti vitam transigunt: quarum singulæ suum habent principem, qui ad hanc dignitatem, ut ætas, aut merita patrum, aut nobilitas est, eligitur, & Schejch i. e. Senex appellatur. Quod tamen nomen aliis quoque, genere aut doctrina claris, commune est; manifesto documento, etsi Arabum lingua omnium est ditissima, titulos honoris apud eos æque raros esse & tenues, atque penes nos effusos & obsoletos. Isti vero principes, cura pecoris pascendi agrique colendi aliis relicta, jura per vicos reddunt, & pœnas ex delicto distinguunt; subditis ultro & viritim armenta conferentibus, quæ pro honore accepta, necessitatibus quoque subveniunt. Sic duces sunt exemplo potius, quam imperio: & sua jubendi potestate non aliter ac suadendi auctoritate uti oportet. Si enim injuste imperant, eorum subjecti male parent, & in remota atque abdita solitudinis confugiunt, alium & æquum sibi ducem & gregibus campum quærentes. Hinc itaque non minus multarum veterum magnarumque tribuum oblivio, quam parvarum novarumque celebritas arcessenda videtur. Sæpe autem usu evenit, ut memorati principes, suis

ſuis rebus diffidentes, ad florentes aliarum tribuum opes ſe conferant, datamque dextra fidem futuræ amicitiæ ſanciant, ſub eodem jure & nomine ut ſocii, non ut ſubjecti victuri, animis bello & paci paratis. Et quidem firmiſſima eſt inter pares amicitia; inter dominum & ſervum nullà fide intercedente. Arabes vero, qui Beduini vocati, in antiquitatem ſui generis & gloriam geſtis exſultant, in poteſtatem Turcarum & Perſarum numquam venerunt. Quod malum iis viciſſim accidit, qui Fellahin i. e. Agricolæ appellati, villas & pagos circa Bagdad, Moſul, Orfa, Haleb & Damaſcum tenent, & in aratro ſpem & ſubſidium habent: qui tamen imperium Turcarum ita patiuntur, ut eorum imperatori tributum quidem pendant, ſed ſibi præfectum ex ſua gente vindicent a).

§. III.

At vero inter illas Arabum tribus odia & certamina haud raro oriuntur, quorum ſemina vel ipſi per injuriam, vel alii per invidiam ſpargunt. Nam

---

a) Niebuhr Descript. de L'Arabie p. 13. 327 — 329. 333 — 334.

Nam præterquam quod magna egeſtate in cupiditatem alienæ fortunæ accenſi, ſe invicem infeſtant, Turcæ, quorum libidini nihil exceptum eſt, eos per malas artes in diſcordias agunt. Hi raptores orbis, quos nec oriens nec occidens ſatiaverit, agris & urbibus deficientibus, ſolitudines ſcrutantur, & victis locupletibus avare, pauperes ambitioſe ſectantur. Sic omnium opes & inopiam pari ardore concupiſcentes, quæ ex aperto non poſſunt, per obliqua moliuntur. Haud enim ignari, res parvas concordia creſcere, Arabum diſcordiam jam pretio rerum jam lenocinio verborum alunt, ut eorum vitia in ſuam rem & virtutem vertant. Quo fit, ut tribuum principes, non modo conſiliis & ſtudiis, ſed etiam armis & caſtris diſſidentes, ſcopulos & paſcua mutuis cladibus nobilitent; quorum tamen animi, ubi res cum Turcis erit, domi militiæque optime congruunt b). Eædem quoque artes notæ ſunt principi Meccano, magno Muſulmannorum Pontifici. Etiam ex occulto animos Beduinorum, qui circumjecta ſilvarum & montium pre-

b) Idem lib. cit. p. 330.

profunda colunt, in diverſas partes, ſibi utiles, ipſis exitioſas, trahere ſtudet c).

§. IV.

His autem cauſſis, ſive ſuo ingenio, ſive arte & impulſu traducti Arabes, crebra certamina ineunt: quæ tamen nec longa ſunt, nec cruenta d). Ut cœlo ſoloque in iram præcipites ſunt, ita iis, prælio commiſſo, nihil ex iracundia ſupereſt. Gloriamque belli non tam poteſtate cædendi, quam celeritate conficiendi metientes, beatius putant, occurſando recipiendoque vulnera mereri, quam cunctando ſedendoque hoſtem provocare. Cito parant victoriam, cito cędunt. Mira naturæ diverſitas: amant inertiam in pace, & quietem in bello faſtidiunt. Adhæc qui acie ſuperiores excedunt, animum vindictæ cupidum vincunt, iram conſilio inimicam cohibent, & victoriam natura inſolentem temperant. Quemadmodum togati, quod ſæpe fit, ſpoliant & reddunt, ita & armati haud raro jacentem extollunt, victoque partem prædæ remit-

---

c) Ex ore Scherifi Mechani Abd Allah.

d) Niebuhr lib. cit. p. 329.

remittunt e). Recte itaque invicti existimentur, qui conditionem victoriæ & se ipsos devincunt. Ne autem hæc sine exemplo dixisse videar, testimonii loco erit Abd Allah, nobilis Meccanus, secundis & adversis rebus juxta famosus, qui, Ali Bej præfecto Ægypti prospere, improspere agente, in summo fastigio aut periculo fuit, & quo Constantinopoli linguæ Arabicæ Magistro uti licuit. Nam intercessione hujus viri & auctoritate Arabes, qui cum sacra cohorte inter Meccam & Cahiram congressi, opima spolia adepti erant, magnam eorum partem suis dominis, plerisque Europeis, reddiderunt. Sed quanta hujus facti clementia, tanta Ægyptiaci imperii avaritia, cujus libidini & raptui hæc pecunia parata fuit materia, eodem actu innotuit.

§. V.

Graviora viceversa sunt bella, quæ Arabes cum Turcis, gente barbara, gerunt: quibus imperantibus libertas, ad quam hi nati sunt, ingrata est, qui-

e) Idem lib. cit. p. 332, & ex fide Maronitæ, quem linguæ Arabicæ & Syriacæ præceptore Constantinopoli habui.

quibusque cupientibus solitudo, quam implent, quo nativis tutior, eo ipsis suspectior videtur. Quam vero superbiam, avaritiam, Arabes non obsequio & parendi amore effugiunt, sed latrociniis vel præliis puniunt. Ut nemini imperitare desiderent, ita nec ulli servire possunt. Expugnare, vastare, si Turcæ imperium, rapere, auferre, Arabes libertatem vocant. Hoc studio libertatis, quam honesta morte, turpi vitæ anteponenda, defendere cupiunt, & hoc odio servitutis, quam gravi tributo, servientium pœna, emere & alere nolunt, peregrinas cohortes aditu ad sua regna prohibent, ne gratis ad pecora avaras manus porrigant. Deturque hæc venia imperiosæ solitudinis majestati, ut se eandem, quam nostri reges sibi vindicant, vectigalis ab exteris copiis, suas terras peragrantibus, petendi exigendique potestatem habere, putet. Quocirca Turcarum imperator, sive conscientia, sive metu, Arabibus, viam quæ Meccam fert tenentibus, magnam vim pecuniæ & vestium delegat, hoc stipendio copiam aquæ fluentis & securitatem sacræ cohortis emturus. Sæpe autem accidit, ut illius agminis præfectus, pari superbia & avaritia non modo istos Arabes

ut latrones incuſet, ſed etiam haud parvam deſtinatæ ſummæ partem ſurripiat. Hujusque opinionis fidem nobis faciet memoratus Ali Bej, honeſte & inhoneſte factis æque notabilis, qui Ægypto expugnata; cum ſacram cohortem Cahira Meccam duceret, Arabibus non niſi dimidium conventi pretii ſolvit, reliquum ſummæ in ſuum reditum paciſcens. At pacto non ſtetit, & etſi tantum de ſumma detraxerat, tamen eam totam in regium accepti & expenſi codicem retulit. Si alterum exemplum placet, erit Abd Allah, Syriæ & religioſi agminis præfectus, & artificio ſimulationis eruditus, qui Arabum principes ad accipiendum ſuetum tributum progreſſos, hoſpitio & epulis excepit, eorum vero capita præcidit, quæ & victoriæ tropæi, infamiæ fœda ſpectacula, Conſtantinopolin miſit. Quod tamen ſcelus ſacri peregrinatores ſummis ad cælum laudibus tulerunt, eorum exemplo, qui vultum ad ſolennia pietatis callide componunt, & quum id agunt, ut viri boni eſſe videantur, maxime fallunt. Duobus vero poſt annis Arabes, viribus ad ſpem ultionis aucti, eandem gentem, denuo ad ſacra Meccana profecturam, & itinere atque inopia languentem, infeſta

cu-

cuſpide adgreſſi, late cædem fugamque fecerunt, ingenti præda capta. Quamobrem Turcæ, mala conſcientia paventes, magnum exercitum quotannis expediunt, qui Meccanum avaritiæ & ſuperſtitionis agmen, mercatoribus & religioſis, iisque nec inermibus, miſtum & compoſitum, a periculo & laceſſito hoſte defendat. His autem copiis, caſu Othomannicæ fraudis, Arabes ſui juris pertinaces, etiam ſuas opponunt: quarumque paupertatem, gravi Turcarum agmine velociorem, nec vis martis conſequetur, nec ira victoriæ obruet, ſolitudine ad latebras & receſſus late patente. Vaga & lubrica eſt gens, quam Turcæ in mancipatum concupiſcent, non capient, quam apprehendent, non tenebunt f).

§. VI.

Arabes tamen in certamina plus roboris & impetus, quam artis & diſciplinæ adferunt: pluraque vi, quam conſilio agunt. In ſolitudine viventibus licet ignorare, quæ ſecreta belli ad cædem & vulnera ingenium ſtudiumque humanum callide invenit, & apte diſpoſuit. Ad arcendam ſive auda-

f) Niebuhr lib. cit. p. 330, 331.

daciam advenarum five vim inimicorum, ex urbe & agris concurrunt, & hoftem punctim magis, quam cæfim, petunt. Nullus præfectus, nullus centurio, nulla cohors, nulla turma. Principes iidem duces, iidem milites: quos virtute non æquare, comitatui turpe eft, & in omnem vitam probrofum. Defendere vero libertatem, præcipuum eft facramentum inter eadem pecora in eadem humo degentibus. Hic primus juventæ honos, hæ adolefcentiæ vires, hæc fenectutis dignitas. Nulla, quantum mihi notum eft, figna in prælium ferunt: cafus aut fortuita conglobatio denfum agmen facit, quo raptim ducto, & incondito clamore fublato, hoftem carptim invadunt, ad concurfandum inter faxa & rupes apti & leves. Commeatusque parandi nulla cura aut neceffitas. Nam præterquam quod acrius, quam diutius pugnant, fitim & famem per plures dies pati poffunt. Sic eorum impedimenta nulli unquam hofti in pretium belli cefferint. Arma iis data, lancea, arcus, & equus, decus in pace, præfidium in bello; eorumque & cum amicis in fpeciem, & adverfus inimicos ad tutamen eft ufus. Scilicet equites gerunt prælongas lanceas, ad ufum habiles, & ad ictum validas,

das, quibus, ut ratio poscit, cominus vel eminus pugnant. Pedites vicissim, quibus eadem arma, missilia quoque, quod tamen rarius, spargunt, & in immensum vibrant. Uterque autem nudi, aut sagulo leves, nulla jactatione auri vel argenti, quod nec tegit, nec vulnerat. Equestrisque pugna ignavis magis apta & congruens: ad quam multum quoque conducunt ipsi equi, forma & velocitate conspicui, quos non alii cursu & fortitudine, ne dicam antecedent, sed æquabunt. Itaque & gyros, sive in rectum, sive flexu, conjuncto orbe tam dextros agunt, ut facile quis sibi persuaserit, eos in circum rationis & doctrinæ duci g).

§. VII.

Hæc in commune de certaminibus, quæ Arabes, per solitudines, inter se vel cum aliis ineunt, accepimus. Nunc militiam, quam Arabes, victu cultuque politi, & Felicis Arabiæ incolæ, sequuntur, præcipue exponam. Illi homines, quos orbis & libertatis extremos suus sinus & recessus usque ad hanc ætatem defendit, non more Beduino-

g) Niebuhr lib. cit. p. 328, & ex ore memorati tum Marcnitæ, tum Scherifi Meccani.

norum promiſcuas ſedes per vices occupant, ſed propriis nationibus nominibusque diſcretas terras tenent, peregrinis armis & oneribus nunquam obnoxii. Jemen quidem a Turcis ſemel domita, ſed ſtatim miſſa fuit, coortis in eos indigenis, qui Cæſaris Othomani legatos & procuratores, in ſanguinem & bona ſævientes, minime patiebantur h). Principesque, qui in paternas opes ſuccedunt, ſuam quisque civitatem, non pro arbitrio, ſed ex ſenatus conſulto, quod loco erit libertatis, regunt i). Neque iis deſunt certamina; quæ vel ſuperbiæ odio, vel prædæ dulcedine, vel prono erga aliquem ambitioſum imperiique avidum favore naſcuntur. Ut autem validiores opibus hæ inter ſe civitates arma conferunt, ita etiam haud ignotas belli artes, ab Europeis acceptas, belloque Turcico expertas, inter ſe conferunt k). Tamen in plerisque, ut majores inſtituere, ita poſteri imitantur; quod ex iis, quæ dicam, ſatis patebit.

§. VIII.

---

h) Idem lib. cit. p. 168.

i) Idem lib. cit. p. 179, 180.

k) Idem lib. cit. p. 172, 173, 178.

§. VIII.

Princeps Jemensis, non minus nomine Imam sanctus, quam magna potestate augustus, haud contemnendum tenet exercitum, vultu habituque moris tum antiqui & domestici tum adsciti & alieni notabilem. Millia enim equitum, quatuor autem millia peditum habet: domi species, militiæ robur. Iisque copiis præsunt homines, non ex nobilitate, sed ex virtute, aliquando etiam servili, sapienter sumti; quorum quisque Schejch, vel majoris honoris caussa, Nakib appellatur. Secundum vero a duce locum tenet Bejrakdàr i. e. signifer, cui dignitate proximus est Tjausch, rei pedestris præfectus. Nec silentio prætereundus Serràf, cujus munus est, militibus igniarium, pulverem pyrium, & plumbum tradere. Alii præfecti nec titulo, nec auctoritate cogniti l).

§. IX.

In pace hæc equitum peditumque negotia, dixissem otia sunt; eaque non minus in usum, quam in pompam composita. Die enim festo & vene-

l) Idem lib. cit. p. 184, 185.

veneris, equites, ſuum quisque equum forma & cura præſtantem & ab equiſone ante portam ductum, conſcendunt, & principem in urbe, vel gubernatorem in provincia, pietatis & amplitudinis cauſſa, ad templum comitantur. Hinc vero ad forum, in omni urbe ſpatioſum & diffuſum, reverſi, ante palatium principis ſeu gubernatoris conſiſtunt. At deinceps, prehenſisque lanceis, hæc æmula virtus monſtratur. Præfectus Lohejæ, ut Niebuhro ejusque comitatui jucundo officio ſatisfaceret, tale ſtadium currebat. Ipſe, aliique illuſtres & peregrini, concitato equo & protenſa lancea, inter ſe bini contendebant, quis alterum curſu & ictu ſuperaret; ita quidem, ut qui cuſpidem ſequentis effugere non poſſet, victus cenſeretur. Etiam quibusdam certantium ea ars regendi equi & mucronis declinandi erat, ut victoriam diu victori ancipitem redderent: quod non minus hominum ſpectaculo, quam triumphantis gloriæ ſerviebat. Sic autem currendo & luctando exercentur, ut multum virium ad athletæ dignitatem & plurimum velocitatis ad belli utilitatem adferant m).

§. X.

---

m) Idem lib. cit. p. 185, 186.

§. X.

Equeſtris hæc virtutis exercitatio. Nec plus negotii tempore pacis injunctum eſt copiis pedeſtribus, quarum præfectus, equo ſublimis, & baculum, ſui imperii inſigne & inſtrumentum, manu tenens, inſtructæ aciei obequitat. Quemadmodum vero equites, ita & hi milites, quorum alii corporis ſunt, alii caſtellorum cuſtodes, diebus feſtis principem ſeu gubernatorem ad ſacra obeunda deducunt: cuique cohorti præeuntibus quatuor hominibus, qui cultris ſeu bombardis erectis, ita cantando & ſaltando procedunt, ut modos eorum & orbes non tam virtutis eſſe concentus, quam dementiæ vel ebrietatis inſanias facile quis crediderit. Reducesque a templo ad aulam principatus aut gubernii, etiam honoris & exercitii gratia, bombardas per aliquot vices malo etiam ordine exonerant: quam vero rem non a Turcis, talia aſpernantibus, ſed forte a Chriſtianis, Mocham adeuntibus, acceperunt n).

§. XI.

n) Idem lib. cit. p. 186, 187.

§. XI.

Nulla cultus præterea jactatio. Barbara acies nec decoris armis nec auro & discolari veste fulget, antiquæ simplicitatis imago. Eques habet sclopos, ephippio utrimque suspensos, miles bombardam & clypeum, uterque prælongam lanceam, & acinacem, zonæ adjunctum. Nec tympana & signa illis desunt. Tormenta vero bellica in castris nulla sunt, in castellis pauca: quorum cura vel vagabundis Turcis, vel imperitis Christianis commissa est. Nec ulla classis copia, aut necessitas est. Nulla enim ultra gens; nihil nisi fluctus & saxa, libidini hostili periculosa. Par vestium simplicitas: quas quisque pro arbitrio & facultate exquisitius vel negligentius gerit. Tegumen omnibus sagum, non singulos artus exprimens, sed largum & manicatum, zonaque cultrum habente consertum: quo fluitante locupletes, brevi pauperes distinguuntur. Quidam vero milites super umbelicum nudi sunt, linteo lumbos tantum velante. Capitisque insigne est cidaris, aut promissa coma, per humeros sparsa, aut sacculo immissa. Pedes vicissim nudi, aut soleati. Sic arma, non prædam gestant. Talique armorum genere & usu militiæ Arabes, animis discor-

cordes viribusque discreti, collato pede, vincunt aut vincuntur o).

XXVI. DE ASTRONOMIA ARABUM.

§. I.

Cœli adspectus semper hominum admirationem excitavit, admiratio curiositatem aluit, & curiositas contemplationem excercuit. Scilicet, quæ illius est pompa, ut oculos magnifici spectaculi imagine, sic mentem propius cognoscendi illius cupidine perculit & tenuit. Neque tantæ majestatis facile quis diu otiosus spectator fuerit. Quam ob rem nulla fere gens tam barbara & immanis fuit, quæ non speculandæ rimandæque cœlesti naturæ intenta hæserit. Et sol, quo illustrius sidus, eo majorem exquirendi, qui illius sit cursus, diligentiam humano generi fecit. Reperiendæ autem solis viæ non alia quam luna congruentior stella. Modo enim cur-

o) Idem lib. cit. p. 185, 187, 188, 56, 57.

curvata in cornua, modo ex æquo divisa, modo sinuata in orbem lucet. Quas vero vicissitudines observare, & quoties hæc, dum annuum sol orbem conficit, suum curriculum integret, supputari facile fuit. Hinc annus in duodecim partes seu totidem menses distributus. Ad definienda vero dierum momenta, quibus horæ æqualibus discretæ intervallis forent, umbræ montium, arborum, aliorumque corporum, sui fuerunt. Nocturna vicissim spatia, & distinctas eorum partes, ortu obituque stellarum circumscribere licuit. Et hæc astronomiæ origo. Sive vero Chaldæi, sive Ægyptii, sive aliæ gentes illius conditores fuerint (quis rem tam veterem pro certo affirmaverit), nemini dubium est, quin Arabes, quantumcumque hujus scientiæ cognitum esset, curatius collegerint, & felicius amplificaverint.

§. II.

Quomodo recentius, sic etiam antiquitus astronomiam Arabes magni fecisse, multi fuerunt, qui traderent. Et ambigam, gentis an regionis ingenio hæc laus tribuenda sit. Neque enim aliud cœlum fuerit magis sive apertum, sive serenum:

pa-

patente omni ex parte profpectu, & raris imbribus aut nebulis, ita ut vel invita hæc gens, & ftellantis ductu ætheris, ad illius contemplationem defixa ftererit. Quæ vero vitæ degendæ ratio femper placuit, plurimum etiam momenti in hoc ftudio ea habuit. Paftoralis hæc: & quæ pafcendi pecoris per campos & filvas cura fuit, ea effecit, ut vigiles paftores nec cœli radiantis incuriofi fuerint. Hinc, ut præclare docuit Golius a), nomina, quæ Arabes indiderunt ftellis, a re pecuaria, cujus illi maxime ftudiofi erant, defumta funt. Et tefte Gr. Abulfaragio b) compertum eft, Arabum veteres non literis, fed ufu, qui magifter eft optimus, eruditos, probe noviffe, non folum, quo tempore aftra exfurgerent vel caderent, fed etiam quam vim in cœli temperiem fingula haberent.

§. III.

---

a) In notis ad Elementa Astron. Alfergani p. 63.

b) *Antiqui Arabes in comperto habebant, quo tempore orirentur astra, quove caderent, neque ignorabant quænam ftellæ ad occiduas plagas occumberent quæque sub id tempus emergerent ex adverso; idque demum pro be tenebant, quantum virtutis ipsis inesset ad conflandas pluvias, gignendasque alias aëris tempestates.*

§. III.

Tempestatum vero mutationes, ut ex siderum positione, sic etiam ex lunæ stationibus, quibus النوا Elnava nomen, augurari, in more Arabibus fuit. Illæ viginti octo numeratæ: & totidem partes Zodiaci constitutæ, quas pernox luna subterlabitur: aliis earum mane occidentibus, aliis e regione emergentibus, tam congrua constantique conversione per decem & trium noctium spatia, ut, iis decursis, inde retro redeant, idemque ordo repetatur. Quos vero stellarum ortus obitusque diu & diligenter contemplati Arabes, quem habitum diversis temporibus aër induerit, diligenter notarunt. Et cognito, indolem illius & faciem iisdem temporibus sui similem fuisse, eo tandem erga stellas reverentiæ pervenerunt, ut divinam quandam vim iis inesse putarent. Neque non Numinis religio iis tributa. Coluit, teste Albufaragio c), Hamjar Solem, Kenanah Lunam, Misam Oculum Tauri, Lachan & Gedam Jovem, Tai Canobum, Kais Sirium, Asad Mer-

c) Hist. Dynast. p. 101. Cfr. Dissertationes de *Templis Sabiorum*.

Mercurium. Quod pro argumento eſt, neque ſtellas Erraticas Arabum veteribus ignotas fuiſſe.

§. IV.

Ubi vero res, aut rei notio, ibi & nomen: & ſuum cuique ſive ſtellæ, ſive conſtellationi Arabice additum fuit. Neque alia lingua vocabulis ditior. Tamen quædam appellationes mutuæ à Græcis ſumtæ fuerunt: & hæ recentiores. Quæ vero Arabicæ ſunt originis, illæ vetuſtiores: & omnium vetuſtiſſimæ ſunt, quas majora famaque populari celebrata ſidera habent. Neque minoribus, quæ majoribus continentur, & quæ Græci non obſervârunt aut ſine nomine reliquerunt, ſuæ deſunt. Et multa ſunt, quæ earum antiquitatem probant. Alia argumenta ut taceam, hoc præcipuum eſt, quod nonnulla ſtellarum nomina ſunt obvia in libro Jobi, qui ætatem Moſis æquat aut ſuperat. Jobus vero Arabs fuit. Prior itaque Jobi temporibus hæc nominum uſurpatio erat: & illius ſi origines ad primos Arabiæ incolas retulerim, veriſimile aliquid me dixiſſe putaverim. Etenim vetus eſt, ut ſupra diximus, memoria, Arabes diſciplinæ paſtoralis munia ſemper obiiſſe, gregibus

ar-

armentorum interfuiſſe, contemplationi ſtellarum invigilaſſe, iisque nomina a ruſticis inſtrumentis & paſtoriis miniſteriis impoſuiſſe.

§. V.

Priſca hæc & rudis, ut rerum ſunt principia, Arabum aſtronomia fuit. Species vero & pulchritudo a Græcis adjecta. Videlicet a divina quadam & Græca ſollertia, ut quævis alia, ſic etiam hæc, quæ Arabibus in amore & pretio fuit, diſciplina plurimum incrementi & dignitatis accepit. Et ſive gentis, ſive ipſius ſcientiæ indoles ita tulerit, in ſublimi hac re opera præclare poſita eſt. Ingenia vero facilius oppreſſeris, quam provocaveris. Nam, conditore novæ religionis & Muhammede in medium progreſſo, qui illius ſacra amplexi erant, ut cetera artium, ita hæc etiam oblivioni, aut, quod pejus eſt, contemtui tradiderunt. Credere, quam ſcire, beatius judicatum; & obſtinata fides pro ſapientia habita eſt. Atque ſi quid priſci & litterati moris ſuperſtes fuerit, vi & ambitione eorum, qui inter ſe de chalifatu arma contulerunt, violatum aut diſtractum fuit. Integro plus ſeculi ſpatio externa, civilia bella animos Ara-

bum

bum occuparunt. Pax demum & quies reddita: & quæ ingenia cesserant, redierunt. Neque non studia etiam publice adjuta, quæ privatim culta fuerunt. Etenim non defuerunt Principes, qui non hortamine solum & exemplo, sed etiam præmiis & honoribus incitamenta magnæ cogitationis & industriæ ostentarent. Sic ut, florentibus Ummiadis, patrium jus & sermonem noscere, magna id curæ fuit, ita, cum potentia primum in Hascemidas, deinde in Abasidas cessisset, nulla non disciplina, & præcipue Astronomia tanti facta est, quanti fieri debuit. Et, alios Chalifas ut silentio transeam, exemplo nobis erit Abd Allah Elmamun, qui Græci ingenii monimenta, diligenter conquisita, non solum Arabice vertenda curavit, sed etiam, ut ea sui cives perdiscerent, auctor & suasor fuit d).

d) Abulfaragius in Hist. Dynast. refert: *Initio Islamismi ait Alkadi Saed Ebn Ahmed Andalosensis, Arabes haud aliis curam impendisse disciplinis quam linguæ suæ peritiæ, legisque suæ constitutionum scientiæ, excepta arte medica, quæ aliquibus eorum nota, nec pluribus improbata fuit, quod ea hominibus universim opus sit. Atque hic Arabum status sub Ommiadarum imperio; at ubi Deus Hascemidas ad im-*

Aſtronomiæ autem præcipua ei cura: quam, convocatis magnæ famæ Mathematicis, inſtaurari juſſit. Et clari exemplum Principis, qui primus rem arduam tentavit, ſequentibus ſeculis vel triginta Reges ſecuti ſunt e).

§. VI.

Tantis vero auſpiciis ſtudia humanitatis, quibus priorum temporum immanitas infeſta fuerat, patriam, ſpiritum & dignitatem receperunt. Scholæ & Academiæ inſtitutæ f): homines, ingenio & doctrina præſtantes, quæſiti magiſterio: & diſciplinæ omnis generis in ſinu complexuque, oculis & auribus habitæ. Et quam ſtudioſe culta fuerit Aſtronomia, documento ſunt, quæ illius opera in medium allata ſunt. In his Tabulæ cœleſtes الزيج الممتحن Tabulæ Probatæ, ita dictæ, quod

---

perium evexit, et ad ipsos regnum transtulit, reversi sunt animi ab incuria sua, et experrecti intellectus a deliquio suo etc.

e) Abulfaragius Hist. Dynast. p. 66.

f) Sedes Literarum fuere Bagdad, Kufa, Baſſora, Balka, Iſpahan, Alexandria, Kahira, Feſſa aliique loci.

quod novis & observatis seu certis experimentis, veterumque cum iis facta collatione, fundatæ erant القانون الممتحن Canon Probatus atque الزيج المأموني Tabulæ Elmamunicæ. Observationum vero, quibus opera fuit data, ut omnium gravissima, sic præprimis memoratu digna est, quæ eclipticæ obliquitatem spectat. Et hæc ubi minima, XXIII grad. XXXIII min, ubi maxima, XXIII grad. XXXIII min. LII secund., cognita g). Ceteras, magis vel minus profuturas, referre magnitudo libelli prohibet. Et qui illustrium nomina auctorum noscere velit, ea apud Abulfaragium h) & Casirium i) reperiet. Unum, & quidem Muhammed ben Geber Elbatini nominasse sufficiet: qui non magis nomine Albategnii, quam Astronomiæ, veteris emendatione, & novæ amplificatione Europæis innotuit k). Temere itaque Bruckerus l) scripsit: "Arabes nihil Græcorum "observationibus adjecisse, in multis eos vehemen- "ter

g) Iben Junes in Tabulis Astronomicis. h) Hist. Dynast. p. 161. i) In Biblioth. Arab. Hisp. Escor. T. I, p. 428. k) Glob. Cælest. Vel. Mus Borg. p. 25, 26. l) Hist. Critico-Philosoph.

"ter depravasse." Et, si, quæ Arabum monimenta, tineis magis, quam litteratis nota, in Bibliothecis latent, in lucem prodirent, palam fieret, ea ex peregrino quidem, nec Græco solum, sed Persico etiam & Indiano ingenio profecta m), gentilitio autem ac suo amplificata & perfecta fuisse.

XXVII. DE MEDICINA ARABUM.

---

§. I.

Si verum est, humanum genus a rerum primordiis, vitio suæ infirmitatis, morbis varii generis obnoxium fuisse; tum haud scio, an non medicinæ origines ad prima usque tempora referri possint. Ut enim vita nihil est carius, ita illius cura nihil quoque fuerit antiquius. Cum, quicquid mali contigerit, id nos fortius, quam quod bene cesserit, afficiat, existimare non licebit, homines ullo quo-

---

m) Vide Casirii Biblioth. Arab. Hisp. Escor. Tom. I. p. 428.

unquam tempore in discrimine mortis cunctantius, quam in re salutis, egisse. Quæ natura mortalibus dedit, ut prosperis gaudeant, eadem etiam tribuit, ut adversis opem ferant. Sic commune est omnium animantium, ea sequi, quæ profutura, ea autem tollere, quæ nocitura videantur. Eadem vero fuit medicinæ, quæ cæterarum disciplinarum, ratio, ut pro sua magnitudine non cito nata sit, sed per longam sæculorum seriem multamque hominum experientiam ad usum & formam artis pervenerit. Homines, quo antiquius generati, eo simplicius corpora medicaminibus curarunt. Herbas, herbarum radices, fructus, & alias res, quas imperitis & ignavis in medio collocavit natura, sine provisu, sine apparatu, in morbi aut vulneris auxilium afferre, moris erat a). Rudis hæc medendi ratio: sed ea opus sæpe non fuit. Magna erat victus cultusque simplicitas. Modus cibi capiendi satietate, non voluptate, finiebatur: labor corpora firmavit foris: nec loci vel studii ratio aliquid sanitati domi detraxit. Hinc rari morbi, longa ado-

a) L'origine des Loix, des Arts et des Sciences Tom. I. p. 159, 178. T. II. p. 7.

adolescentia, & matura senectus. Adeo boni mores plus valent, quam boni medici. Ubi autem imperia libidines, commercia opes, & civiles necessitates ac liberalia studia otium invexerant, vetus disciplina & vitæ severitas magis magisque corrumpi, & feritas in cultum, paupertas in luxum, & corporis exercitationes in animi cogitationes & curas mutari cœperunt. Quibus olim victui herba, vestitui pellis, & cubile humus fuit, iis jam in consuetudinem venit, famem apparatu & blandimentis expellere, stricta & adversus tempestates tenui veste distingui, mollique strato somnum arcessere. Hinc caussæ & origines novis morbis & doloribus, quibus curandis cum non sufficeret rudis natura, ratio in auxilium vocata est, & rationem secuta est exercitatio, quæ artem postremo genuit. Hæc autem tunc temporis non tam in præceptis, quam in exemplis posita erat. Studium medicinæ nondum juvenilis ardor, nec lucrosa professio evaserat; sed ut quisque suo vel alieno malo aliquid salutare didicerat, ita laborantibus vicinis, affinibus, notis, ignotis, suam operam gratis obtulit, sine autem morbi & medicaminis discrimine, propria ignorans, communia solum intuens, & in

casi-

casibus dissimilibus eadem omnibus commendans. Sic apud Babylonios & Ægyptios, qui aliqua parte corporis laborabant, in patentem locum, prætereuntium adspectum, & expertorum consilium exponebantur b). Et apud Siamenses & Peruvianos, quam medicinam quibusdam morbis antiquitas invenit, posteritas etiam omnibus sine caussæ & generis æstimatione adhibuit c).

§. II.

Remediis varii generis per sæcula & regiones studio vel casu repertis, sed temere & sine judicio in auxilium mali allatis, nata tandem sunt ingenia haud vulgaria, quæ eorum vim & usum, nisi corporum rerumque naturalium ratio comperta fuerit, ancipitem esse intellexerunt, ideoque curationem morborum contemplationi caussarum adjunxerunt d). Quo autem tempore, loco, & auctore

b) Herod. L. 1. p. 197.

c) Hist. Gen. des Voyages T. 9. p. 264. Hist. des Incas T. 2. p. 35. 47.

d) *Ita ut morborum curatio et rerum naturæ contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit*, ait Celsus in præfat.

tore hoc primum factum ſit, in diverſa tendunt ſcriptores. Vetus eſt memoria, ut cæteras artes, ita medendi ſcientiam in Ægypto natam fuiſſe, rudem autem, quæ communis eſt naſcentium conditio, ſuperſtitioſam & magicam viguiſſe, flagitantibus infidam, & credentibus fallacem e). Recentior fama tradit, Græcos paullo ſubtilius, quam alias gentes hanc ſcientiam coluiſſe, & quidem exemplo Æſculapii; quem itaque ſua ætas cœlo & ſideribus intulit, & poſteritas per templa & flamines coluit, magis tamen credo tamquam ſalutaris artis parentem & conditorem, quam quod ſingulare aliquid & divinum in ea aſſecutus ſit: Noſtræque opinioni fidem faciunt filii, Podalirius & Machaon, qui quamquam in paternam laudem & artem ſucceſſerunt, tamen bello Trojano non niſi vulnerum ſanatione nobis cogniti ſunt: claro documento, has medicinæ partes, quæ manu & medicamentis continentur, antiquiſſimas eſſe. Peſtem vero & cætera morborum genera, quorum cauſſæ occultæ

erant

---

e) Hæc sunt Grylli apud Plutarchum verba: *τȣς μεν Αιγυπτιȣς παντας ιατρȣς ακȣομεν ειναι.*

erant ad manifestam cœlestium iram pertinere credebatur &, cum ejusmodi malum ingrueret, reverentius ducebatur, divinum numen precibus placare, quam remedia ex ingenio humano quærere f). Sunt nostris etiam temporibus gentes, quæ, ut prosperam valetudinem ad virtutem & præmium, ita adversam ad improbitatem & pœnam referant g). Tandem vero, animis per litteras paullatim excitatis, ad medendum ægro corpori opus esse sana mente, non fides, sed persuasio facta est. Medicina tum non amplius ad ministerium divinitatis, mendacia oraculi & ludibria generis humani referebatur, sed pars humanæ sapientiæ constituebatur. Et, corporibus per vitia magis magisque corrumpi cœptis, nec materia nec stimulus ad artem defuit. Quæ enim eloquentiæ, eadem quoque medicinæ origo fuisse videtur, ut malis moribus nata, in salutem periclitantium reperta fuerit. Ut illa ex libertate dicendi, quæ ingenia excitat & alit, ita hæc ex licentia vivendi, quæ corpora debilitat & consumit, vim suam & robur accepit. Inter frugales & sa-

f) C. Celsus in præfat. g) Voyage de François Pyrard c. 9. p. 62, 63, 132, 282.

nos æque superfluus est medicus, atque inter quietos & innocentes orator. Sic apud Græcos & Romanos nati sunt oratores, cum temeritate & arrogantia, partibus & dissensionibus in judiciis, in senatu, in foro, civitas conficeretur; & orti sunt medici, cum lascivia & intemperantia, illecebris & deliciis in recessu, in conviviis, in theatris privata & communis vita solveretur. Atque quam viam illi in commovendis audientium animis, eandem hi in tractandis ægrotantium corporibus ingressi sunt, naturæ ministri, non magistri: eamque, ut in dicendo, ita in medendo deserere aut superare velle, nimis ambitiosi vel parum prudentis esse videbatur. Hac autem mente, hac opera anteivit Hippocrates, & secuti sunt alii Græci, quo longiores in re medica a superstitione majorum & inertia, eo propiores memoriæ posteritatis & imitationi h). Magnus posthæc ex medicina usus, nec minus ejus pretium. Jam res non amplius fortunæ, sed naturæ, non augurii & levis conjecturæ, sed studii & expertæ virtutis æstimabatur: & quo pluribus profuit, eo majorem sui amorem excitavit. Nec illius

h) C. Celsus in præfat.

illius studiosis spes fortunæ defuit, quam corrupti mores, negligentia parentum, desidia adolescentiæ, intemperantia juventutis, & infirmitas senectutis fecerant. Quibus vero vitiis vernaculis ut latius subveniri posset, non satis erat, privatim medicinæ operam dare. Institutæ etiam sunt scholæ, & in his illæ, quæ Coeæ & Cnidæ habebantur, præcipientium fide & doctrina, & discentium frequentia atque æmulatione compositæ erant. Adeoque medicina pari reipublicæ pernicie & sua laude viguit floruitque i).

§. III.

Postquam vero Græcia & Italia viderant, quid medicinæ non minus quam cæteris disciplinis in libertate profuisset, quid autem in servitute nocuisset, bona hæc ars cum multis aliis in Arabiam cessit; quo loco satis securitatis in terræ recessu, satis spei in gentis ingenio, satisque subsidii in magistratus liberalitate propositum erat. Cum ferrum in auctores, flamma in libros, & barbaries in

---

i) Le Clerc Hist. de la Medicine P. I. p. 79, 80. P. A. Marherr prælect. in Boerhave institut. med. p. 40.

in ſtatuas longe lateque per occidentis regna, provincias & urbes ſæviret, orientis in ſilvis & campis, tentoriis & tectis ſtudia & ingenia, quo plu- ris fiebant, eo facilius naſcebantur. Arabibus ſemper placuit poëſis, quam rudis litterarum antiquitas genuit, & eloquentia, quam longa gentis libertas aluit & commendavit k). Nec diſplicuere aliæ diſciplinæ, quæ Europæo orbe profugæ liberalibus hoſpitiis, quibus non alii effuſius indulgent, exceptæ ſunt. Bona gentis erat indoles, ſincera natura, integræ vires, & voluptatibus inexhauſtæ; magna præterea vis ingenii, multum judicii, & plurimum memoriæ; ita ut nulla eſſet ſcientia, ad quam non ſatis vel voluntatis virtus, vel facultatis natura tribuerit. Sed ad indolem tam præclaram acceſſit inſtitutio, cum medici, victum Valerianum in urbem usque Gaudiſaporam ſecuti, ſponte currentibus ſtimulum adderent, & Orientalibus Hippocraticam medicinam offerrent. Noſtrique judicii documento eſt medica ſchola cum ſuo Noſocomio, qua illa urbs deinceps innotuit, & quam non Perſæ ſolum, ſed Arabes etiam medicinæ magiſtram ha-

k) Dissert. de fatis linguæ Arabicæ.

habuerunt 1). Ut autem flamma injectu farmentorum, ita literæ & artes apud Arabes provisu Chalifarum alebantur & ardendo clarescebant. Hi enim principes, cum dominationem libertate temperarent, non ingenia, ademto per inquisitiones loquendi audiendique commercio, fregerunt, sed ea, pari cogitandi dicendique potestate concessa, erexerunt. Sicut ad imperii amplitudinem nihil majus videbatur, quam vincere gentes, expugnare urbes, & imponere tributa & leges, ita ad ejus felicitatem nihil melius credebatur, quam scrutari bibliothecas, parare libros, & adsciscere sapientes. Et quidem ut ingenia docentium concursu advenarum, & studia discentium cœtu condiscipulorum ad honestarum artium amorem eo acrius accenderentur, per Asiam, Africam & Europam conditæ sunt litterarum sedes, exstructa auditoria, posita rostra, & parata subsellia, in quibus nec laus industriis, nec

1) Arabes olim non solum eloquentiæ et genealogiis, sed etiam medicinæ operam dedisse, ut putemus, facit Elharithius Ibn Chaldâ, qui ætatem Muhammedis antecedit, et honoris caussa, *Arabum medicus* (طبيب العرب) appellatur.

nec exempla segnibus, nec stipendia pauperibus defuerunt m). Quamquam vero omnes disciplinæ in amore & pretio habebantur, tamen plus animi & studii ad eas referre, quæ abstrusæ sunt & implicatæ, utilius & illustrius putabatur. Sic satis erat, tantum Philosophiæ didicisse, quantum Aristoteles docuerat. In Mathesi vero periculum sui ingenii facere & aliena inventa propriis augere vel illustrare, hic præcipuus labor, hæc vera gloria erat. Et medicina, quo magis abdita & incerta res est, eo plus amoris & operæ excitavit. Hippocrates hoc scientiæ genus inchoasse, non perfecisse judicabatur, & iis esse contentum, quæ Galenus addidit, non convenire quibus tam gloria quam salus carissima erat, videbatur. Nova itaque & periculosa in quibusdam tentare, quam manca & vetera in omnibus sequi maluerunt Arabes, & nonnullos propter audaciam perire, quam plurimos propter timorem periclitari, utilius judicarunt.

§. IV.

Magnis autem conatibus, si consilium affuerit, nec fortuna defuit. Sic quoniam Græcorum exem-

m) Dissert. de Chalifis litterarum studiosis.

exemplum non ſemper ſibi in re medica intuendum, ſed aliquando ultra audendum putarunt Arabes, factum eſt, ut non paria modo effecerint, ſed clariora etiam invenerint. Variolæ, antiquiſſimum malum, per multa ſæcula caſu eventuque cognitæ, ratione autem cauſſisque ignotæ fuerunt: vitio inſcitiæ vel incuriæ humanæ, quo mala cito ingruunt, remedia autem tarde occurrunt. Galenus, ſummus Græcorum medicus, hunc morbum memorat, non autem deſcribit n). Mireris hominem, qui cætera morborum genera, leviora & rariora, particulatim tractavit, variolas, pleriſque fatales multisque capitales, nominatim tranſiiſſe. Qui tantæ rei conſilium primus ſuſcepit, fuit Arabs,

n) Galenus: εςι δε και τοις ιονθοις το φαρμακων χρησιμον. Edit. Aldi, Tom. 2 fol. 6. 1. 5. Idem: το δε πȣ και σηπεται τω χρονω ταυτι τα συνιςωτα περιπτωματα, και ουτω δριμυτερα τε και θερμοτερα γινομενα φλεγμονας, και ερυσιπελατα και ερπητας και ανθρακας και πυρετȣς, και μυραν αλλων οχλον αποτικτει νοσηματων. Edit. Ald. Tom. 1. lib. IX. fol. 52. lin. 35.

rabs, nomine Rhazes, & utrimque memorabilis, philosophandi laude & medendi arte. Hic enim vir, ut communi generis humani pesti, adspectu fœdæ, contactu periculosæ, & exitu ambiguæ, opem ferret, animum ad scribendum de Variolis & Morbillis librum vertit o). In re vero tam obscura & difficili adire monumenta antiquitatis, & consulere ingenia suæ ætatis, spes & cura erat: nullum autem laboris pretium; cum illa nihil præter quæsitæ rei vocabulum haberent p). Magno itaque in posterum auctori hoc solum relictum erat, ut in novi argumenti tractatu suo tantum ingenio uteretur, secum deliberaret, & secum statueret. Quicquid itaque in isto opere, quod dignum communi adspectu, Latina interpretatione, & doctorum judicis visum est, eminet & excellit, totum hoc est scriptori proprium, & perpetuum manebit. Multi etiam alii cum ante tum post hujus tempora floruerunt medici Arabum, si minus

---

o) Arabice titulus est كتاب في الجدري والحصبة للرازي h. e. *Liber Rhazis de Variolis et Morbillis.*

p) Præf. Rhazis de Variolis etc.

nus novarum rerum inventione pares, tamen inventarum cognitione non inferiores: quorum fama ea fuit, ut, medicinæ operam dare, fæculum vocaretur, & infignem medicum vidiffe, longi itineris pretium haberetur. Si autem medicina Arabum neque ingenio neque doctrina cum ea, quæ noftri eft temporis, comparanda videtur, id tribuatur partim naturæ ipfius difciplinæ, quæ ufu & experimentis, optimo difcendi modo, altius & formofius fe diffudit, partim religioni hujus gentis, quæ fcientiam Anatomiæ, præcipuam medicinæ magiftram, profanam & inceftam exiftimavit. Utcumque vero erit de his judicium, certum eft, ftudio & ingenio Arabum magnum cumulum ad materiam medicam acceffiffe. Quod in cognitione mali iis defuit, id ut bonitate remedii compenfaretur, tentatum eft. Ex quo autem loco alimenta fanis corporibus, ex eodem remedia ægris potiffimum petenda effe duxerunt. Metalla in pulverem vel poculum folvere, ut conatu arduum, ita herbas in vim falutarem fubigere, effectu promtum eft vifum: quod vero ftudium non minus gentilitii ingenii mobilitati, cui per filvas & campos errare femper placuit, gratum, quam cœli

 foli-

ſolique temperiei, quæ plantas optimi generis & uſus ſua ſponte generat, opportunum fuit. Hic amor, hæc occaſio effecit, ut Arabes non ſolum plurima herbarum genera circumſpectare voluerint, ſed etiam ſaluberrima invenire potuerint; & hac cupiditate, hac ſorte evenit, ut multa remedia in diem & uſum prodierint, quæ nec ingenioſa & Græca vetuſtas cognovit, nec ambitioſa & noſtra ætas repudiavit. Manna, Senna, Rheum, Caſſia fiſtula, Tamarindi nota ſunt nomina, & expertæ virtutis medicamenta, quo leniora & ſimpliciora, eo tutiora & humaniora: alia ut taceam, quorum vim & virtutem medici magnopere laudant & commendant.

§. V.

Ut autem Romani, ita Arabes paullatim principatu deſides, ſervitio viles, ſtudiisque rudes evaſerunt. Cum, aucto Chalifarum luxu & imperio, malæ artes omnia agerent & ferrent, quæ bonæ in faſtidio haberi cœptæ ſunt: Nec locus & honos medicinæ ſuperfuit: quod mirum, animis propter dominationem, & corporibus per ſervitutem ægris. Et ſi qua hujus diſciplinæ veſtigia

rema-

remanebant, ea penitus deleta sunt, cum arma Arabum in Turcas cessissent. Est arcanum imperatoris Ottomannici, subditos illius oportere plura nescire quam scire. Parendo enim magis, quam jussa sciscitando rem civilem & militarem contineri arbitratur. Hinc paucis judicium aut litterarum amor. Quo autem minus scientiæ, eo plus superstitionis. Conditor Islamismi callide dixit, & Muslemii temere credunt, quicquid mali acciderit, id non ratione & ope humana depelli, sed fatali quadam necessitate & inexorabili numine fieri: ex quo pugnandi amor & moriendi contemtus. Qui in lætis, idem in adversis est vigor vultus, idem habitus oris, eadem lineamenta. Verbera & contumelias, vincula & raptus, ferrum & cædem æquo & parato animo subire, sacramentum est. Atque malis naturæ parem animum & virtutem objicere, nec minor est pietas. Qui, peste castra, urbes & pagos afficiente, fores clauserit, aut secreta ruris petierit, aut pericula contactus fugerit, Deum hominesque incusare judicatur. Et qui, febre corpus tenente, medicinam quæsierit, non tam vitam tueri, quam mortem differre existimatur. Hæc autem mens, qua religiose mori

quam

quam medice convalescere melius esse putatur, & illa consuetudo, qua fides eorum, qui convaluerint, parva mercede probatur, hæ res præprimis in caussa fuerunt, cur nulla vel obscura medicæ artis exempla recentior ætas prodiderit. Accedit Muhammedana vivendi ratio, quæ quo frugalius peragitur, eo minus morborum parit, ita ut in ea parum spei & subsidii medicinæ studioso relictum sit. Testes sunt illi qui, quamvis plures studii medici partes hauserint, tamen multiplici sua arte vix quantum ad vitæ necessitates sibi satis fuerit, anquirere potuerunt. Ex quo fit, ut pauci Muslemii studio medicinæ se tradant, & qui hoc fecerint, in elementis consistant q). Qui ex Avicenna aliisque Arabum scriptoribus quædam medicinæ vocabula didicerit, medicum se profitetur, quasi morbi eloquentia, non medicina, curarentur r). Hujus tamen virtute & auspicio, fide & opera salus & vita hominum continetur. Dicere autem qua via & ratione morbis in commune mederi jam soleant orientales, risum moveret; quem in mi-

q) Description de l'Arabie par Niebuhr, p. 115.

r) Idem, p. 114.

miseranda eorum fortuna tenere, pium nobis & honestum erit. Plura itaque scribere non lubet, & si ea, quæ scripsimus, legisse non injucundum fuerit, nec nos nostri hujus consilii & operis unquam pœnitebit.

XXVIII. DE LEPRA ARABUM.

§. I.

Cum versans Constantinopoli curatius colligerem, in re vitaque Orientalium, quid validum, quid ægrum sit, nonnulla etiam de lepra Arabum a Maronita & Patriarchæ Antiocheni Vicario accepi. Multa enim non fuere. Quamquam enim hic antistes, cui nomen Germanus Conti fuit, ipse leprosos vidit; tamen de habitu eorum statuque percontantis curiositati minus cumulate satisfecit. Neque invidiæ id tribuendum est. Voluisse eum, non vero potuisse, argumento est, quod, admota sæpius prece, ut pondus tam magnæ quæstionis non dissimu-

ſimulanter exciperet, animum quidem, non vero facultatem ad narrationem attulit. Altius enim cum rem repeteret, niſus ad vomitum oriebatur. Tam horrenda erat multis ante annis viſæ calamitatis ſola recordatio. Sic inchoata tantum erunt, quæ ex ore alieno jam referam, chartis tamen non indigna judicavi: iis enim, quæ alii de lepræ hoc genere præcepere, hæc aut conſentiunt aut non repugnant. Nec aliquid perfectius, & quod noſcendæ tam atroci valetudini ſufficiat, a me exſpectatur. Hæc ars & gloria eſt medicorum, qui rem explicabunt. Verba Arabice loquentis interpretari, eaque tanquam hiſtoriam, ſine veri aut falſi diſcrimine, componere mihi tantum relictum eſt.

§. II.

Sua cuique terræ ut commoda ita incommoda ſunt: & orbi orientis quam ſecundum in multis, tam adverſum in aliis fuiſſe Numen videtur. Mite quidem cœlum & uberrimum ſolum eſt: tamen, ne modus felicitati deeſſet, mala bonis mixta ſunt. Et hæc quidem tot tantaque ſunt, ut ſatis compertum ſit, non minori Deo curæ ſeptentrionem fuiſſe. Neque enim Sueciæ & Norvegiæ plus cladis ex

fri-

frigore, quam Æthiopiæ & Arabiæ ex calore imminet. Fugamque & vaſtitatem gravitas peſtilentiæ in urbibus & pagis, vehementia turbinum in campis & deſertis, & vis locuſtarum in agris & hortis facit. Sed haud nihil ambigam, feliciusne pereant, quos mala contagio, aut igneus quaſi ſpiritus a), aut dira fames corripuerit, quam ii vivant, quos lepra infecerit. Terribile eſt hoc mali genus, nec illius ſolatium in brevitate eſt. Et antiquiſſimum eſt (Moſes enim multa de eo præcepit b), neque his temporibus ignotum, quamvis incomperto, an æque diffuſum. Infrequens non eſſe, probant duo Noſocomia, leproſis indigenis, advenis, tam Chriſtianis quam Muhammedanis, Damaſci condita: quorum unum noſter Maronita, cum in hac urbe viginti & octo ante annis juſſa ſui Præſulis exſequeretur, adiit, pluribusque leproſis, illuc delatis, quorum unus Aleppi, duo in Kesrevan, parte Libani, totidemque in Ægypto nati erant, oculos aureſque intendit c). Et fides verbo ex

a) Dissert. de Semum. b) Lev. XIII, XIV.
c) Retulit; رايت في مدينة الشام خمسة رجال مبتلين بالبرص اثنين من

ex aliorum teſtimoniis. Tradit Rich. Mead, & quidem ex auctoritate viatorum, non ſolum lepram in Syria & Ægypto, calidis regionibus, & huic morbo præcipue obnoxiis, minime raram eſſe, ſed etiam totidem Noſocomia, quot Germanus Conti dixit, Damaſci leproſis parata eſſe d). Congruunt Thevenot & Pocock, quorum ille in memorata urbe, hic in proximis ei pagis leproſos adſpexit e). Et auctor Operis Geographici, Turcice conſcripti, & Gihan Numa vocati, duplicis & Damaſceni illius inſtituti originem, unius ad Imperatorem Selah Eddin, alterius ad Martyrem Nur Eddin refert.

§ III.

كسروان واثنين من مصر وواحد
من حلب وتكلمت معهم اما قليلين
لهم جراءة ان يروحوا يشاهدوهم

Vidi Damasci quinque homines lepra affectos, duos in Kesrevam, totidem in Ægypto natos, item unum Aleppi oriundum, et cum iis locutus sum. Tamen paucis adeundi visendique audacia est.

d) Commentar. de Morbis insignioribus, qui in Bibliis memorantur Cap. II. p. 12.

e) Orientalische Reisen P. II. lib. 1, cap. 9.

§ III.

Ratio autem, cur Damaſcus, pulcerrima urbs Syriæ, tam fœde ægris potiſſimum electa ſit ſedes, exponere lubet. Circumdant urbem frugiferi campi & horti, qui fragrantiſſimo odore, & interfluunt nati factique amnes, qui ſaluberrimo vapore aërem loci temperant & digerunt. Liber hinc ſpiritus de cœlo ducitur, deficiens corpus animusque profluentis aquæ hauſtu excitatur, & Damaſcum tanquam ad ſanitatem ægri prorepunt. Nec minor Damaſceni quam Edeſſeni humoris fama. Namque in illius fluitantibus alveis, quomodo in hujus famoſo fonte lavatum abire, leproſis in more eſſe dicitur f). Itaque, qui iſta cutis fœditate in-

f) Mead. l. c. *Et Edessa fontem habet, in quo lavantur quotidie, ut antiquitus in more fuit, magno numero hac cutis fœditate affecti.* Et Gihan Numa: *Habet septem fontes, quorum unus scabiei cujusvis generis sanandæ prodest.* Germ. Conti:
الما والهوا في مدينة الشام طيب
بالغاية ونفاع للجرب الموجود
في بلاد الشرق اكثر من بلاد الغرب
Aquæ et aeris summa est Damasci salubritas, curan-

fecti sunt, illuc aut sponte se proripiunt, aut ab aliis deducuntur. Et deducendi hæc invaluit ratio & consuetudo. Comperto, aliquem lepra laborare, quantum pecuniæ ad Damascenum illius iter opus sit, si consanguineis tanti non fuerit, ultro & viritim ab aliis & vicinis confertur. Asinum emere, sellam parare, leprosum imponere, & comitem mercede conducere, proxima cura est. Appropinquare vero cum periculosum sit, qui hunc sequitur, ille justo intervallo incedens, obviam venientibus clamitat: l e p r o s u s, l e p r o s u s g).

Sic

---

dæque scabiei, quæ in orientis quam in occidentis orbe magis vulgaris est, profutura.

g) Germ. Conti: لما يتوجد في بلد ابرص حالا يرسلوه الي مدينة الشام وفيها ادوار الشفا لموجوعين في هذا الوجع واهلها عادة خصوصية وانا ما كان لاقارب الابرص مال يكفي لهذا السفر يقدموا اهل البلد كل ما يلزمه ويحضروا له كرسي وحمار ويمشي معه رجل تحت الكيرة من بعيد ويخبر الناس لا احد يقترب اليه ويصرخ ابرص ابرص
Ubi leprosus in quadam regione repertus fuerit, e

Sic iter tanquam in ſolitudine continuatur, dilapſis omnibus aut occurſum declinantibus. Nec hoſpitia in via patent, ſed ſub dio pernoctandum eſt h); fœdum ſpectaculum apud gentem, quæ notos, ignotos pari humanitate excipit, nec ſolum adeuntibus, quod neceſſitati ſubveniat, ſed etiam abeuntibus, quod honori ſit, offert. Atqui & ubi Damaſcum perventum eſt, nec lætior in urbem introitus. Re enim ad Senatum delata, juſſoque po-

vestigio Damascum mittitur: quæ urbs Nosocomia iis, qui hoc morbo affecti sunt, structa, nec sine reditu, habet. Si vero quantum pecuniæ ad iter opus sit propinquis leprosi defuerit, necessitatibus prospiciunt, quibus eadem patria est. Sella et asinus in usum leprosi paratur, et mercede conducitur homo, qui ex longinquo incedens, si quis propius accesserit, ut caveat præmonet, clamando, leprosus, leprosus.

h) Idem: اي مكان مدينة او ضيعة يصلوا اليها ما احد يسكنهم بل يسكر الباب وبدهم يستغيبوا تحت الصحو في الليل والنهار

Quocumque, sive urbs sive vicus sit, accesserint, hospitio a nemine excepti, limine arcentur, et diu noctuque sub dio agere coguntur.

populo qua progrediendum fit abire, defertis & vacuis inhorrefcit animus, miferoque errore fessum leprofi corpus in pudendo tandem receptaculo requiefcit, ubi folatium fit, habere focios. Jumentum denique, quo vectus fuit, foras abigitur, & re omni, qua illud ftratum erat, incenfa, ipfum procul ab urbe cæditur: utiliter in publicum, ne unius aut alterius contactu peftifera lues fe latius diffundat i).

§. IV.

Quod vero de ore vultuque leprofi tradere adgredior, ut vifu ita memoratu deforme erit. Ad-

i) Idem: بعد ما وصلوا الي مدينة الشام قبل ان يدخلوها يامر دار الشريعة ان يميل الناس عن زقاق المعبر وبعده يدخل الابرص الي دار الشفا ويسكن مع ارفاقه واخيرا يجيبو الحمار خارج البلدة وبعيدا عنها يقتلوه ويحرقوا حوايجه *Simulac Damascum pervenerint, antequam urbem ingrediantur, ex Senatus consulto plateis, quibus transeundum est, populus cedit: quo facto leprosus in Nosocomium, ipsi et pariter ægrotantibus receptaculum, contendit. Procul deinceps ab ur-*

Adſpectus illius plusne terroris an miſericordiæ ſpeciem humanam in hominis figura requirentibus afferat, haud facile dixerim. Fingenti formantique exemplum fœditatis nunquam huic ſimile animo concipere ſuccurret. A capite ad calcem nihil integri & honeſti obvium: ſed quæ frontis gloria, quæ oris dignitas, quæ ceterorum membrorum concinnitas & pulcritudo eſt, hæc omnia deturpata & monſtroſa ſunt. Defluit capillus, luctus quaſi calvitio: oculi in orbibus ſuis alte reconditi & truces hærent: intumeſcunt nares, labiaque dehiſcunt: & univerſa facies nigro albentibus aut flaveſcentibus maculis, in lunæ ſimilitudinem, nitet k). Firmitas præterea corporis continua & puru-

---

be asinus cæditur, idque omne, quo stratus fuit, igne deletur.

k) Idem: الابرص هو اجلح الراس وعظيم الاذنان وعميق العيون ووسيع الاخشام وفخيم الشفوات وابرص اللون مشربا بحمرة وبسمرة منجسن كمثل القمر واجرش الجلد *Leprosa, capilli defluvium passo, prominent aures, oculi autem in profundo fixi sunt, diductis naribus labiisque inflatis. Et scabrosa illius*

purulenti instar ulceris sanie paullatim magis magisque perit, habitumque senis incurvi proceritas induit. Supremus miseriæ cumulus accedit angustia pectoris, quæ difficilem anhelitum vocemque quasi moribundi aut liquorem in gutture reciprocantis raucam efficit l). Quamquam vero quotidie languet & torpet leprosus; tamen (mirum dictu) cibi potionisque vix naturali & ad canis usque voracitatem desiderio conflictatur, quo vitam alit, quam exstingui cupit. Magna etiam ad libidinem inclinatio inest: & proles ut vultum ita indolem parentum refert m). Nemo rerum humanarum adeo

---

cutis rubro — nigricante colore tincta et varie striata in lunæ similitudinem splendet.

l) Idem: ايضا هو اضيق النسمة واصحل الصوت يغرغر فمن جسده ينز كمثل القياح وينتن رايحته كريهة جدا ولم يزل ينضح حتى يتحتري لحمه كله وما يبقي الا العظام *Etiam corpore illius tanquam purulento ulcere manat sanies, quæ maxime foetens et stomachum movens, ante stillatim defluere non cessat, quam, omni carne attrita, nihil præter ossa supersit.*

m) Idem: شي عجيب ان ياكل ويشرب

adeo immemor eſt, quem ille conſpectus non commoveret. Ea eſt fœditas ſpectaculi, ut adeundi viſendique cupido paucos invadat.

§. V.

Ceterum vita leproſorum miſera, in quantum facies eorum horrenda eſt. Quid tam commune eſt hominibus, quam libertas innocentibus, cura ægris, & ſepultura mortuis? Leproſi autem, ſi vel integri vitæ ſcelerisque puri eſſent, tamen more ferarum vinculis tenentur. Nec ſunt, qui longæ valetudini aſſideant. Periculum enim ex miſericordia. Et ubi anima efflata fuit, oſſa (carnem enim vis putredinis conſumſit) ſine ullo funeris ſollemni defodiuntur. Sic ſocietate hominum amplexuque parentum ad diem usque fatalem ſe-

clu-

طبيب وقط ما يسبع مثل الكلب
وينحني ايضا نحو الجحبة بالغاية وانا
شاهد امراة ينحرك نحوها بزايد الحب

Admirationem habet quæ inest cibi potionisque appetentia, eaque canina et vix satiabilis. Projectus etiam in libidinem leprosus est, ita ut, visa muliere, vehementissimo ejus amore accendatur.

clusis nihil aliud relictum est, quam opem sibi invicem ferre. Alter alterum deficientem fovet n). Si autem, quod grave est corpori, promtò officio levatur; qui animi est ex sua calamitate mœror conspectu alienæ & æque gravis augetur. Exinde gemitus semper, lamenta & questus. Silere enim misero difficile est. Et mors quo segnior, eo majus sui desiderium facit iis, qui vivo cadaveri similes animam trahunt. Vitæ autem spatium, pro gradu ætatis & virium, differt: & cum breve fuerit, propter magnitudinem mali ævum putatur o).

§. VI.

---

n) Idem: يتخلوهم الغربا والاحبا وما احد يدخل اليهم بل يتخدموا بعضهم البعض واذا اراد انسان يجيب لهم احسانة يضعها على الباب ولما يموتوا يطلعوهم الباقين *Deserti a propinquis neque aditi ab amicis sibi invicem præsto sunt. Et quod muneri quis dederit, ad fores id collocat. Mortui ab iis, qui supersunt, sepeliuntur.*

o) Idem: الارض دايما هو معتزين ويتنهض اه ويشتهي الموت لان

§. VI.

Supereſt, ùt, quid Orientales de lepræ origine ſentiant, paucis repetam. Mali tam nefandi cauſſa primum Deo propter peccata irato, & deinde malæ libidini aut ſordidæ vitæ aut utrique in commune tribuitur. Nam culpam ſequitur pœna, ſi minus principi & legi, tamen Deo & naturæ ſolvenda. Qui autem a muliere, ſive brevi poſt puerperium, ſive cum in menſtruis eſt, non abſtinuerit, graviſſimo huic morbo ſe obnoxium reddet. Et in argumentum ſumitur labes venerea, quæ lepræ ut effectu ſimilis videtur, ita nec ortu diſſimilis cenſetur. Probabilius tamen affertur, pinguia & ſubrancida cibi genera ut ſcabiei ceteras ſpecies, ita hanc leproſam parere & nutrire. Difficilia enim hæc concoctu: & ingens exin-

---

ما له رجاة ان يرجع في الصحة
فيعيش حسب تركيب جسمه اكثر
او اقل علي قدر العمر والقوة

z *Leprosus tristi semper animo, et querula voce ab, mortem in voto habet. Convalescendi enim nulla spes. Vita pro modo aetatis et roboris longior aut brevior est.*

exinde corruptioni ſanguinis materia. Itaque pauperes, quibus ſalubria, inſalubria diſcernere non licet, morbo tam exſecrabili præcipue expoſiti ſunt p). Hinc præcepti, quo uſum carnis ſuillæ Iſraëlitis interdixit Moſes, rationem facile quis reddiderit.

Tantum eſt, quod de lepra Arabum ex fide religioſi teſtis accepi, Medicorum ſi minus ſcientiæ, tamen curioſitati quodam modo id profuturum.

---

p) Idem: سبب هذا الوجع اولا غضب
الله والعذاب الطبيعي لكل ذنب ثانيا
اجتماع الرجل مع الامراة من بعد ولادتها
او في دمها وثالثا اكل اشيا ثاقلة علي
المعدة وفاسدة الدم مثل الفقرا يعملوا
الذين هم خصوصا مبتلين في البرص
Causa hujus morbi est primum ira Numinis, et poena naturalis omniquè delicto debita: tum stuprum, mulieri paullo post puerperium aut in menstruis illatum: et denique concoctui difficilis sanguinemque corrumpentis cibi usus, in morem pauperum, qui lepræ præcipue obnoxii sunt.

XXIX. FIDES VATICINII DANIELIS CAP. XI. IMPLETA.

Sentire, quod adeſt, cujusque animantis, quemadmodum, quod præteriit, meminiſſe, ratione utentis eſt. Providere autem quid futurum ſit, mentis id divinæ. Arcanum hoc celatum: quod ignorare, quam ſciſcitari, reverentius homini fuerit. Præſagiet vel mediocris Mathematicus, quo temporis momento ſidera occidant, emergant. Nam conſtans cœli ordo eſt: &, ubi eædem cauſæ, nec diverſæ res futuræ. Animus vero humanus ſui non ſemper ſimilis eſt: &, quamquam immortalis, admodum ille mutabilis. Multiplices ſunt, iique ſæpe contrarii, motus ipſius & impetus. Nam liber eſt; qua vero a libertate licentiam facile uſurpat. Diverſaque ſui moris tempora: neque enim ea, ut ſuæ ſpontis, legi neceſſitatis ſunt obnoxia. Cujus itaque ne proxima quidem conſilia in anteceſſum ad calculos vocare ſummo etiam philoſopho

pho licebit. Tamen & ipſa ejus opera multis ante ſeculis Daniel Vates cogitatione præcepit. Neque ſatis fuit, ſuprema Perſici imperii, Græcique primordia ſummatim attingere, Græci etiam media ſingulatim expoſuit: & quidem, quæ Syriaci ac Ægyptii fata forent, tam evidenter, ut narraſſe, non divinaſſe, videatur. Nomina, non facta, deſunt. Quibus vero additis, Sacri Profanique gerendorum geſtorumque annales uno tenore conſentient. Et comparate melius inde, quam hinc, regni utriusque res memorabiles, principia earum & nexus, intelligentiæ pateſcent. Tam prudens venturi hic Vates fuit. Nec mirum. Nam Deus affuit. Humanæ autem temeritati nihil exceptum: & vaticinii tam illuſtris ſortem ut Porphyrius eluderet, illius originem Antiochi Epiphanis ætati poſtpoſuit. Sed fingenti nulla auctoritas. Nam Alexandro M., Hieroſolymam ingreſſo, Hebraice ſcriptum id oraculum Græce monſtratum a blandientibus fuit a). Neque alii certior ex eventu fides:

a) Jos. Antiq: Jud L. XI. c. 8: *Oſtenſo ei (Alexandro M.) Danielis vaticinio, fore, ut Græcorum quidam Perſarum imperium aboleret, ille ſe eum eſſe, qui ſignificaretur, exiſtimavit.*

fides: quomodo etiam ipſius fiducia ſuſpenſæ menti, recte id æſtimanti, accedet. Atque amabitur ultro veritas, quæ neceſſario agnoſcetur.

DAN. XI.

Jam tibi certo eventura indicabo. Hoc 2
igitur ſcito. In Perſide (Cyrum) tres Reges (Cambyſes, Pſevdo Smedes, & Darius Hyſtaſpes) ſequentur b). Quartus vero (Xerxes) po-

---

b) Historiam Sacram et Profanam inter se conciliabis, si hunc locum ita explicaveris: In Perside, i. e. jussu Cæsarum Persicorum, Babyloniæ, provinciæ Persicæ, post Cyrum tres reges, Cambyses, Psevdo-Smerdes et Darius Hystaspes imperabunt. Nam precarium Babyl. imperium erat. Neque quod Cyri fuit, liberæ id potestatis. Habet Memoria Regum Pers., cui تاريخ فنائي nomen: *Babyloniæ imperium Nebucadnezari ademtum, et Cyro oblatum est. Quod vero beneficium suæ non magis virtuti quam stirpi stetit. Mater et Behemenis* (hic Darius Medus Dan. VI) *et Cyri loco Judæo ortu erat. Et utraque, una apud Persicis Imperatorem, altera apud Babyloniæ Regem ad liberandam servitute suam*

3 potentissimus omnium futurus. Qui etiam, auctis viribus, bellum Græcis inferet. Verum nec his Rex potens (Alexander M.) defuturus c). Qui & amplissimi regni potitus, nihil
4 non ex voluntate faciet d). Tamen, & in fortunæ suæ fastigio e), quæ coalescet imperii sui compages, ea in tot partes, quot sunt cœli

---

gentem auctoritate plurimum valuit. Sed, mistis Cæsarum Pers. et Regum Babyl. nominibus, eorum quoque historia magnopere turbata fuit.

c) Alexander M., qui sub specie *Pardi alati* c. 7: 6, et *Hædi caprini* c. 8: 8 res maximas celeriter ageret, orbem ab Illyrico et Adriatico mari usque ad Gangem fl. victoriis magis quam proeliis per XIV annos percurrendo, *Arietem bicornem*, regni Medo-Persici imaginem, prostravit c. 8: 8.

d) Curt. L. 10: *Fortunam solus omnium mortalium in potestate habuit. Hujus siquidem beneficio agere videbatur gentibus, quicquid placebat.*

e) C. 8: 8: *Cornu illud magnum in suo robore frangetur.* Quo mors Alexandri in ætatis flore indicatur.

ti regiones f), convellenda dividetur; neque
inter ejus poſteros, & pari, quo ipſe uſus
fuit, jure. Nam ademtum his imperium in
alios transibit g). Evaleſcet ex ejus ducibus 5
Rex Auſtralis (Ptolomæus Lagi). Cui autem
ex iisdem etiam alius (Selevcus Nicator), item
regnaturus, prævaleſcet h). Sed decurſu tem- 6
poris utrimque ſocietas inibitur. Et, ut hinc,
inde

---

f) C. 8: 8: *Loco hujus cornu* (Alexandri) *succrescent quatuor alia cornua conspicua versus quatuor coeli plagas*: quæ c. 8: 8: *ortorum inde quatuor regnorum signa.*

g) Alexander duos habuit filios, Alexandrum ex Roxane, et Herculem ex Barne. Quibus vero occisis, sui duces, Macedoniam Cassander, Ægyptum Ptolomæus Lagi, Syriam Antiochus Nicator, et Asiam Antigonus occupavit.

h) Ptolomæus Lagi, subactis Cyrenis, Palæstina, Arabia, Phoenice, Coele-Syria, et Cypro, magnam potentiam, Selevcus vero Nicator Syriæ, Babyloniæ, totiusque pæne orientis usque ad Indum fl., item magnæ partis Asiæ Minoris, Thraciæ et Macedoniæ potitus, majorem obtinuit.

inde ex æquo agatur, Regi Septentrionali (Antiocho Theo) ſuam filiam (Berenicen) Rex Auſtralis (Ptolomæus Philadelphus) in matrimonium collocabit. Quæ tamen res transacta haud rata manebit. Neque enim ſua proles ſupererit. Etiam ipſa (Berenice) cum ſuo comitatu, filio tutorioque agmine in necem ſuo

7 tempore dabitur i). Surget vero ex origine nobiliſſimæ ſuæ ſtirpis (Ptolomæus Evergetes,

8 Berenices frater k), qui Regis Septentrionalis (Se-

i) Ptolomæi et Selêvcidæ sui invicem invidi. Nam ii confines. Et materia inde odii bellandique principium. Conciliandæ vero amicitiæ in foedere hoc nuptiali spes ponebatur. Quæ tamen fefellit. Nam Berenice una cum suo filio suisque amicis a Laudice, Antiochi uxore priori, interfecta est. Polyb. L. 2. p. 155. Appian. in Syriac. p. 130, 211. Plin. L. 7. c. 12. Val. Max. L. 9. c. 14. Just. L. 27. c. 1.

k) Ultor hic criminis: qui non modo Laudicen occidit, sed etiam ejus filium, Selevcum Callinicum, bello persecutus est. Polyb. L. 5. p. 402. Just. L. 27. c. 1. Jos. contra Apion. L. 2.

(Seleuci Callinici) castella oppugnabit: & qui,
his expugnatis, detracta eis Deorum simulacra
cum supellectili rara & cara, aurea & argen-
tea, in Ægyptum deferet l). Regeque hoc
Septentrionali superior ille (Australis) aliquam-
diu futurus. Procedet quidem (Selevcus Calli- 9
nicus) adversus imperium Regis Australis (Pto-
lomæi Evergetis); mox autem in id, quod
suum, reversurus m). Sed bellum suus filius 10

---

l) Jure victoriæ Coele Syriam et Ciliciam hic ingressus, orto autem tumultu in regnum revocatus est: dives spoliis, auro, argento, vasis pretiosis, item simulacris Deorum avitis, quæ Cambyses, Ægypti potitus, abstulerat. Polyb. Just. Jos. l. c.

m) Selevcus Callinicus, post naufragium, quod Deo ipso Berenicis cædem vindicante fecerat, auctis viribus, bellum Ptolomæo Evergetæ indixit; signis autem collatis, victus et trepidus Antiochiam confugit. Atque certans ille de regno Syriæ cum fratre Antiocho Hierace, amisso regno et equo, obiit. Strab. L. 16. p. 754. Polyæn. 4. c. 27. Just. L. 27. c. 2, 3.

(Antiochus M.) acriter perſequetur n). Qui,
excercitu ingenti conſcripto, atque more exun-
dantis aquæ, munimentis (Ægypti) incumbet.
11 Indignabundus vero, nec minori agmine coac-
to, Rex Auſtralis (Ptolomæus Philopator) in
aciem deſcendet, manuque cum Rege Septen-
12 trionali conſerta, victoriam reportabit. Tamen
ille laſciviens, quamquam cæſa vi hoſtium plu-
rima,

---

n) Duplicis h. l. lectionis, בנו *filius ejus*, et בניו *filii ejus*, prior eligenda; quippe quæ congrua, primum suo *verbo*, quocum *singulariter* mox conjugitur; tum Versioni Syr. Hexaplari ܘܒܪܐ ܕܝܠܗ et *filius ejus* (ergo in Vers. LXX virali pro vulgari *ὑιοὶ αὐτοῦ* legendum *ὑιὸς αὐτοῦ*); et deinde ipsi Historiæ, qua teste, Sel. Callinicus habuit quidem duos filios, suique successores, Sel. Ceraunum et Antiochum M.; Ceraunus vero nonnisi tres annos regnavit, nec valetudine nec opibus firmus. Antiochus M. vicissim, consilio audax manuque fortis, non solum amissas et avitas provincias recuperavit, sed etiam bellum adversus Ptol. Philopatorem gessit.

rima, non præpollebit o). Colliget de integro 13
Rex Septentrionalis excercitum, priori longe
majorem, &, interjectis aliquot annis, summa
vi & ope impetum renovabit p): in suas etiam 14
par-

---

o) Antiochus, cognita luxuria, cui se Ptol. Philipator tradiderat, *repentino bello multas urbes ejus oppressit, ipsamque Ægyptum aggreditur.* — — (Ptolomæus) *magno deinde in Græcia excercitu conducto, secundum proelium facit, spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute juvisset.* Just. L. 30. c. 1. Quo in proelio, ad Raphiam commisso, ille peditum 72000, equitum 6000, et elephantos 102, hic peditum 70000, equitum 5000, et elephantos 73 habuit. Polyb. L. 5. c. 82 — 86. Sed Philopator uti victoria nesciit, et, repetito vitæ suæ genere, luxurioso et flagitioso, *noctes in stupris, dies in conviviis consumsit.* Just. l. c.

p) Ptol. Philopatore mortuo, filioque quinquenni relicto, Antiochus et Philippus de dividendo pueri regno consilia juncta agitarunt: motis adversus Ægyptum, Cariam, Coele-Syriam et Phoenicen castris. Polyb. L. 15. Just. L. 31. c. 1. Jos. Antiq. L. 12. c. 3.

partes agminatim tranſituris eorum multis, qui
adverſus Regem Auſtralem (Ptolomæum Epi-
phanem) ſeditioſe agent q), & qui, tui inquam
populares flagitioſi, cum ſua quamvis pernicie,
ut fides conſtet vaticinio, inſoleſcent r). In-
15 currens vero Rex Septentrionalis (Antiochus
M.) quantum urbis munitæ fuerit, operibus ca-
piet. Trepidabunt viciſſim alæ illius Regis
Auſtralis. Neque lectiſſima ipſius manus ſuo
16 veſtigio ſtabilis futura s). Videlicet ſuæ cupi-
dini

q) Ptol. Epiphanes vita egregius fuit, quamdiu consilia Aristomenis secutus est. Quo autem occiso, in scelera et dedecora prorupit. Et rebellioni exinde origo, Polyb. L. 17. c. 36. Diod. Sic. in Excerpt. 294.

r) Josephus (Antiq. Just. L. 12. c. 3): *cum Antiochus eas Coele-Syriæ urbes, quas Scopas* (dux Ptol. Epiphanis) *obtinuerat, Samariamque subegisset, Judæi ultro deditionem fecerunt, eumque urbe admiserunt, et ejus omni exercitui et elephantis omnia abunde suppeditarunt.* Sic et Polybius L. 16.

s) Josephus l. c. *Scopam proelio vicit Antiochus, ad fontes Jordanis, magnamque ejus copiarum partem delevit.* Cui et Hieronymus consentit.

dini Rex Septentrionalis (Antiochus M.) satisfacturus, contendet primum in Terram Sanctam: quam etiam occupabit. Et appetens 17 ulteriora, præcipuas sui regni copias, quibus etiam plures tuæ religionis se addicent, adversus Ægyptum expediet t): suam quoque filiam (Cleopatram) hosti (Ptolomæo Epiphani) in exitium, sed irrito consilio, desponsaturus u). Quip-

(t Quæ v. 14, 15 plenius significata, ea v. 16, 17 brevius repetita fuerunt, ut frequentia v. 18, 19, quibuscum cohærent, melius patescerent.

u) Desponsata hæc, interjectis aliquot annis, etiam tradita fuit: data ei dotis nomine omni Coele-Syria et Judæa: et consilio specioso, ut Romanis imminentibus ambo reges sic pares forent; sed eodem subdolo, ut suum maritum veneno vel alia quacumque ratione Cleopatra tolleret; at infelici, siquidem, comperto dolo, Ptol. Epiphanes ejusque duces egerunt cautius, quomodo etiam Cleopatra magis viri partes, quam parentis fovit. Liv. L. 35. Appian. in Syriac. p. 88. Jos. Antiq. L. 12, c. 3. Polyb. legat. 25. Hieron. ad h. l.

Quippe qui trajecturus contra Insulas, quarum
& multas capiet x), suæ vindicem injuriæ Du-
19 cem (Romanum) habebit y). Atque præsidia
sui regni, neque sine offensione pedis, casuque
20 ad interitum fatali, ille repetet z). Succedet
tum

x) Hieron. ad h. l. *Navali certamine adversus plurimas insulas dimicans, capit Rhodum, et Samum, et Colophonam, et Phoceam, et alias multas insulas.*

y) Dux illi fuit. primum M. Acilius, qui Antiochum ad Thermopylas vicit; deinde C. Livius Salimator, qui circa Phocæam Antiochi classem in fugam conjecit; tum L. Æmilius, qui haud procul ab Epheso classem Syri superavit; denique L. Scipio, qui Antiocham terrestri pugna circa Magnesiam commissa debellavit. Liv. 36, 37. Appian. in Syriac. p. 99, 100.

z) Strabo L. 16: *Antiochum M., Beli templum spoliare conatum, finitimi barbari absque aliorum ope adorti interemerunt.* Et Justinus L. 32. *Antiochus, cum gravi tributo pacis, a Romanis victus, oneratus esset, sive inopia pecuniæ compulsus, sive avaritia sollicitatus, qua sperabat, se sub specie tributariæ necessitatis excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu nocte tem-*

tum" (Selevcus Philopator), qui ſacrum civitatis tuæ ærarium, miſſo legato, ſpoliabit a). Sed ſuo etiam tempore, & ſine belli ardore, hic periturus b). Quem denique in regimine ex- 21
cipiet parvi quidam æſtimatus (Antiochus Epiphanes c). Qui vero, utcumque regiæ dignitati non deſtinatus d), tamen blandiendo, & om-

---

plum Didymæi Jovis adgreditur. Qua re prodita, concursu incolarum, cum omni militia interficitur.

a) Misit hic Heliodorum, qui pecuniam, cujus vim ingentem in ærario templi Hierosol. Simon quidam esse indicarat, inde auferret. 2 Maccab. 4. Eus. in Chron.

b) Interemtus est veneno, et quidem struente Heliodoro, sive in gratiam Antiochi Epiphanis, sive cum ipse regnum affectaret. Appian. Syriac. p. 116.

c) *Æstimatus* hic *parvi*, et ob moris sui vilitatem, cujus ex Polybio meminit Athenæus L. 10, et ob conditionis ignobilitatem, quippe obses Romanis a patre Antiocho M. traditus.

d) Imperio (cujus hæres Demetrius, Selevci Philopatoris filius) neque natus neque electus ille erat.

22 omnibus quieſcentibus, eam obtinebit e). Sic
etiam, & inſtar fluminis, quicquid obſtantis fuerit
molis, ille dejecturus, illigatum ſibi ex fœde-
23 re Principem (Ptolomæum Philometorem), data
quamvis dextra ſideque, dolo circumventum,
24 parva manu opprimet. Scilicet, & prima vi-
ce invadet f) ex inopinato terram, frugum
fœ-

---

e) Eumenem et Attalum, quibus suspecti et invisi erant Romani, blanditiis et promissis varii generis sibi devinxerat: eorumque ope regnum Syriæ obtinuit. Appian. p 187.

f) Ptolomæo Philometori regnum Aegypti sub tutela matris Cleopatræ incolume steterat. Qua vero mortua, ejusque tutoribus, Eulæo et Lenæo Coele-Syriam, quam a patre occupatam tenebat Ant. Epiphanes, reposcere ausis, causam belli hic nactus, eo majori spe id suscepit, quod Romani Macedonico tenebantur. Misit tamen legatos Romam, item Apollonium in Aegyptum Regi adultam ætatem regnique auspicia gratulatum, re ipsa res exploratum. Sed, cognito hujus principis apparatu, prior ipse descendit, et victoriam prope montem Cassium reportavit. Jos. Antiq. L. 12. c.

fœcundam (Ægyptum). Et facinora, quæ ſui majores, avi atavique non commiſerunt, vice ſecunda audebit. Nam reddens callide ſpolia ſpoliatis, etiam locis munitis conſilia ſtruet.
Et intendens animum ac nervos, magnaque vi 25
armatorum contracta, ubi inferet ſigna Regi Auſtrali (Ptolomæo Philometori), Regem hunc Auſtralem, nec minus, collecto militum ingenti numero, ſua capientem, fraude vincet g). 26
Inter ipſa enim epularum oblectamenta victi hoſtis parti majori fuga effuſa aut cruenta cædes parabitur. Neque, dum ambo Re- 27

ƒ. Excerpt. Gr. Scal. p. 60. Liv. 42, 29. 1 Macc. 1, 17—20. 2 Macc. 4, 21.

g) Victo hoste, et expugnato Pelusio, suos milites cæde et raptu abstinere Antiochus jussit. Quin et ipsi regi libertas sua et potestas reddita est. Sed benignitas hæc speciosa. Ita enim et callide primum mentes, deinde urbes Aegyptiorum præter Alexandriam captæ fuerunt. Diod. Sic. in Excerpt. Vales. p. 311. Jos. Antiq. L. 12. c. 8. Hier. in h. l. 1 Macc. 17 et 18. 2 Macc. 5 et 6.

ges (Antiochus Epiphanes & Ptolomæus Philometor), ſibi invicem infeſti, menſæ uni accumbent, res componetur. Namque, ut ſimulate, ſic improſpere ii collocuturi h). Et finis
28 belli ſuo tempori ſervandus. Referet quidem cum ſpoliis opimis pedem i) Rex Septentrionalis (Antiochus Epiphanes), atque, voto adverſus Sanctum Fœdus ſuſcepto k), in ſuam ter-

h) Ptolomæum, quem secum populariter Memphim duxerat Antiochus, ad suas epulas liberaliter invitavit, et illius se tutorem simulavit. Quemadmodum nec alter dissimulandi artem nescivit. Vultus utrimque compositus, et officiosa verba; intus vero, illinc adipiscendi, hinc recuperandi Aegyptiaci regni cupido. Proxime memorati Auctores l. c.

i) Hieronymus: *Nullus regum Syriæ ita vastavit Ægyptum, et omnes eorum divitias dissipavit, et tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum, qui duces pueri erant, sua fraude subverteret.* Cfr. Auctor. proxime memor. l. c.

k) Jos. Antiq. L. 12. c. 5. *Antiochus rex — — — contra Hierosolymitarum urbem movit excercitum, eamque ingressus — — — absque pug-*

terram se recipiet. Tertia autem vice 29
bellum adversus regionem Australem molietur l): quamquam minori, quam ante, successu. Occurret enim classis Chitthæa (Romana). 30
Et territus animi fugam hic capesset l). Quod vero

---

na capit: portas illi aperientibus suæ factionis hominibus. Ubi autem in sua potestate habuit Hierosolyma, multos diversarum partium interfecit, magnaque pecuniæ vi direpta, Antiochiam rediit. Adde molim'na introducendi in Judæam ritus Græcanici 2 Macc. 4.

l) Bello intestino inter Ptol. Philometorem et Ptol. Epiphanem orto, lætatus est Antiochus, sperans, fore, ut victor, fessus certamine, nequaquam par ipsi futurus esset. Pace autem conciliata, adeo offensus est, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quam ante adversus unum, pararet bellum. Cyprum extemplo classem misit, ipse Aegyptum petens. Data dies induciis. Quæ vero ubi præteriit, Alexandriam ei contendenti legati Romani occurerunt. In his Popillius. Qui, traditis Senatus literis, virga circumscripsit regem, et dixit: *priusquam hoc circulo excedas, redde responsum Senatui, quid referam.* Obstu-

vero fiet, magnis iris in Sanctum Fœdus col-
lectis, neque nisi in desertores Sancti Fœde-
31 ris prono favore. Violabitur ipsum ejus Tem-
plum: sublatoque jugi sacrificio, res abomi-
nabilis & stupenda per milites præsidiarios in-
32 augurabitur m). Sed eodem actu, ut rupto-
res Sancti Fœderis deleniti blanditiis corrum-
33 pentur n), sic quotquot ipsi memores sui sa-

cra-

---

pefactus imperio, parumper quum hæsisset, *faciam*, inquit, *quid censet Senatus*. Aegypto excessit. Liv. 45. c. 11, 12.

m) Antiochus furore amens, post duos annos a priori calamitate, Apollonium ducem mittit Hierosolyma, qui, cæde et incendiis vastata urbe, templum, super Dei altare Jovis Olympii effigie collocata, polluit. Jos. Antiq. L. 12. c. 5. 1 Macc. 1. 2 Macc. 5 et 6.

n) Jos. Antiq. L. 12. c. 7: *admissi erant ex impiis Judæis scelestissimi, a quibus plurimum vexata fuit civitas.* Et c. 6: *Menelaus et Tobiæ filii secesserunt ad Antiochum, dicentes, se velle, relictis patriis institutis et legibus, religionem regis et Graecanicos ritus assumere.* Cfr. 1 Macc. 1.

cramenti, etiam alios multòsque illius constantes reddiderint, ferro, flammæ, vinculis, raptui per temporis spatium tradendi o). Suc- 34
cumbentibus tamen parva demum cohors præsto futura p). Cui autem, quæ major, comitem se adjunget q). Sed utraque in lubrico actura. 35
Succumbent juris divini scientes, ut spectatæ,

tatæ,

---

o) Jos. Antiq. L. 12. c. 7. 1 Mac. 1. 2 Macc. 5.

p) Antiocho vetante Judæos patriis uti legibus, solus Mattathias cum quinque suis filiis gladios gerentibus in Judæum, ex mandato regis sacrificantem, irruit, eumque una cum præfecto regio et nonnullis militibus ad aram obtruncavit. Jos. Antiq. L. 12. c. 6.

q) Mortuo Mattathia patre, Judas cum ceteris filiis, quibus et alii opem tulere, hostes e regione expulit, populares suos patria instituta violantes ferro peremit, terramque suam ab omni inquinamento expiavit. Jos. Antiq. L. 12. c. 7. Cfr. 1 Macc. 5. 2 Macc. 12, 13.

tatæ, sinceræ, candidæ pietatis documento aliis
36 futuri sint r). Suæ interim libidini ille Tyrannus
indulgebit. Et sæviens in humana, etiam
in omne, quod loco Numinis habitum fuerit, ar-
roganter exsultabit. Quin & Summum Deum
voce probrosa vexabit s). Et quidem impune,
ad id usque momenti, quo iræ divinæ piacu-
37 lum ipse dedetur. Tamen ille, quantumcum-
que omnis divinitatis, Dei vel Deæ t), & re-
ligiosæ cujusque cærimoniæ, gentilis vel exte-
ræ, irreverens, Tutelari suo Numini t) sollem-
ne

---

r) Cæsi Mattathiæ filii aliique gladio aliis-
que suppliciorum generibus.

s) Nefandis qui factis, idem et verbis maje-
statem Summi Numinis læsisse putetur.

t) Ut Chaldaice interdum נשין pro אנשין,
sic h. l. נשים pro אנשים scriptum
per aphæresin videtur. Valet vero אנוש
homo, quicumque fuerit. Unde etiam Ara-
mæe et Arabice haud raro *quisque* signifi-
cat. Et חמדה notat proprie *quicquid præ-
stans suique cupiditatem faciens*, translate *simu-*

ne inſtituet. Et tale, in propriæ majoribus- 38
que ignotæ Divinitatis honorem, auro, argento,
gemmis, ſimulacris, his donis obire, id non ſatis.
Illius cultui loca dedicare, etiam curæ futu- 39
rum u). Et alienum illud Numen qui tan-
quam ſuum agnoverint, honores ampliſſimos,
magna imperia, prædia, nec tamen ſine pretio,
accipient x). Sic et vice quarta, ortoque 40
cum

---

lacrum, ut h. l. et v. 43. חמדות מצרים *ſimulacra Ægypti.*

t) Hoc Jupiter Olympius: quem Antiochus per templa et flamines coluit. Et appellatus ille אלה מעזים *Deus muniminum*, i. e. *Defendens ſuo numine.*

u) Liv. L. 41. c. 20: *Magnificentiæ vero in Deos, vel Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine Dei, poteſt teſtis eſſe. Sed et Delon aris inſignibus ſtatuarumque copia exornavit. Et Antiochiæ Jovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantum, ſed parietibus totis lamina inauratum, et alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni ejus fuit, non perfecit.*

x) Spatia Judææ, Judæis ejectis, ſoluta pecuniâ gentilibus vendidit Antiochus.

cum Rege Auſtrali (Ptolomæo Philometore) bello, Rex Septentrionalis (Antiochus Epiphanes), magna curruum, equitum, naviumque vi concita, in modum procellæ ac torrentis per
41 varia orbis ſpatia ſe diffundet y). Erumpenti vero primum obvia Terra Sancta. Magnaque ibi edita ſtrage, nonniſi Edomitæ, Moabitæ, & Ammonitæ contermini e ſua manu
42 evaſuri z). Quemadmodum longius progredi-
43 enti nec illæſa Ægyptus futura. Quicquid enim auri, argenti, divinique ſimulacri hæc habue-

---

y) Antiochus, ut refert Porphyrius apud Hieronymum, undecimo anno regni sui, magnoque curruum, equitum et navium apparatu, quasi tempestas valida terras multas transeundo vastandoque invasit, primum Judæorum urbem, cujus ruinis suam arcem muniit, et deinde Aegyptum, cujus opes et divitias tulit, egit. Quod autem, ut narrat Josephus (Antiq. Jud. L. 12. c. 7 et 8), illius jussu, et duce Lysia, factum. Ipse tributa collecturus, in Persidem contendit.

z) Evaserunt hæ gentes, ut Syrorum sociæ et Judæorum hostes. Jos. l. c.

buerit, ille rapiet, auferet. Atque, aditis Libyæ & Æthiopiæ finibus, orientem, qua in 44
septentrionem spectabit, tandem petet a). Inde tamen castra raptim movebit, allato nuntio perculsus & furibundus; ut plurimum gentis, affectui suo devotæ, perimat b). Properans 45
vero

a) Polybius (De Virt. et Vit. ex L. 31): *At in Syria Antiochus, avidus parandæ pecuniæ, ad templum Dianæ in Elymiadem exercitum movit. Quo cum pervenisset, spe sua frustratus, eo quod barbari accolæ tantum scelus fieri prohiberent, regressus Tabis, quæ Persidis civitas* (ad septentrionem suprema) *est.* Consentit Jos. L. 12. c. 9. et 2 Macc. 6.

b) Jos. L. 12. c. 7: *Quæ* (cædem fugamque Syrorum, ductu et virtute Judæ) *ubi Antiochus audivit, vehementer iratus, copias suas omnes coëgit, et — — — paravit primo vere in Judæam irrumpere — atque ubi jussit Lysiam — ut — deleret Hierosolyma, et genus Hebræorum exstingueret — ipse in Persiden profectus est.* — *Re* autem (Jos. L. 12. c. 9) *ad Elymaida male gesta, se fuga Babylonem recepit — et hinc dolore incensus, nuntium quoque accepit,*

vero indies per ſtativa c) adverſus Montem Terræ Sanctæ, finem habebit. Nec ulla opis humana ei ſaluti futura d).

---

profligatos fuisse duces, quos ad bellum cum Judæis gerendum reliquerat. Cfr. 1 Macc. 6.

c) ויטע אהלי אפדנו ad verbum, *plantabit autem tentoria sui amictus.* Sensu: *properans vero per stativa.* Quomodo et בין ימים *inter dies* Latine *indies* valebit. Ceteras interpretationes, neque linguæ neque historiæ congruas, prætereo.

d) Polybius l. c. *Regressus Tabis, quæ Persidis civitas est, e vivis discessit, insania, ut quidam ajunt, correptus, ob quædam signa et ostenta, quæ ob violatam religionem templi ab infenso Numine edita erant.* Cfr. Jos. Antiq. L. 12. c. 9. Appian. Syriac. et 1 Macc. 11.

XXIX.

XXIX.

QUID MUHAMMEDANI DE CHRISTO SENTIANT.

§. I.

Cum in rebus civilibus, tum in facris, ad quas nati & instituti sunt homines, ea in universum sui est judicii pertinacia, ut quicunque in his nova & inaudita moliri voluerit, improspere agat, nisi ad credita & vetera se accommodaverit. Persuasum hoc fuit Muhammedi, animi humani prudentissimo, qui, religiosi & meditati arcani consilio suscepto, rationi & consuetudini eorum, quibus fidem sui facere votum erat, sententias & verba callide conformavit. Ut placeret Judæis, Mosem & Prophetas spiritu divino tactos scripsisse affirmavit: ne offenderet Christianos, sanctitatem Christi & Evangelii veritatem agnovit: & quo Arabes sibi conciliaret, nihil, quod non libidini eorum & majorum institutis congruum esset, attulit. Et denique, quo suis & ementitis speciem

veri

veri indueret, antiquam & veram religionem vitio humanæ imbecillitatis aut fraudis paullatim corruptam fuisse, se autem, qui remedia afferret, divinitus missum, docuit. Hinc origo Codici, qui gentis vocabulo Coranus vocatus, imperitis & credulis in divino honore habetur. Qua autem arte hic impostor, ut sua figmenta augustiora faceret, aliena & plurium nationum oracula miscuerit, mei instituti non est ostendere. Quæ Muhammed de Christo finxit, & Muhammedani crediderunt, ea paucis exponere tantum animus est.

§. II.

Jam vero cum opiniones Muhammedanorum de Christo narraturi sumus, pertinet ad ordinem, ut primum omnium eam, quam de ejus nativitate habent, aperiamus. Traditur, Christum, familia Amram ortum, habuisse matrem Mariam Mosis & Aaronis sororem, quasi ad hæc usque tempora miraculo quodam superstes fuisset a). Neque id pingue quiddam & absurdum sonat Muslemiis, quo-

a) Coran. Sura III. Familia Amram. Refut. pag. 107, 115. Sura XIX. v. 27. O! soror Aaron &c.

quorum plerique μετεμψυχωσιν tenent ita, ut anima unius Mariæ in alterius corpus emigraverit. Error communis eſt, nullum mortalium niſi malo genio tactum gigni: unde cauſſa & origo petitur vagitus, qui infantum in cunis eſt. Solus excipitur Chriſtus, quem recens natum tædis furiarum exagitatum non fuiſſe, nec in queſtus & lacrimas erupiſſe, fama eſt. Neque vitiis, quæ humanæ ſunt infirmitatis, obnoxius ille memoratur. Caſtus & ſanctus fuit, non forte caſuque vates terris datus, ſed princeps Prophetarum divinitus & palam electus, quem quaſi Deum a Deo natum homines colant & venerentur b).

§ III.

Chriſtum vero quamquam Muhammedani tanti faciunt, ut Deo ſimillimum judicent, tamen religionem numinis ei non tribuunt c). Myſterium, Tri-

b) Gelaleddin.

c) Coran. Sura V. v. 81. seqq. Jam quidem infideles fuerunt, qui dixerunt: certe Deus est Messias Filius Mariæ. Et dixit Messias: O Filii Israël! servite Deo Domino meo & Domino vestro. Certe, qui socium posuerit

Trinitatis & duplicis naturæ in Christo arcanum, quo magis celatum, eo suspectius videtur. Genti enim mos est, iis tantum accedere, quæ ratio probat, aut Muhammed subornavit. Et isti doctrinæ, quæ altius ascendit, quam quo mens humana eniti possit, non repugnare, id Muhammedanismi auctori non profuisset. Si enim Christi divinitatem agnovisset, irritus divinæ legationis rediisset. Si Christus Deus, certe major Muhammede Propheta fuisset: quod hujus consilio in diversum tendisset. Nec virtutes, quæ Christi fuerunt, ipsi conveniebant. Hæ enim, quæ in despicientia rerum humanarum cernebantur, neque libidinem, neque ambitionem Muhammedis fovebant. Christus, quo superior, eo submissius se gessit: Muham-

Deo, jam interdixit Deus illi Paradisum, & receptaculum ejus erit ignis. — — — Non est Deus aliquis, nisi Deus Unus. Quod si non abstineant ab eo, quod dicunt, procul dubio attinget eos, qui sunt infideles ex ipsis, tormentum dolorificum. — — — Non est Christus Filius Mariæ nisi Legatus; jam præcesserunt ante eum legati: & mater ejus fuit verax. Ambo comedebant cibum.

hammed vero, quamvis ignobilis & inops, liberæ in vitam & conſcientiam humanam poteſtatis cupiditate flagrabat. Ille humanitatis, frugalitatis, clementiæ, liberalitatis & continentiæ ſupra omnem æmulantium contentionem poſitum erat exemplum: hujus ſuperbiæ, luxuriæ, crudelitati, avaritiæ & libidini nihil exceptum. Ille ſalutem generis humani cum ſuo periculo quæſivit: hic ſuam in aliorum interitu meditabatur. Igitur, quantum ſibi addendum, tantum Chriſto detrahendum fuit. Id autem quam callide perfecerit, cognoſcere operæ pretium erit. Ne ab invidia res orta videretur, ideam tam divinitatis Chriſti, quam Myſterii Trinitatis adeo credulis deformem reddidit, ut habitus, quem ei dedit, homini mentis compoti placere nequeat. Humana divinis miſcentur, neque Filium Dei & filium hominis ullo generandi diſcrimine internoſci, videre eſt d). Et ut vis ac robur argumento quæratur, hæc concludendi initur ratio: Filii a parentibus procreantur: qui

---

d) Coran. Sura LXXII. v. 2. Non ponemus ullum socium cum Domino nostro. Absit hoc a Majestate Domini nostri. Non accepit uxorem, neque habuit prolem.

qui laborum & periculorum in vita socii, & opum divitiarumque post eorum fata hæredes futuri. At Deus præpotens & æternus generi humano prodest, nulla autem re ipse eget. Et ne nihil eorum, quæ in malam partem dici possent, omittatur, doctrinæ Trinitatis id etiam vitio vertitur, scilicet periculum fore, ne, hoc tanquam vero vulgato, sicut in humanis sæpe accidit, inter plures divinitates discordia & bellum intestinum oriri posset e). Atqui mei non est propositi, hæc argumenta, vana & impia, quæ in calumniam sacri Christiani Muhammed invenit, & recentiores Muslemii cumularunt, refellere. Cum vero bene intellexerit Muhammed, se audaci hac sententia offendere Christianos, quos in suas partes trahere voluit, inter summa & præcipitia, gratiam novitatis, quam animo formaverat, & iram gentis, quam timuit, constitutus, medium cursum tenuit, & quæ sensu maximopere diversa erant, callide interpretando inter se conciliare studuit. Scilicet, ut accusantium minas & judicii exspectationem eluderet, Christum qui

---

e) Maraccii Refut. in Suram II. Alc.

quidem esse Filium Dei palam negavit, eum tamen esse Verbum Dei et Spiritum a Deo, lubenter concessit f). Quo autem ludibrio circumventi, qui ad cavendum non satis parati fuerunt, in castra novatoris turmatim transgressi sunt.

§. IV.

Etsi vero Muhammed tam acriter divinitatem Christi impugnavit, ut iis omnibus, qui ejus veritati suam fidem obstrinxerint, aditum ad cœlum patere negaverit; tamen inter ipsos Muhammedanos non defuerunt partium nostrarum fautores. Antiqua est Secta Hajetitarum & Hadathitarum, qui Christum esse verum Deum, atque in fine seculi omnium hominum Judicem futurum, assererent g). Etiam inter recentiores eadem fere mens est illorum, qui Capmessahy h. e. Di-

f) Coran Sura IV. v. 169. Certe Christus Jesus, Filius Mariæ, est Legatus Dei, et verbum ejus, quod immisit in Mariam, et spiritus ab eo. Credite ergo in Deum et legatos ejus.

g) Maraccii Prodr. ad Ref. Alcor. P. III. pag. 74.

Discipuli Messiæ appellantur. Si qua societas ex ipsius nobilitate splendorem & auctoritatem colligit, hæc, cujus mentio facta est, eminet & excellit. Nam ex personis virorum, quos nobilitas aut fortuna evexit, plurima pars sua constituitur. Nec in ipsa regia pudori fuerit, a promiscuo hominum genere ita dissentire. Christum esse verum Deum mundique Redemtorem illi homines pro certo habent. Opinioni tamen aliquando periculum. Pro ea etiam nonnullos mortem subiisse memoriæ proditum est. Tantaque adversus tormenta constantia fidei fuit, ut ipsa suprema necessitas fortiter tolerata sit h). Congruentia quoque afferunt Halulitæ, qui divinam naturam cum humana uniri posse in eadem persona, statuunt i). Neque multum recedunt Mosciabehitæ, qui comparate differunt, nihil impedimento esse, quin Creator perinde formam humanam adsciscere potuerit, quam quod Gabriel Angelus ea specie coram visus fuerit. Et quæritur sententiæ præsidium ex ipsis Muhammedis verbis: Vidi, ait ille, Do-

h) Maraccius l. c. pag. 85.
i) Maraccius l. c. pag. 76.

Dominum meum in pulcherrima figura. Ex quo conficitur, ſi ſpecie Supremum Numen humana ſe conſpiciendum præbuerit, procul dubio corpus eum induiſſe, ita ut non repugnet dicere, Chriſtum, quamvis Deus ſit, tamen generi humano ſe ſimilem oſtendiſſe k). Sic inter ipſos Muhammedanos de divinitate Chriſti nec diſſenſus defuit. Major autem pars, ut plerumque fit, meliorem vicit; & plures ſunt, qui his repugnent, quam qui conſentiant.

§. V.

Tamen Muhammed, utcumque Chriſtianismo infeſtus, facultatem miracula faciendi Chriſto tribuit; quo autem conſilio, judicium eſt in incerto. Modeſtiæ hoc non dandum. Eo enim arrogantiæ proceſſit, ut in iis, quæ vires naturæ ſuperant, quamvis Chriſto ſe minorem eſſe concedat, tamen in ceteris ſe majorem venditare non erubuerit. Credo id factum fuiſſe, ut ſatisfieret & Judæis, quibus mirifica Chriſti exſpectatio fuit, & Chriſtianis, quibus hæc impleta eſt. Plura Chriſto ille

k) Maraccius l. c.

ille addit miracula, quam ipsi Christiani, eadem aut alia. Neque admirationem res habet. Mos enim est hominis, mendacio fallere cupientis, vera falsis miscere, ut, cum ingenium non possit, probum vultum gerere videatur. Sic consentiunt Muslemii, Christum ægrotos sanasse, mortuos resuscitasse, multaque alia miracula patrasse, quorum mentionem faciunt Sacri Scriptores l). Exempli loco affertur Semus Noæ filius, cui Christus vitam reddidisse memoratur, ut mox eum mori pateretur m). In testimonium quoque assumitur illud miraculum, quo precibus Christi mensa de cœlo missa fuit, ut fames, qua Apostoli laborabant, depelleretur n). Sexcentæ sunt hujus facti expli-ca-

---

l) Coran. Sura III. v. 48. *Christum infert ita loquentem*: Sanabo cæcum a nativitate et leprosum et vivificabo mortuos per voluntatem Dei.

m) Abul Abbas Ahmed, filius Mohammed Thelabiensis.

n) Coran. Sura V. v. 121. seqq. Cum dixerunt Apostoli: O Jesu, Fili Mariæ! an poterit Dominus tuus demittere ad nos mensam de coelo? Respondit: Timete Deum, si estis fideles. Dixerunt: Volumus comedere ex ea, et quieta

cationes, totidemque ineptiæ. Unicam & quidem Gelaleddini proferam. "Attulerunt, ait, angeli "mensam illam e cœlo, erantque super eum septem "placentæ & septem pisces: & comederunt ex il- "lis, donec saturati sunt. Refert hoc Ebn-Abbas. "Et in quadam relatione sic dicitur: Descendit "mensa e cœlo cum pane & carne & præceptum "est illis, ne quid ex ea fraudarent, neque repone- "rent in crastinum. Sed reposuerunt secumque "asportaverunt, propterea mutati sunt in simias & "porcos" o). Nullus non videt, Gelaleddinum in unum congerere & confundere institutionem Sa- cræ

---

esse corda nostra; et scire, quod jam dixeris nobis vera. — — — Dixit Jesus, Filius Mariæ: O Deus Domine noster! descendere fac super nos mensam e coelo, quæ sit nobis in diem festum primo nostrum et novissimo nostrum, et *in* signum a Te. Et nutri nos, nam tu es optimus nutrientium. Dixit Deus: equidem descendere faciam illam ad vos; at qui infidelis fuerit postea ex vobis, certe ego puniam eum poena, qua non puniam ullam ex creaturis.

o) Maracci Prodr. ad Refut. Alc. P. II. pag. 6.

cræ Cœnæ, miraculum septem panum pisciumque, & id, quod mannæ in deserto exstitit; ita ut omnis hæc memoria nihil nisi vitia Muhammedanæ chronologiæ arguat. Plura de miraculis, quæ Christo Muhammedani vindicant, disserere, nec opus est, nec placet.

§. VI.

Hucusque Muhamedani ostentarunt tolerabilia, morique Christianorum, si minus omnia perfecte congrua, tamen pleraque non penitus adversa. Divinitas Christi, quæ aliis rationi contraria, aliis supra rationem modo posita, videtur. Ejusque virtutes nullo vitiorum confinio læsæ memorantur: nec ipsi indoles mirifica demitur. Christum, ut multa paucis complectar, quamvis Deo non æquent hi homines, tamen tanto honore dignum putant, ut Deum quasi faciant. At vero quæ gravissima est pars doctrinæ Christianæ, nullo ea sacramento rogatur. Est doctrina de Christi morte piaculari, quæ gentem ita offendit, ut Christus, cui religio Numinis tribuitur, supplicio & cruce pro salute generis humani affectum non fuisse dispu-

tet p). Habitus ille (hæc ſententia) a Judæis invidioſe & in odio, vitæ periculum adiiſſet, niſi Deo carus in cœlum raptus fuiſſet, aliusque ejus vicem ſubiiſſet. Scilicet dolus affingitur Deo q); qui, cum Judæi Chriſtum in vincula ducerent piaculum iræ gentis hominem, vultu habituque ipſi ſimillimum, dedit. Et hic fuit Judas, tanti ſceleris ſuaſor, qui in ſpeciem illius, quem prodere voluerat, conformatus, mox in crucem actus eſt r). Talem conficere fabulam Muhammedis interfuit, dis

p) Coran. Sura IV. v. 156. Et dixerunt Judæi: nos certe occidimus Christum Jesum, Filium Mariæ, legatum Dei; nec tamen occiderunt eum, neque crucifixerunt eum; sed objecta est eis similitudo *ejus*, et profecto, qui discordes fuerunt circa eum, *essetne ipse an alius similis ipsi*, certe *fuerunt* in dubitatione de hoc (*de vera morte ejus*). Non *fuit* illis de hoc ulla scientia, sed tantum sectatio opinionis. Et non occiderunt eum vere. Sed elevavit eum Deus ad se.

q) Coran. Sura III. v. 53. Dolose egerunt *Judæi in Jesum*, et dolose egit *in eos*. Et Deus est præstantissimus dolose agentium.

r) Maraccii Prodr. ad ref. Alc. P. III. pag. 63.

eamque complecti & tenere Muhammedanos non pœnituit. Consilium rei commentitiæ eo spectavit, ut ostenderetur, Cristum, legatum divinum, a Judæis occidi non debuisse. Quamquam vero id ex confesso est, Christum sublimem abiisse, tamen præeunte hæc verba Corano: "cum dixit Deus: O Jesu! equidem defungi faciam te & levabo te ad me, & immunem faciam "te ab iis, qui sunt infideles" s), eum, antequam in dubium cœlum redierit, ex natura exstinctum fuisse non negatur. Quanto autem temporis spatio sepulcrum tenuerit, certatur; aliis tres horas, septem aliis definientibus t).

§. VII.

Restat opinio memoratu etiam digna, Christum in mundum rediturum esse. Neque servili tum conditione, sed omnium Imperator, gloria & majestate conspicuus, palam & coram apparebit. Quæ vero sententia, etsi augusta, tamen aliquid humile & abjectum ex ingenio vera corrumpentium acce-

s) Coran. Sura III. v. 54.

t) Maraccii Ref. in Suram III. Alc.

accepit. Nam Muslemii, sicut nihil non ad sensus referunt, hoc Christi imperium non æternum, sed ad tempus tantum mansurum putant. Ætas vero tum aurea per Christum reducenda: omniaque fausta atque felicia futura. Tamen, quamdiu Christus suæ potestatis hujusque lucis usura fruiturus sit, ambigitur, silente de hoc tempore Corano. Inter annos quadraginta & quattuor supra viginti mentes divisæ sunt. Singulare autem & ingeniosum est ad quæstionem hanc responsum Hoseini, Phadeli filii, qui interrogatus, an in Corano quid de reditu Christi in mundum invenerit, dixit: "Se "invenire in Sura III, Familia Amram, ubi asseri-"tur, Christum allocuturum homines senem. Cum "igitur non provenerit ad senectutem ante assum-"tionem in cœlum, redeat in mundum, necesse est, "quo senex evadat" u). Additurque fabulæ fabula, monstrosa turpisque relatu; scilicet tunc temporis Christum, inito matrimonio & susceptis liberis, moriturum esse, justisque funeri solutis, in conclavi Muhammedis sepultum iri.

u) Maraccius l. c.

XXX.

De AGRICULTURA ORIENTALI.

§. I.

Ut doctrinam animis lectio, ita alimentum corporibus agricultura promittit. Altera efficit, ut litteris & artibus, altera, ut opibus & facultatibus floreat respublica. Sed quemadmodum sapientiæ, ita agriculturæ studium nonnisi post multa sæcula suum decus & robur, suam speciem & ubertatem ex ingenio & industria accepit. Primum omnium rebus, quæ sponte nascuntur, vel venatu capiuntur, more agresti vivebatur; deinde, primo ad cultum & humanitatem facto gradu, gregibus pascendis opera dari cœpta est; & tandem dominio rerum paullatim introducto, agri colendi amor & labor placuit. Quamquam vero agricultura non nisi temporis successu & gradatim ad laudem & fastigium pervenit, si pervenisse dicenda est, tamen eam ante diluvium inchoatam, per nepotes Noachi continuatam, & in Sinear locisque vicinis provectam

tam fuiſſe, ſatis conſtat a). Nec deinceps ab eis, quibus poſt Babelica humani oris turbamenta in calidioribus terris ſedes contigit, neglecta videtur. Ubi enim cœli temperies ſolique ubertas fuit, ibi nec agreſtis operæ præmium & agricultoris incitamentum defuit b). Teſtis eſt Hiſtoria Sacra, ſementem feciſſe Iſacum, frugesque eum centeſimo percepiſſe, & Ægyptum Abrahamo, fame ingraveſcente, aditum & annonam præbuiſſe c); teſtisque memoria profana, Babylonios & Pœnos ad eadem temporis momenta conditi regni & culti agri origines retuliſſe d). Quo autem antiquius, eo ſimplicius terram homines coluerunt: plus vi & ſudore, quam conſilio & ratione effecerunt. Agrum Peruviani ferro in falcis modum facto, Negri gladiis, inſularumque Carnariarum aborigines taurorum cornibus ſubegerunt, jugi vomerisque inſcitiâ vel incuriâ e). Tamen fuere gentes, ingenioſæ & deſides,

a) Gen. c. 9. v. 20. b) De L'Origine des Arts et des Sciences T. I. L. II. p. 183.

c) Gen. c. 26. v. 12. c. 12. v. 10.

d) Beros. apud Syncell. p. 28 et 29. Sanchon. apud Euseb. p. 36. C. e) Conquête du Perou. T. 1. p. 47. Voy. l'Hist. Gen. des Voyag. T. 2. p. 302. Ibid. T. 2. p. 229 et 252.

des, quae plus artis & sollertiae, quam laboris & patientiae ad agriculturam adferrent. Perspicacia in cogitando commoditati in agendo locum fecit. Sic aratrum, vertendae glebae optimum instrumentum, in lucem & usum prodiit. Quod & inventum tanti fecerunt veteres, ut illius auctorem Ægyptii Osirin, Jovis filium, Phoenicii Dagonem, Solis natum, fuisse sibi persvaserint f). Illius autem forma priscae fuit simplicitatis imago, non in artificis famam, sed operis necessitatem effecta; nec alia, quam flexum lignum, cujus unam & longiorem partem boves subierunt, altera & praeacuta terram proscindente. Stiva deinceps in aratoris commodum addita g). In hujus vero locum, progressu temporis, plura & meliora successerunt aratri genera, pro regionum solo hominumque ingenio diversa h). Nec antiquis ignota fuit augendae fertilitatis ratio, quam Augeas in Graecia invenisse & Her-

f) Tibul. L. I. Eleg. 7. v. 29. Sanch. apud Euseb. p. 37. D. g) De L'Origine des Loix, des Arts et des Sciences T. I. L. II. p. 189, 190. Hesiod. Εργα και ημερα v. 86 et 87.
h) Plin. Secund. Nat. Hist. Tom. II, L. XIIX. C. XVIII.

Hercules per Italiam divulgasse fabulose dicuntur; & hæc quidem irrigationis, qua Ægyptii stagnantem Nilum, & Arabes profluentem fontium aquam in sua arva induxerunt i). Minus vero difficultatis habuit segetis demetendæ via & ratio. Quibus enim ars & gladii vel falcis usus defuit, suffecit ipsa natura, & radicitus evellendæ frugis cura k). Eamque secutus est triturandi modus, item genere varius. Frumentum enim, vel ungulis boum antiquius, vel ictibus baculi aut rotis plaustri recentius excutiebatur l). Hæc autem, quæ de agricultura generatim & brevius disserui, in iis, quæ de Orientali speciatim & uberius disputabo, passim & expressius memorandi occasionem habebo.

§. II.

Ut ad cognitionem agriculturæ, quæ orientis est, eo facilius perveniamus, illam viam, quam ipsa

---

i) Idem T. II. L. XVII. C. IX. Diod. L. 1. p. 23. Devt. c. 11. v. 10 et 11.

k) Hist. Gen. des Voyag. T. 3. p. 117.

l) Deut. c. 25. v. 4. Ruth. c. 2. v. 17. Varro de Re Rust. L. I. c. 52. cfr. Plin. Sec. Natur. Hist. T. II. L. XIIX. C. XXX.

ipſa natura nobis monſtrat, ſequi lubet. Primum omnium de illius terræ indole cœlique temperie, & deinde de diſcriminatis per ſingulas anni tempeſtates agricolarum operibus diſſerendum. Hæc noſtri orbis regio, etſi non parum ſpecie in univerſum differt, tamen aut deſertis horrida, aut campis amœna eſt: argillacea vel calcaria in editis locis, arenoſa vel cineracea in depreſſis marique vicinis. Ex quo ſit, ut frugum frugiferarumque arborum, ſi in aliis locis parum, in aliis profecto ſatis fœcunda ſit, magis vero eſſet, ſi minus caloris & plus humoris ubique daretur; quo accedit, quod locuſtæ, tanta interdum vi ingruentes, ut ſoli caliginem & terræ perniciem adferant m). Sed neceſſitas facit ingenium & artem. Orientales, comperto, herbarum genera, quo propiora montibus, eo plus frigoris & humoris ex umbroſis cacuminibus & frondiferis arboribus capere, ſuos agros hortosque, in frugiferæ naturæ imitamentum, ope artificis ingenii, & quidem tali modo penſiles & fertiles effecerunt. Ut autem fulciendæ moli firma

---

m) Cl. Forskål. Flora Ægypt. Arabica p. 81. seqq.

ma jacerentur fundamenta, ſaxo muros, qui totum viridarii opus colligarent & ſuſtinerent, per intervalla inſtruxerunt, pingui & alta humo, quæ alendis radicibus ſufficeret, cumulata & aggeſta. Illoque in adæquato & complanato ſolo, quod theatri adſpectum procul viſentibus refert, hordeum, triticum, aliaque frumenti genera ſeminantur, & coffea plantatur. Nec deſunt machinæ, quibus ad irriganda hæcce arva vis aquæ ex parata ciſterna, vel præterlabente flumine hauritur n).

§. III.

Venio nunc ab ipſa vi & natura fundi, qui imperium hominis non recuſat, ad ſtudia & opera agricolæ, quæ ſemper in Oriente plus honoris quam artis habuerunt. Arandi inſtrumentum, quo Orientales, & in his præcipue Arabes utuntur, vile eſt, informi ligno, & præfixo obtuſæ cuſpidis ferro, tamen in ſolo molli ad uſum habili, fabricatum o). Huic junguntur boves, robuſti & domiti, quos in rectum aut flexu ita regit aratŏr, ut ne ſcamna

n) Cl. Forskål. Flor. Aegypt. Arab. p. 87.

o) Hasselquist. Iter Palæstinum p. 109.

ſcamna inter ſulcos cruda relinquat. Celeritati autem operis & tauri viribus ut conſulatur, jugum per vices ferunt boves. Laboris tamen compendio temporisque lucro ubique non eſt locus. Sunt enim arva, ſalebroſa & ardua, non arationis ſed paſtinations patientia p). Ut autem ſtudium agri colendi niſu facilius fructuque uberius procedat, terræ proſcindendæ initium fit menſe Auguſti; ſed finis circa Idus Decembris conſtituitur; qui ultimus ſementis terminus ſi tranſitur, fibris ſtirpium, culmi geniculis, frugique ſpicæ vis ſua decedit q). Aratorem vero, qui transverſis ſulcis ſubigit arvum,

p) Niebuhr. Descript. de l'Arabie p. 137.

q) Germ. Conti Maronita: اول التخريف يبدوا يشقوا الارض في الفلاحة ويسموها شق يزرعوا في شهر ايلول وتشرين الاول وتشرين الثاني وبعد ذلك ان زرعوا يطلع الزرع ضعيف جدا Autumno appetente, terram aratro findere incipiunt, quam operam Schak vocant. Mense autem Augusti, Octobris, Novembris et circa Idus usque Decembris arva conserunt; quo tempore elapso, si sementem feceris, parum frumenti metes.

vum, vestigiis duo sequuntur homines, in id intenti, ut inertes glebas ferreo rastro dissolvant, atque nocituras messi herbas in incendium sedula manu colligant r). Seminaque per sulcos raro dispersa sequens arator suo vomere, aut ipse seminator suo pede obruit: quorum unum commode fit & celeriter, alterum tarde & diligenter, granis omnibus adversus calorem solis aviumque libidinem conservatis s). Ubi autem ager suo sic mollito gremio sparsum semen excepit & occatum cohibet, sulcos dimidiæ ulnæ spatio discretos altius & latius ducere mos est: provida cura, ut terra,

r) Idem: قلما الفلاح يفلح الارض يكون خلفه اثنين بالمدير من حديد لكي يكسروا الطلع الذي يطلع من تحت السكة ويطلع شرش العشب ويحرقوه Cum arator arvum subigit, vestigiis eum duo sequuntur homines, qui rastro quisque ferreo glebas vi vomeris exortas dissolvunt, et excitatas herbarum radices comburendas colligunt.

s) Niebuhr. Descript. de l'Arabie p. 138.

cœlo pluvio, vim aquæ copiosius suo ore hauriat; & diutius suo compressu retineat t).

§. IV.

Semina vero, quæ terræ mandantur, ejusdem nec generis sunt, nec usus. Abundantius seminatur triticum, plebeji & patricii panis candida materia: parcius hordeum, equorum, gallinarum &c. cibaria, item aliquando hominum in difficultate annonæ. Nec desunt aliæ sementis species, quarum potiores: Durra balledi (Holcus), unde panem rustici parant: Zea Majs, cujus spicæ assatæ esurienti placent: Mesembryanthemum Geniculiflorum, quo Beduini naturale cibi desiderium finiunt: Oryza Sativa & Panicum Milaceum, ex quibus pulmentaris cibus vario modo conficitur. Secalis vicissim & Avenæ fere nullus, sed mixti hordei & tritici, cui Chalit nomen, rarus est usus.

Si

t) Germ. Conti, Maronita: بين التلم والاخر نصف الذراع وسبب حتى لما تماطر الارض تشرب الما طيبا Inter singulos sulcos spatium dimidiæ relinquitur ulnæ, ut terra eo melius aquam bibat pluvialem.

Si autem, ut pabuli copia nec desit, exigua vel nulla est fœni demetendi & sub tecta congerendi cura; profecto leguminūm & graminum culturæ non contemnenda adhibetur diligentia. Sic Trifolio Alexandrino & Fabis jumenta, Tribulo Pentandro autem, Hesperide Acri, Convolvulo Cnevro, Geranio Malacoidi & Centaurea Eriophora, sponte nascentibus, camelos, oves caprasque reficiunt Orientales. Et ut ratio cum salutis & voluptatis, tum ornatus & utilitatis habeatur, plantis esculentis, tinctoriis & medicis, ut Saccharo, Brassicæ, Alio, Sinapi nigræ, Carthamo Tinctorio (arabice Chartâm), Lausoniæ inermi (arab. Tamrahenni) aliisque colendis opera quoque datur u). Atque ut terra fertilior fit quiescendo, ita & in Oriente arva, ubi ruris spatia id permiserint, alternis cessare videbis. Ubi autem angustia est campi, ager mutato semine quotannis conseri solet, explorato, quid quæque ferat terra, quid quæque recuset. Macro tamen & exili solo stercorandi sollicitudo subvenit, & quidem arte nobis non ignota v). Præcipua vero fer-

u) Cl. Forskål. Flora Aegypt. Arab. p. 53, seqq.

v) Germ. Conti, Maronita: والارض الـتي تكون بكر ما يسووها اما الارض الركيكة

Fertilitatis in his ſitientibus locis cauſſa eſt irrigationis copia; ſive hæc fiat cœleſti aqua & imbre, ſive ſtagnante & fluviali, ſive derivata & puteali. Et ne aqua per declivia præcipiti & inani curſu defluat, exſtructis pro uſu aggeribus coërcetur; & ubi ſatis pro loco reſedit humoris, data porta in ſubſellia inferiora demittitur x). Hoc quidem laborioſum, ipſa vero difficultate fructuoſum. Et ne ſeges inutilibus herbis rareſcat, par induſtria in runcandis ſatis adhibetur; quod fit vel ope & robore bovis, vel vi & ſtudio hominis. Hoc autem opus, hic labor inchoatur, ubi ſucco terræ ſolisque calore herbeſcens viriditas prima folia emiſerit, & continuatur, donec culmo erecta geniculato novem vel decem digitos in altum ſurrexerit. Quo autem tempore elapſo, libere & læte ſeges augeſcit, adoleſcit, frugemque ſpicæ fundit: denſo & fru-

يسووها والارض الجيدة قط ما يضعوا فيها سواب Terram maceram, non præcocem, stercorant; pingue autem solum fimo nunquam saturatur.

x) Forskål. Flor. Aegypt. Arab. p. 83. cfr. Niebuhr. Descript. de l'Arab p. 137 et 138.

fruticoso culmo teneras radices adversus nimios solis ardores defendente. Tamen hoc studium, quantumcunque utile & necessarium, plurimi, blaudiente inertia, despiciunt vel fugiunt y).

§. V.

Atqui pro diversa terræ indole, agriculturæ ratione, cœlique tempestate, non minus in Oriente, quam aliis in regionibus, largior vel angustior existit messis. Ager, quod disseminatum suo sinu complexuque accepit, majori vel minori cum usura reddit, & quidem in commune quarti sive septimi, uberius decimi sive decimi quinti, rarius vicesimi, & rarissime, nec nisi ex Durra, quinquagesimi grani fœnore z). Sic etiam campi, prout situ iniqui vel æqui sunt, & in septentrionalem & frigidiorem, vel in australem & calidiorem cœli plagam spectant, ratione quoque factæ sementis habita, serius vel maturius molli arista flavescunt. Sunt arva, quæ mense Octobris consita, decursu Februarii ferro messorio evadunt opportuna. Cl. Nie-

y) Niebuhr Descript. de l'Arab. p. 139.

z) Idem p. 134. seqq.

Niebuhr est auctor, in regione Sana hordeum medio Julii ad maturitatem pervenisse, & principio Augusti Durram ad septem pedum altitudinem in campo Beit-Fakih viguisse. Idem refert, terram in valle Sebit illa tempestate non modo demessam, sed etiam in spem futuri anni aqua emollitam aratroque scissam fuisse. Memorat etiam arva regionis Maskat, quæ fine Novembris initioque Decembris hordeo & tritico seminata erant, quæ autem mense Martii demetendi tempus ingruit a). Maturas vero segetes, si hominibus in usum cedent, radice vulsa, si pecoribus, messoria falce tollunt

---

a) Germ. Conti, Maronita: وفي سيران يبدوا يحصدوا ويستقيم الحصاد الي حد اخر ايلول ولكن تبع الارض والبلاد لان في بلاد برد يتعوق كثير الزرع والبلاد علي البحر حامية ويطلع الزرع بكير Mense Seiran (Julii) segetem demetere incipiunt: qui labor usque ad finem Augusti continuatur, ratione tamen terræ et regionis habita. In locis enim frigidis tarde, in calidis vero et mari vicinis cito maturescunt fruges. Cfr. Niebuhr, Descript. de l'Arab. p. 141. seq.

ſunt Orientales; easque in manipulos colligunt, & per decem dies in agro ſub dio in trituræ facilitatem areſcendas relinquunt b).

§. VI.

Triturandæ tandem frugis, qui olim fuit c), idem etiam hodie Orientalibus eſt modus, & quidem diverſus. Minutiora grana, ut Nigellæ, Cymini, & ſimilium, ne majori vi & impetu in pulverem vertantur, leviori inſtrumento & virga ſeu baculo excuti ſolent. Quæ autem majora & duriora ſunt, ut Tritici, Hordei aliorumque, tali modo. In agro paratur area, æquata & ſolidata; ſegete juxta acervatim congeſta. Qua autem in media humi defigitur palus, triturandaque materia ad

b) Niebuhr. Deſcript. de l'Arab. p. 139. Germ. Conti, Maronita. ويبعوا الزرع عشرة ايام حتى ييبس وبعده يدرسوه في الموارج Seges per decem dies areſcenda relinquitur, antequam tribulæ excutienda committatur.

c) *Nam Nigella non trituratur tribulo, nec rota plauſtri ſuper Cyminum volvitur, quin baculo excutitur Nigella et Cyminum virga valida.* Eſ. 28. v. 27.

ad majorem vel minorem altitudinem per ambitum sternitur. Immittitur deinde tribula, in tabulæ speciem bene compacta, & lapillis dense asperata: quæ, auriga aut incumbente pondere grandi, circa memoratum palum per subjectam segetem trahitur, jumentis junctis d). Ingeniosum hoc inventum, sed stipulæ nociturum, quæ cæsim comminuitur; nullo autem vel exiguo detrimento in ter-

d) Germ. Conti, Maronita. والمورج هو من خشب طوله ذراعين ونصف وعرضه ذراع ونصف ويدقوا في وجه الواحد حجار ويضعوا هذا المورج فوق الزبل ويقعد رجل فوقه وبقرين يسحبوه فوق الزبل ويديروه في البيدار لكي ينعم الغش ولما ينعم يقاوموه في نصف البيدار ويضعوا قش غيره الي ان يكاملوا الجميع لما يدرسوا يعملوا طرحات ثلاث في النهار وايام الشوب يعملوا خمس طرحات وستة Tribula ex ligno, duas ulnas et dimidiam longo, unam autem et dimidiam lato, facta est, alteri illius lateri infixis lapillis. Hanc, cui vir insidet, per subjectas segetes in gyrum trahunt boves. Tali autem modo comminuitur

terris, ubi hiberni straminis nec cura est, nec necessitas. Sed sunt etiam duo alia trituræ genera, usu autem minus frequentia. Alterum vim & cursum spectat boum, qui per strata segetis huc & illuc aguntur, donec illius grana ipsorum ungulis e spicis extriverint e). Alterum plus consilii & artis prodit. Est illud vehiculum, dentatis assibus, cum orbiculis contabulatum: quod Varro plaustrum Phœnicum vocat f), & quod Maronita

---

stipulæ; qua in medio areæ coacervatur, et alia in ejus locum sternitur, donec omnis absoluta fuerit. Tria ejusmodi strata segetis per diem, et quidem si major est vis caloris, quinque aut sex hoc opere tritores assequi possunt. Cfr. Acta Reg. Acad. Scientiar. Svec. anno 1751 edita, ubi Edv. Carleson in Vol. XII. a. p. 49. ad 56. accuratissime hujus tribulæ figuram descripsit, ejusque præstantem usum in Svecia quoque expertus laudavit. Et Niebuhr. p. 140. ubi dicitur lapis grandis pro tribula Arabibus in usu esse.

e) Deut. c. 25. v. 4.

f) Varro de Re Rust. L. I. c. LII. cfr. Cl. Matth. F. Beckium, qui observavit Turcas simili fere triturandi instrumento uti. Sed optime plau-

Germanus Conti ſe in Oriente vidiſſe mihi affirmavit. Ad ultimum per areæ ſpatium ventilatur frumentum, & quidem adverſo vento: ex quo fit, ut pro ſua quæque res gravitate vel levitate, diverſa loca, palea, folliculi & grana attingant. Hoc au-

---

stra trituram exercentia descripsit accuratissimus ille Itinerator Thevenotius, in hist. Itineraria per Orientem L. I. C. V. Cujus verba: "Damasci et fere per omnem Orientem ditionis Turcicæ messa seges non excutitur flagellis: sed postquam seges demessa est, cumulatim acervatur in area, de quo tumulo demitur et circumquaque eum cumulum disponitur ambitu quinque pedum, ut assurgat ad binos pedes (quæ scil. materia est trituranda). Adest jam species aliqua trahæ, sive plaustri compositi ex assibus quatuor figuræ quadratæ, quorum duo præstant usum axium duabus crassis rotulis, quarum extrema hos asses ingrediuntur, ita ut facillime in eis volvantur. Circumcirca autem has rotulas sunt tres orbes ferrei, crassi dimidium pedem, diametri unius pedis, qui omnes instar serrarum dentati sunt. Est jam sedes posita super duos præcipuos plaustri asses, cui insidet aliquis, equos gubernans, hanc

autem peracto, frumentum, postremo vannis a folliculis, pulvere & calculis purgatum, in cellam vehitur, in molam deinceps aut pistrinum, pro tem-

---

tribulam trahentes, actos in gyrum per ambitum cumuli, in quo ambitu materia trituranda ad altitudinem duorum pedum aggesta est, quo fit, ut grana scissis paleis et folliculis facile excutiantur absque læsione, quippe cedentia dentibus ferreis. Quando palea probe concisa est, aliam in ejus locum mittunt. Denique separatur granum a palea concisa vel attrita in hunc modum, ut ligneo ligone quidquid materiæ trituratæ est in altum mittant. Quando ventus paleam longius propellit, frumentum autem ab eis separatum suo cadit loco, quam paleam concisam equis in pabulum reservant. In aliis tamen locis hoc instrumentum a priore figura aliquantum differt, ut vidi in Mesopotamia; ubi loco horum orbium ferreorum, quibus rotæ circumdatæ sunt, frusta, sunt ferrea, sex præter propter pollices longa, et tres lata, fere formata figura asciarum, sed aliquando latiora inferiore, quam superiore parte, rotis promiscue inserta absque justo ordine, alia recta, alia ex transverso, quod instrumen-

tempore vel neceſſitate, dandum g). Hæc de agricultura Orientali accepimus: quæ cognitu uberiora & lectu jucundiora eſſent, ſi plus ingenii & doctrinæ ſcriptor habuiſſet.

XXXI.

---

tum supra ferrum contectum est asseribus ligneis, quibus insidet, qui equos tribulam trahentes agit. Alia enim sedes ei imposita nulla est. Quo eodem modo trituram exercent Persæ". Ex hoc ritu intelliges locum cetera expositu difficillimum 2 Sam. c. 12. v. 31.

g) Germ. Conti, Maronita. فلما يخلصوا الدرس ينظروا حتي يطلع الهوا يذروا البيدار ويطالعوا القمح واحده والتبن واحده والقصرين واحدهم والهوا ياخذ التبن الي الجناب ويبقي القمح في النصف وبعده يغربلوه ويشيلوا منه التراب والحجار ويكايلوه وياخدوه الي البيوت Peracta trituratione, ventum exspectant, quo surgente, rem trituratam ventilabro agitant, ita ut stipula et palea per auram ad latera propellantur, frumentum vero in media area restet, quod postremo vannis a glebis et lapillis purgatum domum portant.

XXXI.

De TRINITATE INDIANA.

§. I.

De Indianis ſeptentrionalibus ſcribit Niebuhr a), eos colere tres Divinitates, omnium principes, ſcilicet Brahmam Creatorem, Vishnu Conſervatorem, Shivam ſive Mahadevam vel Rudram Deſtructorem, Vindicem et Judicem, qui animarum poſt mortem curam agit. Idemque perſvaſum eſſe Indianis auſtralibus, refert R. P. Johannes a Brito b). Neque diſſentire eos, qui Tibetanis proximi degunt, memoriæ prodidit R. P.

a) Tom. II. p. 22, 23. *Ihre drey vornemſten Gottheiten nennen ſich Brama, Wiſtnu, und Madeo, und man lehrt das Volk, daſs Brama der groſſe Schöpfer ſey, der es dem Wiſtnu aufgetragen habe, für alle lebendige Geſchöpfe, und dem Madeo für die Seelen der Verſtorbenen zu ſorgen.*

b) In codice manuscripto de trinitate hac ex sententia Maissurentium et Madurensium ita ait: *Houve dizem* (os gentios) *huma molher Chamada Paraſhacti, que quer dizer excellentiſſima poten-*

P. Constantinus ab Asculo, Missionarius Nepalensis c), nempe, Deum æternum, cui Pàrameshvara nomen, inito consilio mundi creandi, specie humana, & quidem mulieris, conspiciendum se præbuisse, & percussa per tres vices vola, tres divi-

---

cia, aqual teve tres filhos, e ao primeiro que tinha sinco cabeças pos por nom e Bruma, que significa sciencia, e lhe deu poder para só elle poder criar todas as couzas. Ao segundo pos por nome Vishnu, e lhe deu poder para conservar tudo o que seu Irmano criasse. Ao terceiro pos por nome Rutre, este tambem tem cinco cabeças, e lhe deu poder para destruir e aniquilar tudo o que os seus Irmanos criassem e conservassem, e com estes tres filbos se cazou a mesma may que os pario.

c) In codice manuscr. qui inscribitur *notizie laconiche*, atque in Bibliotheca S. Congregationis de Propag. Fide exstat, hæc habet: *Dicono alcuni loro libri* (Indiani) *che l'eterno Paramesbvara cio Dio - - - stando in atto di voler creare, comparve nel mondo la sua medema volontà in figura di donna, questa battendo tre volte la palma della di lei mano, in virtu di alcune parole ne uscirono tre palle, e da queste Brahma, Vishnu e Mahadéva trinità visibile &c.*

vinitates, Brahma, Vishnu & Mahadeva exſtitiſſe. Atque addit Ildephonſus d), Brahmanes opinari, Shivalingam, rem naturalem & oblongam, tres cortices, ut plantam ficus Indicæ, habere, qui ſeparati in tres mutati ſunt Deos, Brahma, Vishnu & Shiva, quorum ille poteſtatem creandi, iſte gubernandi, & hic deſtruendi habet.

§. II.

Externam vero fidem domeſtica cumulat, ipſique præcipua ex communi Brahmanorum conſenſu auctoritas accedit. Primum hæc Trinitas ab Indianis vocatur Trimurti: vocabulum Samſcerdamicum, & duobus aliis compoſitum, quorum unum Tri tres, alterum Murti perſonam vel corpus notat. Deinde Brahmanes in precibus, quas

d) In codice manuscripto num. 20. inter codices Indicos S. congregationis cap. 3. hæc habet: *Diximus, quod Shivalingam ſit una res rotunda & oblonga, fingunt itaque Brahmanes, quod tribus conſtet corticibus, ſicuti planta ficus Indicæ; ſomniant ergo hi fatui, quod tres cortices ſe ſeparaverint a trunco & converterint ſeſe in tres Deos Brahma, Vishnu & Shiva.*

quas ad Deum Shiva, Mahadeva seu Rudra fundunt, ita eum compellant: "Deus Bhagavan "(Shiva), qui petentibus postulata concedis, tibi "sit adoratio! Tu prima persona, primum cor"pus, tibi adoratio! Tibi, Gangis fluvii bajulo "adoratio" e). Neque ratio hujus pietatis in occulto est. Nam credit gens, Gangem ex Shiva (i. e. Sol), & ejus uxore Parvadi (i, e. Luna) effusum, quicquid animatarum & inanimatarum rerum sit genus, cœlesti rore adspergere & lustrare f). Unde his divinitatibus data fuit sedes in monte Himala seu Meru, Græcis Imau, Imeja &

---

e) Systema Brahm. pag. 109.

f) Gihan Numa: *Gangi flumini religionem numinis tribuunt Indiani, tantam quidem, ut se in eo lavatum ex longinquo & turmatim abeant. Quibus societatem sacræ illius cohortis petendi facultas deest, iis cura aquæ inde in sanctitatem lavacri transferendæ incumbit. Eadem fides imperatori Narsingæ, per singulas hebdomadas pie colenda. Qui mos Indianis vulgaris est; quippe cum labem non minus animi, quam corporis, aquis nominati amnis elui, in certo ponant. Homines, qui vectigali exigendo ab utraque ripa, intersunt, magnam pecuniæ vim ex Indianis, hæc sua sa-*

& Meros: & ex illius inacceſſo & præcipiti vertice ortus dicitur Ganges fluvius, qui ex opinione gentis totam Indiam fœcundat g). Peregrino autem ſacro quæ origo fuerit, ſi quis quæſiverit, reſpondent Brahmannes, eam vel ex triangulo, omnium rerum principio, vel ex planta ficus bananæ, fœcunditatis ſymbolo, vel ex yoni ſeu matrice Bhavani deæ ſeu naturæ, quam triangulum repreſentat, vel viciſſim repreſentatur, vel ex lingam, alio generationis principio & ſymbolo, vel ex loto flore, caloris & humoris prole, & fœcunditatis vel generationis ſymbolo, ob analogiam, quam cum matrice habet, repetendam eſſe; quam ob rem memorati tres Dii etiam in loto ſedentes pinguntur h). Sed in ſenſum arcani altius penetretur. Unum & æternum Deum Indiani intelligunt: eumque, ſicut Peguani tribus iisque æqua-

era obeuntibus, ſibi faciunt. In templis & ſacellis, quibus India frequens eſt, aſſidui verſantur Indiani, quorum non pauci eo officioſæ erga hunc fluvium pietatis procedunt, ut, votis vitæ ſuſceptis, vaſtos ejus gurgites ſua ſponte hauriant. Hic locus Episc. Celsii Hist. Eccl. Svecanæ Tom. I. p. 113. insertus est.

g) Syst. Brahm. p. 110. h) l. c.

libus imaginibus i), ita Brahmanes tribus ſymbolis, nempe ſole, terra & aqua repræſentant. Quæ vero tria ſymbola ſunt tres virtutes conjugatæ, quarum una creandi, altera conſervandi, & tertia generandi & deſtruendi intellectum habet. Unde Indicum axioma: creatio ſeu productio, conſervatio ſeu gubernatio, et generatio

---

i) Gihan Numa: دغو كفاري نصاري كبي بر تكري يه طبوب اوج مساوي صورتله تصوير ايدرلر واكا سان روجي ديرلر اوجده بر تكري معناسنه بونلرك درويشلرينه دوليسي ديرلر مناسترلري واردر جاك جالدور مخصوص لسان ايله عبادت ايدرلر *Qui Peguani a Muhammedano Dei cultu abhorrent, unum Deum, more Chriſtianorum, religioſe colunt, eumque tribus effingunt imaginibus, iisque ejusdem magnitudinis: quæ tamen tres nonniſi unius Numinis (San Ruji appellatur) intellectum habent. Neque his deſunt religioſi, quibus Duliſi nomen, & ſedes in cœnobiis eſt, quorumque pietas ſono campana & ſingulari tantumque ſui ſimili lingua monſtratur.*

tio ac simul destructio. Qui itaque Dii sunt symbolici, allegorici, menteque Brahmanorum sola ficti & efformati. Quomodo etiam symbolice in feminas mutati, concubuisse & liberos, ex parte viros, ex parte feminas, procreasse dicuntur k). Hinc statua Dei Brahmæ ex uno latere marem, ex altero feminam repræsentat l). Et imago Shivæ marem simul & feminam in Insula Elephanta exhibet m). Similia de Aegyptiis Seneca: "Aegyptii "quatuor elementa fecere, deinde ex singulis bina, "marem & feminam". Et Lactantius n): "Sub"stantia ignis calor est, aquæ humor: alterum "quasi masculinum est, alterum quasi femininum: "alterum activum, alterum patibile" &c. Atque Plutarchus o): "Quod autem Juno Jovis uxor dici"tur, cujus est soror, videtur eo sensu dictum, "quod Juno intelligatur esse aër" (apud Indos Parvadi seu Bhavani luna, matrix, natura, virtus, Shivæ dei uxor), "qui est humida substantia, Jupiter "autem æther (Shiva Sol vel ignis), qui est substan-

---

k) Syst. Brahm. p. 3. l) Phorphyri lib. de Styge.
m) Niebuhr Tom. II. tab. 6. n) Syst. Brahm. p. 3.
o) l. c. p. 112.

"ſtantia ignea & calida. Germani itaque videbantur "propter contiguitatem ac quandam ſimilitudinem; "utrumque enim elementum leve & quod in motu "ſit: conjuges dicuntur, quod eorum coitu omnia "naſcantur". Hinc intelligitur, cur hi tres Dii apud Indos imagine unius corporis propoſiti fuerint, & cur Brahma nulla habeat templa, Vishnu autem & Shiva innumeros cultores & ſectatores acceperint p).

§. III.

Atqui & hoc modo myſterium Trinitatis Indicæ ut explicetur, plures ſunt rationes, quæ jubent. Primum omnium, quæ epitheta tribus his Diis tribuunt Indiani, non otioſa, ſed ad rem appoſita ſunt, & oſtendunt, Brahmam terram, Vishnu aquam, & Shivam ſolem & ignem eſſe. Deinde & ex vetuſto mos fuit orientalibus, hæc tria elementa colere q). Neque non ſuperſtites ſunt India-

---

p) Syst. Brahm. p. 112.

q) Dioscorides Antholog. III. c. IV. Majmonides in more Nibochim L. III. c. XXX. Herodotus L. I.

dianis duæ ſectæ, quarum una ignem, altera aquam, primum & maximum rerum principium, cultu religioſo proſequitur r). Atque hæc religio ætatem Chriſti longe antecedit. Quæ placuit etiam antiquiſſimis Græcorum, quos æque religionem ac philoſophiam a Barbaris, i. e. Chaldæis, Aegyptiis, Perſis & Indis accepiſſe notum eſt s). Accedit, quod quales trium Numinum, Brahmæ, Vishnu & Shivæ ſtatuæ ante oculos ſunt hodie, tales quoque in vetuſtiſſimis Indiæ templis videre licet t). Et de his libri Indiani paſſim agunt u). Ceterum, quæ eſſet Brahmanum philoſophia, ſi his nulla religioſi cultus ratio ſubeſſet? quæ tamen ante legem Moſaicam in oriente obtinuit. Liber vero Amaraſinha, qui antiquam Indorum religionem explicat, per epitheta his Deaſtris adſcripta ſatis monſtrat, Brahmanes primum planetas, deinde elementa numinum loco habuiſſe.

§. V.

r) Syst. Brahm. p. 166.

s) Clemens Alex. Lib. I.

t) Systema Brahm. p. 167, 168 et Niebuhr T. II. p. 31. sequ.

u) Syst. Brahm. p. 169.

§. V.

Paullo vero altius repetendum videtur, religionem Brahmanicam, quae teste Strabone v) veteris Brahmanicae Astronomiae & Philosophiae pars est, non aliunde & recentius acceptam, sed in India & quidem ante tempora Pythagorae natam & cultam esse. Bacchus seu Dionysus seu Shiva in India natus, testibus Plinio & Herodoto x), fuit. Quod pro argumento est, religionis ipsi tributae ortum extra Indiam quaerendum non esse. Ad haec conus & triangulum duo sunt religionis Brahmanicae insignia. Triangulum vero & artes per Pythagoram, Democritum aliosque ex India in Graeciam allatas esse, docent Clemens Alexandrinus, Laër-

v) Geogr. lib. 15.

x) Plin. Lib. 6. c. 21. *Ultimo fine Cophete fluvio; quae omnia Ariorum esse aliis placet. Nec non & Nysam urbem plerique Indiae adscribunt, montemque Merum Libero patri sacrum: unde origo fabulae Jovis semine editum fuisse.*

Herod. lib. 3. *Volunt* id (Cinnamomum) gigni *in his regionibus, ubi Dionysus educatus est.* Cinnamomum vero in vera India (non in Scythia ulta Imaum montem) nascitur.

Laërtius & Hierocles. Et Strabo addit, Indos finibus suis nunquam emigrasse, sed in vicinia montis Meru hæsisse y). Quin his etiam temporibus eorum religio viget ad juga, quæ Tibetum ab India separant. Magna enim loci reverentia semper fuit. Ideoque in cacumine memorati montis, item Indiani, ut supra dictum est, Shivam ejusque uxorem Pardavi, i. e. Solem & Lunam collocarunt. Talis vero fingendi caussa fuit, quod Sol ab illa cœli regione emergens diem & lucem adfert. Locusque inde fabulæ, domicilium principi sideri & cubile ibi esse. Quare Ildephonsus z) de forma & situ mundi Brahmanico ita ait: "Fingunt Brahmanes, "quod in parte septentrionali (Indiæ) detur mons "quidam excessive grandis, quem illi vocant Meru: "Sol autem, luna & stellæ de nocte transeunt per "longum a tergo illius montis redeundo videlicet "ab occidente ad septentrionem, & propterea non "potest apparere claritas horum planetarum &c". Neque alibi fabularum de Baccho origo quærenda est.

Omnia

y) Syst. Brahm. 130.

z) In codice manuscr. Num. 20. inter codices S. Congreg. cap. 5.

Omniaque quæ veteres de eo ſcripſere, allegorice & de Sole intelligenda ſunt. Scilicet quia Bacchus ſeu Sol in civitate noctis verſatur, donec ſuperato frigido ejus monte Indiæ illucefcat; ille ab Indianis in diurnum & nocturnum diſtinguitur; ſicut & Shiva, ipſius imago, noctis & mortis dominus, vindex, judex mortuorum, præſes larvarum noctu vigilantium, dominus dæmonum, contemplator, pœnitens & per mundum errabundus, Philoſophiæ & ſectarum Inſtitutor, & Linguam ſeu virtus generativa appellatur a).

Plura habeo, quæ libelli argumentum confirmare vel illuſtrare poſſent, ſcribendi vero finem plura etiam ſunt, quæ imponant.

XXXII.

De PARADISO INDIANO.

§. I.

Meru mons Indiæ, quo altius eminet, eo facilius Indianis, antiquæ & rudi genti, primum opi- ni-

a) Syst. Brahm. pag. 133.

nionem, mox fidem fecit, supremum Numen illius cacumen insidere, præsens & manifestum; quo modo Jovem in Olympo Græci & Romani collocarunt. Sic & gratia subjacentis loci, modo occurrentibus fluviis & torrentibus, modo amœnissimis pratis & silvis, locum dedit persvasioni, heic primam & innocentem hominum sedem, heic paradisum terrestrem fuisse. Quæ vero res quo vetustior, eo obscurior est. Tamen, & in tanta scribendi difficultate, periculum mei facere mihi etiam licebit.

§. II.

Ut autem res, de qua disputabitur, aliquid luminis ab iis, quæ cum ea rationem habent, accipiat, nonnulla de religione Indianorum præfari lubet. In dubio non est, Indianos loco numinis, simulacra, in speciem animalium seu rerum effigiata, complecti & colere. Hæc perplurima, nec eadem omnibus. Sic alii solem seu ignem, aquam alii venerantur. Et sua cuique ut vis, ita religio tribuitur. Mos est Brahmanis, in uno numine tres colere divinitates, Brahmam Creatorem, Vish-

nu Conservatorem, & Shivam Destructorem. Quæ trinitas vocatur Trimurti, tribusque imaginibus, aquæ, solis & terræ, effingitur: quæ symbola sunt trium virtutum, quarum una creandi, altera conservandi, & tertia destruendi intellectum habet a). Ut autem apud alias gentes, ita & apud Indianos, diversa de Deo ejusque cultu sunt judicia. Cui enim Numini omnium origo rerum tribuenda sit, sententiæ non congruunt. Qui Vishnuvitani vocantur, eam aquæ, qui vero Shivenetani, igni tribuunt. Neque absurdum est visum credere, quod generandi principium fuit, idem destruendi fore, ut scilicet mundus hinc gurgite, inde flamma periturus sit, & rediturus in Triangulum Bahvani Deæ seu matricem naturæ, ibique latere debeat, donec interjecto temporis spatio ex hoc semine novus in lucem prodeat b). Hæc præfati ad propositum revertamur.

§. III.

a) *Dissertatio, De trinitate Indiana.*

b) Systema Brahmannicum, p. 163. Plato in Timæo, pag. 703. Clement. Alexand. lib. 5. Macrobius in Somn. Scipionis lib. I. cap. II. Co-

§. III.

Indianæ religioni cum data ſit ſedes in monte Meru, e re erit, poſitionem illius & formam propius cognoſcere. Perſvaſio eſt Brahmanorum, illum montem in India ſitum eſſe. Et hæc vera. Id enim tam indigenæ, Mahatabaſſi Dhermaragjagu-

dex MSS. P. Ildephonsi Tract. I. c. I. de creatione mundi: ubi hæc: Dicunt Brahmanes quod mundus iste principium quidem habuerit, et habebit quoque finem, restituetur nihilominus denuo in suum esse, et ita fiet perpetua continuatio, et circulus quidam æternus — — — tandem finaliter sufflabit quidam ventus supra omnem modum dessiccativus, qui ab effectu suo vocatur Vaggira cátha, cum quo exsiccabuntur omnia, quæ sunt super terram, immo et ipsa terra, adeo quidem ut amittat omnem humorem et redigatur totaliter in pulverem — — — coelum quoque hoc modo annihilabitur, nihilque remanebit nisi sola divinitas Ishvárata, quæ etiam ipsa adeo diminuetur ut non fiat major uno ovo, quod vocatur Parabrahma — — — — hoc vero ovum diminuetur tandem paullatim usque ad exiguitatem grani sinapis, et tale diu in statu indefectibile remanebit,

guru c), Liber Sinicus King d), P. Marcus a Tumba e), quam exteri, Arrianus f), Plinius g), Strabo h), Curtius k), aliique affirmant. Montem vero, de quo agitur, non differre ab Imao, satis est testimonii. Hic enim vocatur a Plinio l). Nivosus (tanta est altitudo): quæ appellatio etiam monti Meru ab Indianis addita est; quippe qui ap-

---

deinde maturescet successive — — — — Ishvarata in gutture edet sonitum in hanc syllabam *Ghem*, et facta jam matura incipiet crescere ad magnitudinem ovi, in quo creabuntur quinque elementa: — — — cum autem crescent intra illud ovum elementa, non sufficiet illis spatium, ac proinde accendetur elementum ignis, sufflanteque elemento aëris, rumpitur ovum in duas partes inæquales, quarum superior seu minor terram constituet.

c) Mahatabassi — — Philos. Peguanus in compendio legis Barmanorum p. 31.

d) Codex MSS. p. 26. e) Cod. MSS. p. 152.

f) Hist. Ind. c. 2, p. 551. g) Hist. Nat. lib. 6.

h) Strab. l. 15.

k) Curt. lib. 8, c. 10.

l) Lib. 6. Hist. Nat.

appellatur quoque Himala, vocabulum compositum ex Hima frigus & mala mons, adeoque significans frigidum seu nivosum montem m). Imaus vero seu Himala inter Tibetum & Indiam latissime patet, continuis aut interceptis jugis, quorum princeps est Meru sub gradu lat. circiter 32, ad quem eadem montium catena, non minus apud Ptolemæum n) & Plinium o) quam in mappa Brahmanum geographica p), etiam pertinet. Accedit D. De L'Ile, qui ad eandem orbis partem, & quidem ortum regni Jamba & Gor refert montes Pourbet & Nagaracut, corrupto nomine ex Parvada, seu ut alii corrupte scribunt, Parbat, significante per antonomasiam sacrum Meru montem q). Dictis vero ut plus momenti afferatur, placet referre, ad ripas fluvii Gagra, & circa lacum Mansaroar, illius & Gangis, totiusque Indicæ mythologiæ, religionis & historiæ originem, præcipuis Brahmanum numinibus templa dedicata esse

m) Cod. MSS. Peg. p. 131. — 2.

n) Lib. 6. c. 15, 16.

o) Hist. Nat. lib. 6. p) Syst. Brah. p. 135.

q) Syst. Brah. p. 320.

esse r): claro documento, ut hujus loci reverentia semper singularis fuit, ita terrestrem paradisum, montemque Meru ibi quærendum esse. Et si qua inveniendi dubitatio supersit, eam omnem *tollit* positio urbis Nysæ, quæ ad hujus montis radices, & quidem in opaca & tenebrosa valle, a veteribus & recentioribus collocata, suum inde nomen accepisse memoratur. Nam refert Arrianus s), cui etiam Plinius t), Sidonius u) & Philostrates v) consentiunt, regionem Nysseam appellasse Liberum (Bacchum), a monte urbi vicino, qui deinceps Meru ex Dionysi sinistro ibi fato vocatus est. Nyssa vero vocabulum est Samserdamicum, & significat n o c t e m, n o c t u r n a m, o p a c a m, t e n e-bro-

r) Carte générale du cours du Gange et du Gagra, dressée sur les cartes particulieres du P. Tiefentaller, Missionaire Apostolique de l'Inde par M. Anquetill du Perron a Paris 1784.

s) Hist. Ind. l. 1. c. 1, p. 514. t) Hist. Nat. 8. c 39. u) Sidon Epist. 2, 9.

v) Philostr. lib. 2, 4. (Merus) Quasi diceres femur: unde nota Græcorum fabula: Cum Semele precibus a Jove extorsisset, ut pari se atque Junonem honore dignaretur, tonitru et

brosam civitatem x). Sed hujus urbis, ut montis Meru, varia etiam nomina. Ptolemæus y) illam Nagaram seu Diosynopolin vocat, cui fidem addit D. D'anville z). Et apud Strabonem a) ex Sophocle Schrinagari appellatur, quæ etiam vox ex duabus aliis composita est, quarum una Schri beatam, celebrem et potentem, altera Na-

---

fulmine armatus ille accessit, quorum vim cum puella sufferre non posset, exanimata abortum fecit. Infantem vero (Bacchum) Jupiter confestim exceptum femore insuit, eumque ad justi incrementi tempus enixus, Nysam Indiæ deportavit: et ex eo eventu Merus vocatus est Mons Nysa. Scribit hæc Arrianus: το ορος etc. Μηρος κληιζεται, επι τη συμφορη η τινι εχρησατο αυθις γινομενος. Mons, etc. vocatus est Femur, ab eventu qui Baccho acciderat, ut iterum nasceretur. Curt. lib. 8. c. 10. sub Not. Edit. Lugdun.

x) Systema Brahm. p. 132.

y) Ptolem. lib. 7, cap. 1, p. 117, 118.

z) Geogr. ancienne: Tom. 2, p. 339. Les traditions Indiennes font mention de Nysadabur; c'est a dire, ville de Nysa, et d'un Heros, qui

Nagara urbem notat, unde nata est dictio Schri-nagari i. e. potentis, beati, celebris Dei, nempe Bacchi juvenis Urbs b). Fertur enim, Nysam urbem, ut montem Meru, Baccho fuisse sacratam. Hæc autem sita est inter gradus Lat. 32 & 33, vel, si recentioribus fides habenda sit, sub grad. Lat. 31. haud procul a Gange ad fluvium Allaknandara, qui eam interfluit, placidoque murmure demulcet c). Sed satis de situ montis: ad illius formam progredior.

§. IV.

Mons Meru, quo non alius fingendi audacia credendique facilitate insignior, Indianis rotundus, Tibetanis quadratus, ex opinione utriusque gentis, centrum tenet mundi, septemque maribus circumdatus schalæ instar cœlum & terram conjun-

en est sorti. Ptolemée nous en donne la position sous le nom de Nagara, en ajoutant, que son nom est aussi Diosynopolis.

a) Strab. lib. 15.

b) Cod. Manuscr. Peg. p. 179.

c) Cod. Manuscr. Peg. p. 179.

jungit; posita illius basi testudine d), quæ stabilitatis, subjectoque & mundum ambiente serpente,

 qui

---

d) Systema Brahm. p. 288. sub Not. (Testudo) ex hodierna Indorum australium fide et superstitione mortiferum omen est: quare plurimum ipsi conturbantur, dum testudo, præter exspectationem, domum aliquam ingreditur, id quod de Coromandelensibus testatur R. P. *Robertus*, Indiæ superstitionis satis peritus vir. Malabarenses, quamvis fame torqueantur, mortem magis oppetere volunt, quam testudinis carne eam depellere. Veteres memoriæ prodiderunt, Indos et Africanos superna testudinis testa pro Cymba usos fuisse, quod nequaquam incredibile est, cum in mare Indico ingentis magnitudinis testudines reperiantur, in quarum superficie 3 et 4 viri stare et vehi possint Confer Calepinum sub voce: *Testudo.* Testudinum illic (in insula S. Mauritii, hodie insula Franciæ) tanta moles est, ut super una stantes nostrum quatuor facile ad gressum ejus promoverentur. In testa unius decem nostrum considentes epulati sunt. Lopez in quinta parte Indiæ orientalis navigationis Hollandicæ anni 1598. Francofurti An. 1601. p. 7.

qui ætheris ſeu vitæ & mortis ſymbolum eſt e). Auguſtiora vero montis media. Hæc ſuis diſtincta ſunt gradibus, in quibus Dii Deæque, ſidera, planetæ, & quinque mundi elementa, habitu perſonarum induto, verſantur f). Faſtigiumque propius adeunti occurrunt duo Numina, in ſuo quodque cacumine monſtrata, Shiva (Sol) ejusque uxor Parvadi (Luna): quæ aſtra ſuum curſum per cœli & montis confinia peragunt, comitantibus planetis, ut contemplatoribus g) & conſiliariis h). Illa autem Numina eſſe ſimulacra primorum parentum

e) Cod. MSS. Peg. p. 833.

f) l. c. g) l. c.

h) Plato in Timæo p. 712, 713. Edit. Basil. ait: Horum vero Deorum choreas et inter ipsos concursiones, circulorumque ipsorum revolutiones varias, et accessus, quales præterea fiant conjuncti sibi invicem vel oppositi, sive ante et inter se sive retro, quidve ex illorum serie nobis proveniat, quibus temporibus, et quo pacto delitescant singuli vel emergant, quidve portentant, quando orientis hominibus, harum rerum peritis, timorem incutiunt: Hæc inquam absque diligenti simulacrorum ipsorum inspectione explicare velle, inanis est labor.

rentum, colligitur ex libro Sinico King, in quo fermo eſt de duplici monte Lienchan, de figura Kien, perennitatis ſymbolo, & de primorum parentum ſede Kieou, amœna & deliciis affluente, quæ imaginem duorum hominum, in plana terra conſiſtentium, exhibet i). Eodemque de loco liber antiquiſſimus Tshu ſic loquitur: "juxta mo- "rem pennatorum hominum ad immortalitatis mon- "tem tendam, & habitabo in antiqua patria, ubi "morti non erat locus". Quæ verba explicans commentarius, "Mons immortalitatis, ait, locus "eſt die noctequе ſemper ſplendens" k). Sed ſupremam montis Meru partem inſedit ſupremus Deus Parabrahma, qui in hoc jugo, ſimulac ex ſtagnis diluvii emerſerat, viſus, Brahmam, Vishnu & Shivam, i. e. terram, aquam, & ignem, advocavit, eisque præcepit l), ut vetera & perdita reſtaurarent, novaque crearent m). Quæ vero Mago-

i) System. Brahm. p. 293 et 294. k) l. c.

l) Plato in Timæo: ad eos mundi genitor ita fatur: Dii Deorum, quorum opifex ego et pater sum, hæc attendite. Quæ a me facta sunt, etc.

m) Cod. Peg. p. 234.

gorum ſententia Aegyptiis & Schytis opinionem fecit, montis Meru verticem mole aquarum quæ orbem terrarum ſuperfuſa preſſit, obrutum non fuiſſe n). Noſtro autem monti non ſolus hic honos eſt. Habet etiam cellulas, quæ omnes obtuſæ & inverſæ pyramidis ſpeciem præ ſe ferunt, & paratæ ſunt ſedes non ſolum Diis, ſed etiam beatis animis, qui ad eas per duodecim zodiaci ſigna o), Dei Schivæ ſeu ſolis circa montem Me-

n) Cod. Peg. p. 234. Plato in Timæo p. 706, 707. Justin. lib. 2, p. 20. Syst. Brahm. p. 281, 282. Irannya deorum seu bonorum geniorum juratus hostis, et dæmonum princeps, semper vigil, libros legis Vedam (ordo Naturæ) a dormitante Brahma surripuit, et in mare projecit. Unde genus humanum lege et regula destitutum, ipso deo Parabrahma contemto, in omnia vitia profusum, diluvium universale criminum vindictam exciverat. *Et hæc caussa diluvii.* In hac aquae mole, periclitabatur etiam ipse Manu (Noach), dum Deus Vishnu eum cum octo aliis personis incolumen restituit, et libros legis ex maris abysso prolatos servavit.

o) In Vita Pythagoræ apud Photium p. 1315. hæc: Duodecim orbes in cœlo sunt, et primum

Meru ſemitam, penetrant, & iterum per eadem ſigna redeuntes, hominibus apparent aut in eos deſcendunt p). Neque non his conveniunt, quæ re-

ac remotissimum fundamentum, ubi et summus Deus, ceterique intelligentia præditi Dii. Deinde 7 planetæ sequuntur, Saturni, Jovis, Martis, Veneris, Mercurii. Solis et Lunæ, post planetas ignis, mox aër, quem sequitur aqua, omnibus ultima subest tellus. Indis Saturnus est *Ciani* seu *Shani*, Jupiter *Brahaſpadi*, deorum magister, Mars *Ciova*, Venus *Shucra*, Mercurius, *Budha*, Sol *Sura*, Luna *Ciandra*, quorum symbola sunt Deus Shiva et Parvadi dea, ignis *aghni*, aër Deus *Indra*, aqua Deus *Vishnu*, Terra Deus *Brahma*, qui Dii montem Meru occupant.

p) Clem. Alex. Strom. lib. 5, 10, & pag. 711. edit. Venet. —— Zoroastrem (Cerathust, Arabibus Zerdeset) Plato, die ab interitu duodecimo, jam rogo impositum revixisse memorat. Quibus forte resurrectionem (*potius transmigrationem ſeu regreſſum animæ in novum corpus*), forte alterum illud subobscure significat, animos cum recipiuntur in coelum, per signa Zodiaci duodecim viam inire: per quæ similiter, eosdem ait, cum hic generatio fit, descendere solitos.

recentiores Judæi de paradiso terrestri fabulantur q).

§. V.

Quæ autem supra memoravi, Schiva, & Parvadi Numina quam præsentia monti Meru, tam propitia etiam generi humano repræsentantur: ita ut, jugi illius fastigio tanquam cœlo occupato, cœlesti etiam rore terram fœcundare videantur. Et spectaculo est expressa eorum imago. (Tab. I. Fig. II. Syst. Brahm.). Nam in alto considentes illi Dii non solum nigro flavoque distinctam tigridem, cœli stelliferi symbolum, mutuo intuentur, sed etiam Gangem & Gagram, Indiæ secunda flumina, ex suo sinu complexuque emittunt. Idem senserunt Aegyptii de Nilo, quem ex luna ortum dixerunt. Quæ

Nec aliter accipiendum est, duodecim. *Herculem* certamina confecisse, quibus exhaustis, ab universi hujus mundi angustiis animus liberetur.

q) Vide opinionem *Rabbi Mosis Bar Nachman*, aliorumque cap. 31. pag. 231 et sequ. apud Paullum Medici, *Riti e costumi degli Ebrei.* Venezia 1742.

Quæ autem de origine præcipue Gangis opinio Shivenitanis, ignem colentibus, propria eſt. Ceteris enim Indianis perſvaſum eſt, Gangem & Indum cum Packiu & Sita r), vel Gagra & Yamuna s), vel Yamuna & Calini t), vel Gagra alioque anonymo & in Tibet divergente u) (tam diverſæ diverſis locis ſunt ſententiæ), ad pedem montis Meru & quidem ex quatuor ſaxis juxta caudicem arboris Kalpavrksham oriri v). Huc etiam pertinent, quæ de Gange & Indo, ex Paradiſo manantibus fluviis, diſſerit R. P. Philippus Carmelita Discalceatus x), addens quoque rationem, cur quatuor amnes in S. S. expreſſi y), unam habere originem dici poſſint. Sed ſuperſtitio ſuperſtitione cumulata eſt, & Indiæ, quas dixi, aquis vim expiandi cujuscumque peccati adjungere, Indianorum ſuprema fuit. Quæ enim omnium præſertim Gangis eſt aqua, tam ſacra æſtimatur, ut ea luſtra-

r) System. Brahm. p. 293. s) Cod. MSS. Peg. p. 102. t) Lib. c. p. 188. u) Lib. c. p. 233. v) Syst. Brahm. p. 293.

x) Itinerarium orientale lib. 3. cap. 10. pag. 147 et sequ. y) Gen. 11. 10 — 15.

ſtralis usque in Malabariam adferatur z). Et ea lavari, non ſolum rudibus & plebejis, ſed etiam eruditis & principibus ſacramentum fuit a). Tanti autem fluvii voraginibus ſubmergi, ut verum hujus vitæ prætium, ita cineres cremati corporis in illius undas diſpergi, certum futuræ felicitatis omen habetur b).

§. V.

Colligere diligentius & perſcribere, quæ ad ſitum Paradiſi Indiani pertineant, nobis jam curæ fuit. Et reperta illus ſede in Meru, per indigenas advenasque inclito monte Indiæ; ſupereſt, ut, quæ ad ampliorem loci tam celebris notitiam aliquid momenti afferre poſſint, pari ſtudio perſequar. Hæc autem cum plura ſint, quam quæ omnia pro neceſſaria & mea ſcribendi brevitate complectar, in iis ſolum, quæ memoratu maxime digna mihi viſa ſunt, mea opera verſabitur. Sed aut propoſiti æſtimatio argumenti me fallit, aut non alia magis mentem advertent, quam quæ de arbore Paradiſiaca, boni & mali, vitæ & mortis, me-

z) Syst. Brahm. p. 44. a) Loc. cit.

b) Geographia, auctore Muhamed Abi Taleb, Arabice composita, et a me Pariſiis descripta.

memoriæ prodiderunt Indiani. Fabulosa quidem hæc, tamen non minus utilitatis quam delectationis habitura. Sub specie enim ficti aliquid veri latet, quod ipsum, sublato symboli tegmine, patescet, fidemque historicam merebitur. Si autem cui populo licuit, per figuras animalium sensa mentis effingere, danda fuit hæc venia Indiano, quo ambigam fueritne alius antiquior, ut hoc figurato & antiquissimo scribendi genere uteretur, &, litterarum arcano nondum reperto, imaginibus rerum monumenta temporum, locorum hominumque exprimeret. Et, sicut ætate, ita auctoritate etiam & fide plurimum apud nos Indiani valebunt. Neque enim verisimile est, hanc gentem in tradenda tuendaque vetustatis memoria tot labores & pericula subire voluisse, si ex suo tantum ingenio annalibus addita esset fides; quam itaque omnem iis demere, æque incongruum nobis foret; adeoque dicendum, quæ Indianorum fabulis locum dedere, in ipsorum terra accidisse, aut aliunde accepta, & ex fama tradita fuisse. Ea autem explicare, nostri neque temporis neque consilii est: explicanda ostendisse, satis erit.

§. VII.

Jam primum omnium in Museo Borgiano occurrit simulacrum Vishnu, quo Indianus hic Deus exhibetur in piscem ingentis magnitudinis cœlo-delatus, sed hiante illius ore egrediens, albicantibus in mari tranquillo nymphæis & rutilante sub ortum sole, quasi palam collocatis duobus principiis, quæ humore suo & calore vim generandi alerent & ministrarent a). Et hæc ratio secreti. Deus Brahma (sic fabulantur Indiani) cum mundum condidisset, quieti se dederat, tamquam opere tantæ molis fatigatus, aut supremi numinis Parabrahma immemor. Incuriam vero fortuna deprehendit, & Irannya b) princeps Dæmonum

a) Systema Brahm. p. 279. Tab. IX. b.

b) Hoc vocabulum R. P. Ildephonsus in cod. Mss. lib. 3. cap. 3. Scribit. *Irreniaczen*, quod significat *dominum Irannya*, nempe Dominum ira et furore plenum, genium potentem. Sonnerat Tom. I. p. 281 — Scribit. *Canagacchen*, *Calakégen*, — quorum illud secundum *peccati Dominum* denotat. *Calakam* enim *peccatum*, *ègen vel èschen dominum* seu peccati auctorem significat. Syst. Brahm. p. 280. not. 1.

num ſemperque vigil, dormiente mundi auctore, ſurripuit codicem ſacrum Vedam c) eumque in mare projecit, ut, ſublata virtutis norma & magiſtra, in vitia genus humanum erumperet. Et erupit,

---

c) Vocabulum *Védam* vel, ut Indostani et Nepalenses scribunt, *Ecd*, radicaliter et proprie doctrinam sacram de cultu solis, lunæ, planetarum et elementorum significare nos in Grammatica Samserdamica p. 75. docuimus. Et quid de vocabulo *Bedy*, quod a Bed a Græcis corruptum descendit, Clemens Alex. lib. 5. stromat. §. 243. ex Orpheo aliisque docet:

Και Βεδυ Νυμφαιων καταλειβεται αγλαον υδωρ

— — Liber *Védam* est allegoricus, *liber Naturæ*, ordo, concinnitas, harmonia coeli terræque, elementorum, rerum denique terrestrium naturalis concordia, quæ concussis per diluvium terræ cardinibus in mare decidit, et quam Vishnu, virtus nempe illa die mundi conservatrix incarnata, restituit. Quare fatentur Brahmanes librum *Védam*, verum illum et historicum, non existere, id quod etiam observavit Sonnerat. Tom. 2. pag. 41. — Syst. Brahm. p. 281. not. 3.

pit, mox autem irato propter mores ſupremo numine Parabrahma & diluvio periturum d). Superſtes fuit ſolus Manu, vir juſtus, quem ut generis humani alterum parentem, ita ſuæ etiam gentis legislatorem Indiani celebrant e). Opem enim periclitanti tulit Vishnu, mundi conſervator, qui librum aqua merſum Védam in ſiccum quoque expoſuit. Inde nova rerum facies: & reſtitura eſt ex loto & buccino arbor paradiſiaca, quæ, in monte Meru ſata, futuræ felicitatis perpetuitatem, quo modo par boum pari paſſu illuc aſcen-

d) Syst. Brahm. p. 282.

e) Syst. Brahm. p. 69. hæc habet: — — — ibidem Adidi feminam deorum omnium matrem scribi. Ex ea natus *Suryen* seu Sol, inter Indicos deos primicerius. Ex hoc natus *Manu*, seu ut alius placet, *Menu*, primus Indorum Rex, qui sane cum primo Aegyptio rege *Menes* unus et idem est. Ab hoc Indi suas se institutiones civiles accepisse gloriantur, atque sub nomine ipsius hodie dum exstat in Indiis Liber *Manusmrdi* inscriptus, qui memorialia Manu seu Systema legum Indicarum continere dicitur. De eo vide Asiatick Researches, pag. 352. Syst. Brahm. p. 62. 80. 140. 193. 207. 209. 216.

ascendens novæ stirpis originem portenderet f). Idem affirmant Japonenses de suo Deo Canon ; hoc solum discrimine, quod Numen illud tutelare, cum alte superfusa terrasque inundans aqua cæteros mortales hauriret, Regi Manu, qui sua justitia meruerat, ne illius familia exstingueretur, non natanti, ut Indorum est persvasio, sed in concha g) recurva naviganti, & quidem specie piscis induta, subvenisse referunt h).

§. VIII.

Effusis autem (fabulari pergunt Indiani) super universi orbis plana & edita stagnis, exstabat tamen mons Meru, quem sibi sedem Sol quæsivit, orto inter bonos malosque Genios certamine, Et in

f) Syst. Brahm. p. 282.

g) Rationem, cur hæc loco navigii in Tabula Japonensi Deo Canon tributa sit, petas ex Schedio, qui ait : *inter concharum genera Nerites per maria navigantes : præbentes concavam sibi partem, alteram vero flanti auræ instar veli opponentes. Hinc etiam* ΔΙΩΝΗ *ab humiditate dicta.* Syst. Brahm. p. 283.

h) l. c. et Pivatii Dictionarium. Tom. 8. p. 209.

in caussa pugnæ ambitio & invidia, prima mundi peccata, fuerunt. Cupido animos incesserat ambrosiæ, quam ex memorato paradisi saxo, si Indianis, aut ex trunco arboris vitæ, si Japonensibus credendum sit, exprimere, labor & difficultas erat. Sed ferventibus sic studiis, concussa est tam altæ radicis rupes aut stipes, & in mare medium præceps ivit. Hinc Genii, quibus in illius loci incolumitate spes omnis posita erat, supplices manus Deo Vishnu tendebant, precibus fusis, ut qui tutamen totius mundi susceperat, præcipuam illius partem salvam esse vellet. Neque votum frusta nuncupatum. Confestim & quidem specie testudinis in profunda maris se proripuit hoc Numen, & ad illius ima casuram beatitudinis molem subjectis humeris excepit & sustinuit i). Fiducia inde & robur accessit Geniis: &, paradisiacæ rupi aut arbori circumdato serpente, qui Geniorum boni erant, caudam prehendendo, qui mali, caput arripiendo, & utrimque trahendo, ambrosiam elicere certatim nitebantur. In Tabula vero Borgiana primus Deorum, caudam serpentis trahentium, est Brah-

i) Syst. Brahm. p. 285. Tab. IX. c.

Brahma, quatuor faciebus, & libro, quem manu tenet, diſtinctus: ſecundus Vishnu, florea ſerta aut monilia ex collo portans: tertius Shiva, tigrina pelle circumdatus, & in capite ſerpentem cucullatum, manu vero tridentem, cui appenſum hæret tympanum, geſtans k). Pari tamen ſtudio par eventus non reſpondit. Nam in pretium laboris ceſſit, illis quæſita immortalitatis eſca, quam per undas diffuſam medicus cœleſtis Danuwandra collegit, Divisque bonis diſtribuendam Deo Vishnu obtulit, his autem venenum, quo ſerpens, tantæ frictionis impatiens, mare univerſum infecit. Hinc Geniis Malis adverſus Bonos materia odii, & bellandi principium l). In his quoque ejusdem veſtigia opinionis apud Japonenſes manent. Id ſolum intereſt, quod illorum Canon trunco arboris vitæ & mortis, Indorum vero Vishnu cacumini montis Meru, uterque tamen nymphææ inſidentes exhibentur, coma & facie nigra aut crispa, coronato capite, pedibus decuſſatis, & quatuor quisque manibus inſtructi, quarum una lo-

tum,

k) l. c. l) l. c.

tum, altera sagittam vel sceptrum, tertia buccinum, quarta rotulam tenent m).

§. IX.

Indiani vero Paradisi arborem, vitæ & mortis imaginem, bellique inter bonos malosque Genios orti originem, propius intueri curiositatis interest. Viguit hæc in monte Meru, nec nisi una fuit; plures enim vetustissimi Brahmanum libri non admittunt n). Et nomen ei conveniens ingestum est Kalpaurksham, compositum ex Kalpam, cui firmitatis, justitiæ, immortalitatis, recti et inconcussi ordinis stabilitatisque notio, & Urksham, cui arboris subest o), Appellationis caussa fuit fructus, qui ipse perpetuus nec fortunæ subjectus, immortalitatem attulit. Neque aliquid ambigui hæc interpretatio continet. Pro argumento est illius fructus nomen. Vocatur enim amrda, quæ vox in Amarasinha, vocabulario Brahmanico, immortalitatis, dulcedinis & satietatis potestatem

---

m) l. c. p. 287. Tab. IX. b. c. et Pivat. Tom. 8. Tab. 43. n) Syst, Brahm. p. 292.

o) l. c. p. 280, 290.

tem habet; quippe cum compofita fit ex a, non, & mrda, mortalitas, quomodo Græcum ἀμβροσια ex α & βροτος dictum eft, ita ut dapem immortalitatis fignificet p). Cibi vero an potus hæc fuerit, in incerto eft. In hoc enim perinde Indiani quam alii inter fe diffentiunt, in vicem ambrofiæ genere herbæ aut mellis vel lactis venditato q). Utcumque fuerit, dubitationem non habet, illud vocabulum vi fuæ originis fignificare immortalitatis fuccum aut liquorem, quem boni malique Genii, compreffa paradifi, ut fupra dictum eft, rupe aut arbore, exprimere voluerunt r).

p) l. c. pag. 284. Athenæi Coenæ Sapientum lib. XV. Item Ludovici Cæli Rhodigini Lectionum Antiquarum. Tom. 4. lib. 28. p. 547.

q) Malabarenses Indi ambrosiam lac dulcissimum esse dicunt, quod potum immortalitatem tribuit. Macrobius lib. I. Saturn. cap. 12. altissimam et purissimam animæ vel cognitionis partem, qua divina sustentantur et constant, nectar vocari, et potum deorum esse dicit. Syst. Brahm. p. 284. Not. I.

r) Lib. cit. cit. p. 284.

§. X.

Sed memorata paradiſi arbor, ut vitæ, ita etiam mortis dicta eſt. Et indita fuerunt hæc nomina, non quaſi rem, quæ utriusque ſemina in ſe continuit, proprie denotarent, ſed ut virtutis & vitii futura prœmia; felicis & infelicis humanæ ſortis æternitatem translate demonſtrarent s). Translationis autem loco ſi qua arboris ſpecies poſita fuerit, Myriſticam eam fuiſſe, facile quis crediderit. Atque ſic credendi plures ſunt rationes. Primum montoſis regionibus hæc propria eſt t), quomodo Paradiſiaca Kalpavrkſham in monte Meru ſuas radices egit. Tum ſemper quaſi ipſa vivens perpetuæ eſt fœcunditatis; ſenſim enim florens & matureſcens totum per annum fructus edit u). Deinde illius nuces quam ſalubres, tam mortiferæ etiam cognitæ ſunt; quippe cum earum uſus & halitus, niſi modus & cautio affuerit, mentem, & vitam interdum exſtinxiſſe dicatur v). Et denique Pa-

s) Syst. Brahm. p. 290. t) *Diſſertatio Acad. De Myriſtica* (pag. 4.) a cel. Prof. Thunberg edita. Upsaliæ 1788. u) l. c. p. 5. v) l. c. p. 8.

Paradisiaca hæc arbor, sacra & sacrificio æterni ignis dedicata x), postquam binæ pro una, ut infra dicetur, flexu ætatis placuerant, principem & vitæ locum retinuit, altera autem & conjugata, eum qui mortis est obtinuit.

§. XI.

Hæc vera & antiqua de arbore paradisiaca Indorum doctrina fuit; quæ autem recentius, & cum aliquid ambigui inculcare visa sit, in talem modum mutata aut explicata est. Scilicet, cum non satis intelligeret vulgus, quo naturæ arcano bonum & malum fructum una eademque arbor tulerit, duplicem illius speciem, alteram vitæ, alteram mortis, fingere & in paradiso collocare, sapientiæ doctoribus placuit y). Et sua cuique ut vis, ita etiam positio & appellatio addita est. Arbor vitæ, (quam in Cosmogonia Indico — Tibetana esse arborem, arbori mortiferæ Ciambæ a sinistra oppositam, dixissem, nisi hoc verbum Auctoris silentium sustulisset), appellatur Paramagiadika, ex Parama re excellentissima, & Gja-

x) Cod. Mss. Av. Reg. p. 248.
y) Syst. Brahm. p. 292.

Gjadika **nuce myristica**, ita ut nucis **myristicæ** hæc fuerit z). Neque non ratio appellationis in promptu: Nux enim myristica vi saluberrima, neque minus animi quam corporis reficiente vires, nobis cognita est. Et si magna ejus virtus est in regionibus, quæ temperie cœli gaudent, quanta erit, ubi nihil non plurimo sole torpet & languet? Ideoque Indiæ regibus semper in deliciis hæc fuit, cibi non tantum simplicis, sed etiam quæsiti condimentum a). Neque singularis & Indianis propria aut cum Japonensibus b) tantum

---

z) L. c. p. 291. Et R. P. Marcus a Tumba in codice Mss. Musei Borgiani ita scribit: *Il monte Sumeru* (i. e. Meru) *che sta nel polo artico* (infra fines Indiæ sito) *è in fronzato dentro la terra. Egli è di colore d'oro — sopra di questo l'è l'albero della vita, detto Paragjatek, albero, che da per frutto l'ambrosia o nettare detto amrit* corrupte pro amrda. a) Syst. Brahm. p. 292.

b) Engelbert Kämfers Geschichte und Beschreibung von Japan. Tom. I. p. 296: *Der erste Stam dieser Religion* (Budsdo) *ist nirgend anders als bei den Indischen Brahmanen zu finden. Diese ihre Lehre hat gleich dem Indischen Feigenbaum von ihren weit verbreiteten Aesten und Zweigen immer neue*

tum communis est hæc doctrina. Ad terrarum extremum & Chinensem quoque orbem ea penetravit. Et testis est manuscripti & in Bibliotheca S. Congregationis de propaganda fide servati codicis auctor anonymus c), qui, postquam haud pauca ex Chinensium annalibus de monte immortalitatis, prima & beata hominum sede, attulit, hæc ex libro, quo immortalitas promittitur, addit; Fons nuditans (Fons loci, cujus incolæ nudi sunt) "annos sistit, seu amovet senectutem, & spiritale lignum vitam producit. Ii, quibus horum "usum natura concessit, ætatem proferunt in longinquum sine termino". Igitur Imperator eorum Schi-chuan-di duobus ante Christum natum seculis pelago naves commisit, ut herbam inveniret, ex qua potionem immortalitatis elicere posset. Talem ve-

Wurzeln abgelassen und fortgeführt, bis sie endlich auch die äusserfsten Gränzen des Ostens erreicht und erfüllt hat.

c) Inscribitur: Dialogus Sinam inter et Europæum occasione motuum, quos errantes quinque stellæ valde inordinatos habent, ex veteribus libris Sinensibus Canonicis. Syst. Brahm. p. 293.

vero cum etiam sibi tribus & quadraginta post annis Imperator Venti male composuisset, pari cum Geniis malis, quibus eadem fuit cupiditas, exitio, & quidem in flore ætatis cecidit d). Neque defuerunt Indiani & Tibetani, qui ex judicii imbecillitate, aut alia quadam animi intemperie abrepti, in quærendo ejusdem nectaris poculo multum operæ & pecuniæ collocarent e).

§. XII.

Cognita arbore paradisiaca, quæ vitam dedit, superest, ut ad eam, quæ mortem attulit, properemus. Seorsim & ad australem montis Meru partem quasi periculosa & cavenda in Tabula Indico — Tibetana hæc constituta est, & varie appellatur; vere ab Indianis Ciamba, corrupte vero ab

d) Syst. Brahm. p. 289, quo loco etiam hæc ex Pav allata: Et quidem in hac regia Pequinensi, in qua degimus, pauci sunt omnino magistratus, eunuchi, ceterique primores, qui non hoc insaniæ morbo laborent. Et quoniam non desunt discipuli, ita neque magistri superioribus tanto cariores, quanto immortalitatis per se majus est studium, et acrioribus igniculis excitat ambientes. e) Syst. Brahm. p. 290.

ab Indoſtanis Gjamun, & a Tibetanis Zampŭ, quæ ſermonis vitia in ore peregrino illud nomen protulit f). Neque honeſtius vocata eſt hæc arbor Jamboeria a Luſitanis, qui coloni diſperſique per Indiam ſpes ſuas & fortunas verſant. Proprietati autem nominis iſti homines accedunt propius, cum fructum arboris Jamba appellant, pomum Adami interpretantes: cui interpretationi locum fecit pervulgata apud eorum hoſpites fama, in monte Meru, Indorum paradiſo, mortis arborem Ciamba floruiſſe g). Tamen, cujus hæc ſit generis vel ſpeciei, cognitu difficile eſt. Si ex illius fructu, qui pomum eſt viride, intus pulpa lactea repletum, & ſua indole calidiſſimum h), facere conjecturam licet; eſt Arabum Belazer (بلاذر), i. e. Anacardium, ita dictum, quod illius fructus figuram & fere colorem cordis refert i). Nam ſaporem hic habet mellis, ſed ita ferventis, ut avidum, & qui inde ederit, hominem febris & inſania corripiat k). Idem fere de pomo

f) Cod. Mss. Reg. p. 238. Syſt. Brahm. p. 291.
g) Syſt. Brahm. l. c. h) l. c.
i) Plemp. in Avic. I. p. 141. I. 20. Ar.
k) Cod. Mss. Arab. Paris. N:o 581. auctore Muhammed Taleb, hæc habet: بشواطي هذا

mo Jamba memoriæ proditum eſt, quod narratur plurimum quoque in ſe caloris continere, & ad concoquendum tam difficile eſſe, ut illius vi ſtomachus vel robuſtiſſimi hominis ad vitæ usque diſcrimen macreſcat & delabatur. Quamobrem mos eſt Indianis, qui dant operam abortui, aut quibus odium in aliquem capitale eſt, ſuccum pomi Ciamba lacti vaccino miſcere, & hoc poculo quaſi repentino veneno perinde fœtum quam hoſtem e me-

---

النهر (بنزي) شجر البلازر وهو شجر
يشبه التمر الهندي ويشبه شجر
النبق ايضا وثمره ثمر البلازر ويكون
له عسل كثير يقتل باحراق الاخلاط من
ياكله وهو يزيد في الذكا للمبرودين
ويحرق المحرورين يطيش عقولهم

ab utraque ripa fluminis (Benzi) reperitur ſpecies arboris, quæ dicta Belazer, haud diſſimilis eſt Tamarinno aut Loto (Nebeca Prosp. Alpini, Rahmnus Spina Christi Linnæi). *Continet illius fructus multum mellis, quod vero hominum, qui eo veſcantur humores ad vitæ usque periculum ita accendit, ut incaleſcant frigefacti, & calefacti inardeſcant, menteque capti evadant.*

medio tollere l). Inde etiam eſt, quod ex pomis tam mortiferis, deciduis, ſtratisque ſub arbore jacentibus & deliqueſcentibus, Yamuna (Stygem), a Yama Inferorum Deo dictum, oriri arbitrantur m).

§. XIII.

Finem vero ſcribendi facere magnitudo voluminis jubet; tamen quæ ſcripſi, etſi pauca ſunt, pluribus materiam ſuppeditabunt. Nam pertinet ad eos, quibus natura ingenium, ars doctrinam, ætas prudentiam, fortuna tempus, & virtus voluntatem dedit, ulterius videre, qua via & ratione hæc pervetuſta, & per disjunctiſſimas terræ orientalis regiones vulgata, tamen conſentiens vox & traditio Moſaica oracula de prima mundi facie

l) Syst. Brahm. p. 292.

m) Musei Borg. cod. Mss. p. 237. System. Brahm. pag. 291 et pag. 286. sub. not., ubi hæc Marcus a Tumba scribit: *A mezzo giorno di questo monte v'è l'albero giamum* (Cambula). *Li frutti di questo albero cadono per terra, e dal loro ſucco ſe ne forma il fiume Giamuna* (Styx seu Stygis flumen) *che entra nel Gange nella citta di Elenbad, fiume molto ſacro.*

primorumque hominum beata ſede, de arbore ſcientiæ, boni malique interprete, de vitæ & mortis propoſita divinitus conditione, & ceteris, quæ interpretum ingenia tam diu in diverſas & arduas traxerunt ſententias, confirmare aut illuſtrare poſſint. Ne autem tanti rem momenti leviter & nominatim modo tegiſſe videar, quod in illius cognitione præcipuum mihi viſum eſt, animadvertere licet. Relicta nobis eſt antiquiſſimi & Aegyptiaci noſtroque Indiano ſimilis monumenti imago. Nam Thebano in ſaxo arborem, & circumpoſitas tres perſonas, ſcilicet ab utroque latere duas & quidem ſublatis quaſi ad capiendum illius fructum manibus, tertiam vero illius conſilii obſervantem & pone defixam hæc repræſentat n). Quam vero ſiniſtre interpretari, & ad Hori, Iſidis & Oſiris vitam, tamquam Moſi ad componendam Paradiſi ſcenam propoſitum exemplum, referre recentius placuit o). Sed vereor, ne pars ſit licentius uſurpatæ libertatis iſta opinio. Si enim vero propius eſt, Aegyptios ab Indianis, quam Indianos ab Ae-

n) Voyage en Egypte p. M. Norden. Tab. LVII et LVIII. o) Nysa p. 58. seqq.

Aegyptiis, literarum & artium ſecreta didiciſſe, aut vero proximum, omnes ex eodem fonte hauſiſſe, & prima mundi humanique generis fata per longam annorum ſeriem tradita a patribus antediluvianis, & incorrupta accepiſſe; hæc interpretatio, quantumcumque ſubtilis, falſa videbitur. Pleni conjecturis tam levibus libri, plena hæc & antegreſſa ætas. Cauſſa fuit, quod, ubi ſcire non licuit, fingere placuit. Ea vero cum lex ſit hiſtoriæ, ut quo factum, non quo ingenium ducat, ſequamur, in re tam ſacra ita intueri vetuſtatis monumenta, ut ne judicio abutamur, pium & honeſtum erit.

XXXIII.

De INFERIS INDIANIS.

§. I.

Diſſertationi, quæ de Paradiſo Indiano inſcribitur, hæc, cujus titulum vides, ſubjicienda fuit. Nam de bonis & malis comparate melius judicatur: &, duobus his oppoſitis ad ſe invicem relatis, quicquid unius in tabula illuminatum fuerit, ex

ex alterius umbra magis exstabit & eminebit. Neque restrictus hic usus. Quæ Aegyptiorum, Græcorum & Romanorum de felici, infelici mortalium post fata statu opinio fuit, recondita & abstrusa est. Quod enim, licentia vetustatis, fictum, &, vitio humanæ imbecillitatis, creditum fuit, id decursu seculorum longe lateque per gentes lingua & moribus diversas fusum, poëticis sic fabulis auctum & decoratum est, ut, quid suo ex ingenio petitum, quid aliunde acceptum fuerit, discernere arduum sit. Quæ vero Indiana sunt monimenta evolvendo interpretandoque origines tam fœcundæ superstitionis facilius investigare, & illius species magis minusque a prima stirpe degeneres clarius cognoscere licebit. Quæ tamen disputatio, longa & subtilis, hujus temporis & nostri consilii non est. Ostendere quædam lineamenta, quæ noscendæ universitati materiam & occasionem dabunt, his ingenii rudimentis sufficiet.

§ II.

Vetus apud Indianos est memoria, totius machinam mundi ex ovo natam fuisse a). Quæ persva-

---

a) Mus. Borg. Vel. Cod. Manuscr. pag. 235. Tota mundi moles, seu Meru, paradisus, terra,

ſvaſio recentius etiam viguit, neque his temporibus mutata eſt. Verba autem & ſententias variare figuris & diſtinguere, ſi rudibus ſeculis licuit, non alia ſimilitudo, ſive materia ſive forma ſpectetur, ad exprimenda univerſæ naturæ primordia congruentior ſuccurret. Etenim ovo, ubi calor acceſſerit, vis generandi ineſt: & quomodo, incubante ovo gallina, quod intus latet pulli, editur, ſic, fovente mundi orbem Numine Parabrama, quicquid immenſo ejus ambitu continetur, creatum ſtatuitur. Et his ſimilia ſunt hæc Moſaica b): ורוח אלהים מרחפת על פני המים Vertit Syrus: ܘܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ ܡܪܚܦܐ ܗܘܬ ܥܠ ܐܦܝ ܡܝܐ et Spiritus incubabat aquis. Quæ verbi רחף notio eruitur ex Deut. 32: 11. כנשר יעיר קנו על גוזליו interprete Syro: ܘܐܝܟ ܢܫܪܐ ܕܐܪܝܡ ܥܠ ܩܢܗ ܘܥܠ ܦܪܘܓܘܗܝ ܡܪܚܦ ficut aquila, quæ volat in ſuum nidum, pulliſque ſuis incubat. Et eadem eſt Arabici فرخ mollem, teneram reddidit maſſam fovendo v. c. de gallina incubavit

aqua, cœlum, infernus uno continentur ovo, seu circulo figuræ ovalis. b) Gen. 1: 2.

vit ovis. Ita hic locus, qui ingenia interpretum tamdiu pressit & distraxit, bono in lumine collocabitur. Ad propositum vero revertar, & quæ Indianorum de initiis mundi translata est oratio, sic continuatur. Ovum illud ingens novis rebus materia, sed rudis indigestaque moles erat; agitante autem foventeque Supremo Numine calescens, maturatum & ruptum fuit, atque globosum, sed deforme & cæcum chaos, jam hiulcum, ex suo sinu complexuque nihil non mundani orbis elicuit & excussit. Sic, quod vacuum & inane fuerat, formam, vim & speciem accepit. Atque in tres partes id omne divisum; servato hoc ordine, ut suprema septem cœlos, media septem continentes, & infima septem maria constitueret c). Ejus autem modi commento an, quod ovi candidum, luteum & liquidum sit, locum fecerit, haud nihil ambigam.

§. III.

Supra dictis, quæ dicenda sunt, cohærent, & figurata figuratis cumulantur. Ut ovi, sic mundi duplex

---

c) Lib. cit. pag. 235, 236. cfr. Syst. Brahm. p. 163, 164.

plex ſtatuitur vertex: & quemadmodum in boreali Paradiſus, ita in auſtrali Orcus collocatur d). Talia autem fabulantibus, me judice, pro ratione ſtetit, quod ille ſublimis & ſtellifer ipſam per noctem adſpicitur, hic autem cæcus & abſtruſus infra cœlum & ſidera cadit. Unde fingendis æternis tenebris inferisque ſedibus non alius locus magis opportunus. Et qui patet terminus, minaci fluvio tutus creditur. Indianus ille Acheron inacceſſo & ſeptentrionali montis Meru perpetuo jugo effuſus, vaſta & horrenda gurgite, cui Yamuna ex illius fratre Yama nomen eſt, hauritur. Et æſtuantibus his aquis ad Stygiam ſedem, quæ præceps tendit ſub umbras, quantus cœli adſpectus in ſublime abit, nocenti animæ, pœnas daturæ, trajectus eſt e). Nec pigebit hic legere, quæ Plato in Axio-

d) R. P. Marcus a Tumba in Indico libro Bhagadapurana p. 152. Cod. Miss. *dicono, che il globbo terreſtre è come un' ovo, ed è perpendicolare, cio è col polo artico ſopra, in dove pongono il monte Sumeru* (pulchrum Meru) *con tutti li paradiſi, e polo antartico ſotto con una tal qual ſpecie a inferno.* Cfr. cit. Cod. Manuscr. p. 236, 237.

e) Cit. Cod. Manuscr. p. 237. Inferni Indici locus est sub fluvio Zamuna, qui a borea ex uno

Axiocho ex ſententia Magi Gobriæ refert: "ani-"mam, poſtquam a corpore ſit exſoluta, in ignotum "quendam locum ſubterraneo diſcedere receſſu, in "quo Plutonis ſit regia nihilo minor, quam aula "Jovis. Terra enim mundi medium tenente am-"bitum ejus eſſe globoſum, cujus alterum quidem "ſemiorbem Dii ſuperi acceperint, inferi alterum". Pervetuſta itaque hæc de inferis doctrina ex India in Græciam perlata eſt.

§. IV.

Hæc loci inferni poſitio ex Indianorum judicio eſt. Quæ autem ſors illius & conditio ex hujus gentis opinione ſit, paucis jam dicam. Neque alia triſtior, aut triſtius effigiata. Quæ enim ultimi fati, felicis in paradiſo, infelicis in orco, ficta & picta eſt imago, haud minus hinc terroris, quam inde oblectationis præbet. Et quantum gaudii

---

montium, qui monti Meru adstant, effunditur: atque hic fluvius Indis Stygis flumen est, per quod impiæ animæ ad infernum devehuntur. Quare ipse Deus Yama, a quo Yamuna flumen nomen suum accepit, hujus fluminis frater dicitur.

dii probis hominibus apud Superos, tantum supplicii damnatis apud Inferos paratum. Videlicet princeps ut Deorum Parabrama, sic Dæmonum Yama est: & Shivæ, quæ in Trinitate Indiana est prima persona, minister, hominum judex, criminumque vindex hic vocatur f). Alia etiam nomina ex officio ei indita, quæ si interpreteris, "virtutis, boni operis rex, minister, judex, defunctorum dominus, parentum, qui corpus exuerunt "dominus, inter bona & mala opera dijudicans, ea

f) Pausanias ait, ex Magorum sententia, duo esse principia, *bonum* Jovem et Oromasden, *malum* Plutonem et Arimanium, et homines immortales fore. Zend Avesta T. I. Sect. Post. p. 140. Le sejour d'Ahriman et des damnés est nommé, en Zend, Temestchethrem, germe de ténébres les plus noires, et en Parsi Douzakh. Ibid. Vendid. fin. du farg. 5: il ira dans les noires demeures des Darvands, lieux de ténebres, germe des ténebres les plus epaisses. Telles sont ces obscures (retraites). C'est dans ces sombres cachots que vous (irez), vous, qui agissant contre votre propre Loi, êtes devenu la proie des Devs. Vous vous êtes réservé ces horribles lieux.

"sibi invicem conferendo sententiam ferens, & "unicuique suum tribuens, humanæ vitæ scriptor, "actionum humanarum finis, Styx, Stygis frater, "Deus plorare faciens", sensu valebunt g). Et titulis par potestas. Potestatis autem expressa effigies est tribunal, quod inexorabili huic Numini in Indiano & Borgiano monimento tributum exhibetur. Regale id solium est: & Yama, qui illam sedem tenet, obeso corpore, tumido ventre, crinibus arrectis, trucibus oculis, & vultu in severitatem composito eminet. Hæc verendæ majestatis signa. Et ut, quæ sagacitatis & justitiæ sint, nec deessent, manu sinistra speculum, dextra furcam gerit. Quemadmodum vero unius usu, quicquid humani & mali moris fuerit, acutissime hic inspicit, sic alterius ope gravissime id punit h).

§. V.

Enimvero si penes Judicem, cujus mentionem fecimus, consilium & auctoritas, penes illos, qui administri & satellites in eadem Musei Borgiani tabula ei dati sunt, obsequium & parendi amor est. Ab uno latere assidet Genius, qui gemina

g) Syst. Brahm. p. 177. h) Lib. cit. p. 178.

mina lance, (qua quidem altera pondus, altera animum videbis ſuſpenſum), bona malaque hujus opera librat & æſtimat, ut illum, compertis ſordibus, diutius in tartaro torquendum detineat, aut, iisdem expiatis, Deo Yamæ liberandum præſto ſiſtat i).

Ne-

---

i) Mus. Borg. Cod. Manuscr. p. 26. Samanæi et cum his Talapoini animam quidem in se sanctam et perfectam esse censent, sed corporeorum sensuum adhæsione ad res terrestres coinquinari dicunt, ex quo fit, ut anima, contracta labe, transmigratione et poenis purgari debeat, — — neque gloriam adipisci queat, quousque perfecte purgata non sit.

Cfr. hæc Corani Sur. 19. 68: ingressuri sunt Gehennam omnes, boni et mali, sed boni liberabuntur.

Syst. Brahm. p. 17, 18: Brahmanes duas in homine animas admittunt, rationalem nempe et sensitivam. Hanc omnibus communem et caducam, illam rationalem post mortem superstitem esse, transmigratione a peccatis purgari, poenis etiam inferni subjectam esse, quousque omnia expiet, demum æterna gloria consortem fieri contendunt. — — — Modernorum Brahmanum eadem sane est opinio.

Neque probitatis, pravitatis experimentum hoc solum est. Hinc, illinc conspicui sunt alii etiam Genii, qui, positis calculis, albis nigrisque, & subductis rationibus, de animæ cujusque statu & habitu certiorem gravissimi judicii Præsidem reddant. Qui vero mos in vita etiam communi Indianis est cultus. Nam periculum suæ innocentiæ facturi, perfectæ, imperfectæ illius ratiocinationem, jactis lapillis, computant. Hæc supra, & dextra sinistraque. Infra vero & in fundo tabulæ miserabile præbent spectaculum memoratæ animæ, quæ in ahenum detrusæ, aut verubus transfixæ, aut sartagine & trullis elixatæ, aut sub furcis vinctæ, inter ignes & verbera cruciantur. Totum denique cyclum, qui dimidia ex parte, bonorum beatitudinem in albo, malorum vero pœnas in nigro ostendit, horridus, trioculus, ore dentibusque hians, defunctorum supremus Judex, qui ideo mortuorum calvarias in capite gestat, potentissimus Indiæ & Tibeti Deus Shiva, vicem mortalium post fata subeundam commonstrans, amplectitur k).

§. VI.

---

k) Lib. cit. p. 178.

§. VI.

At inferorum ut imperator Yama, sic imperatrix Kali (Luna) habetur: & quæ Shivæ (Soli), eadem huic generandi destruendique vis tribuitur. Quod tamen nomen nonnisi obumbratæ huic Deæ competit; candida enim plenoque orbe radians, Shivæ Dei uxor & Parvadi appellatur. Sic Indianorum hæc Proserpina est. Et talem, quæ addita species & forma est, facies instar carbonis nigra, oculi hiantes, dentes longi & prostantes, pro inauribus duo elephanti, & capilli in modum caudæ pavonis arrecti, serpentibus amicti & horridi, decent. Sic etiam quæ sævitiæ instrumenta ei afficta sunt, plura brachia totidemque manus, quibus gladium & tridentem ad percutiendum, catinos duos ad excipiendum bibendumque sanguinem, frameam obliquam seu retortam, rotam ferream & acutissimam, cultrum pergrandem & clavam tenet, haud minorem sui metum injiciunt. Et equus, quo vehitur, Dæmonis, supremus his cumulus accedit. Quæ vero symbola Deam, mali ultricem, ira, odio, furore in malos sævientem & implacabilem significant. Quapropter illa ex ignito oculo Shivæ, quem in media fronte habet, nata dici-

tur

tur 1). Hæc ſunt, quæ de Indorum inferis apud probatæ fidei auctores inveni.

XXXIV.

De AQUA INDIANIS SACRA.

---

§. I.

Alia aliis gentibus ſupremi Numinis fuit religio, ut illius perſvaſionem cæcis & ſuperſtitioſis animis fecerat, quidquid in rerum natura ſpecie & uſu præcellere viſum eſt. Ignem itaque, Aquam & Terram, quibus tanta generandi alendique vis inſita eſt, colere Indianis in more fuit. Perſcribereque omnia, quæ ad triplicem illam pietatem pertineant, nec injucundum, nec omnis id expers utilitatis foret. Cum vero plura ſint, quam quæ mea amplecti poſſim ſcribendi brevitate, in iis tantum commemorandis, quæ Aquam ejusque cultum ſpectent, opera & mens mea verſabitur.

§. II.

---

1) Syst. Brahm. p. 99, 100. cfr. quæ et Macrob. lib. I. Satur. c. 21. ex Assyriorum religione docet.

§. II.

Memoriæ proditum est, Indianos duo statuere principia rerum singularia tantumque sui similia, calorem & humorem. Quibus tamen & tertium ex utroque ortum, terram addere iis placuit. Inde caussa & origo Indianæ Trinitati. Nomina sunt Shiva, Vishnu & Brahma, quorum unum Ignem, alterum Aquam, tertium Terram significat a). Et hæc Numina, quorum consilio exstitisse, quorumque auspicio gubernari orbem terrarum fabulantur Indiani, sua ut simulacra ita templa habent; si Brahmam exceperis; neque enim illum magis Deum, quam ætherem, qui ubique diffusus ambit tellurem, loco aut æde contineri posse arbitrantur. Tota igitur vis Philosophiæ & Religionis Indianorum circa Aquæ & Ignis elementa, humano generi maxime profutura aut nocitura, versatur. Scilicet in re sacra etiam gens hæc in diversa tendit; qui non minus nomine quam cultu differunt; & qui a suo, quem quisque sequitur Deo, Vishnuvitæ & Shivenitæ appellantur.

§. III.

---

a) System. Brahmanicum p. 110. Disput. De Trinitate Indiana.

§. III.

Aquæ autem qui ab Indianis habetur honos, tanto major est, quo benignius Numen illius Vishnu innotuit. Et hujus speciminâ benignitatis plura sunt edita: quorum modo duo, ut omnium maxima, commemorem. Unum fuit, paradisiaci montis molem, quæ certantibus & ambitiosis Geniorum studiis concussa, in maris profundum præceps ire cœperat, sustinuisse; alterum votis humani generis, quod stagnante in altum diluvio totum periisset, nisi illius stirps in Mano, nostro Noacho, incolumis mansisset, affuisse b). Memori itaque animo prosequi Deum, tantis beneficiis cognitum, solemne & necessarium est visum. Neque acceptius gratiarum genus creditum, quam quod illius elemento, sacris inquam aquis tribuitur. Quæ hujus autem pietatis sint species, qui modi & ritus, dicere adgrediar. Dicentique tria illius momenta, jenunia, sacrificia et lavacra occurrunt, quæ separatim cognoscere animus est.

§. IV.

b) Disput. De Paradiso Indiano.

§. IV.

Jejunia Indianis maxime familiaria ſunt: quorum tria ut omnium notiſſima & percelebrata referre licet. Primum, quod ſanctc tam Regibus quam ſubditis colendum eſt, Malubavaſum appellatur; & menſtrui eſt ſpatii; quo temporis decurſu, ab ortu ſolis ad ejus occaſum, omni cibo. ſive panis ſive carnis fuerit, abſtinere injunctum nec famem niſi fructuum, herbarum, olerum, butyri & olei uſu lenire conceſſum eſt. Integer dies in lectione ſanctorum librorum, ſacrificiis peragendis corporeque lavando conſumitur c).

Alterius jejunii æque communis (nomen eſt Egaſhi) quæ ſunt leges, plus ſeveritatis habent. Neque enim, donec ſuum confecerit curſum, primoribus labris aliquid guſtare licet. Et pro argumento eſt, quod ne uſum quidem folii Betel, quo non alius gratior Indianis eſt, fas & jura ſinunt d).

Tertium & ultimum, quod in memoriam victoriæ, quam Vishnu in Krſhna mutatus, de hoſtibus Pandavarum retulit e), pari modo in ſum-

---

c) System. Brahmanicum p. 41. d) Ibidem.
e) Plin. Hist. Nat. Lib. 6. C. 20.

ma & diurna operis victusque abstinentia transigitur.

§. V.

Quomodo jejunia, sic etiam Sacrificia Diis Indianis instituta sunt. Atque hæc munera, quibus data divinitus beneficia prosequuntur, aut nova provocant, non cruenta sunt, sed fructus terræ, & quales primæ hominum oblationes fuerunt (Gen. II). Mite enim est gentis ingenium, & quo propensius in metempsychoseos persvasionem, eo magis a sanguine abhorrens. Non nisi recentius, & aliorum more populorum, sive ad evertenda mala, sive ad placanda irata Numina, victimas, sicut Igni bovem litare cœptum est f). Aquæ autem faciendi sacri, quæ prisca & innocens fuit, eadem & hodie consvetudo manet. Et hujus est, ante primam lucem surgere, necdum orto sole, lavatum abire, idoloque Vishnu orystam, flores, juniperi grana, saccharum & fructus offerre: quibus bonis hoc Numen per diem gaudeat, ipsi vero, & observantia diurni rigoris diligenter completa, per noctem fruantur.

§. VI.

f) System. Brah. p. 13.

§. VI.

Neque minor est pars religionis munditiem repetitis lavacris affectare, quam famem longis jejuniis gratamque mentem oblatis muneribus fateri. Aqua enim ut sordes corporis, ita vitia animi etiam elui & tolli Indianis persvasum est. Ergo mirandum non est, stagna & flumina sancta iis esse. Sanctiora autem ceteris habentur Indus, Calini, Ganges & Gagra. Et hæc est ratio. Persvasum est Indianis, Deos specie humana ad hæc flumina apparuisse: unde divinum aliquid iis inesse finxerunt majores, & posteri crediderunt g) Omnium tamen sanctissimum est flumen Ganges; e cœlo enim ipso originem suam ducere fertur. Quanti autem apud indigenas habeatur, ex eo patet, quod beatissimus ille censetur moriturus, qui ad fluitantem ejus alveum delatus, animam pisci, corpus crocodilo tradere possit. Quid? quod aqua hujus fluminis tanti fit, ut ad Reges Principesque & quidem per longa terrarum spatia, tamquam morbi remedium aut vitii piaculum haud raro deferatur. De cetero ad fontes Gangis & Gagra sedes non lo-

g) Mus. Borgian. p. 188. 102.

solum Paradisi terrestris, sed etiam Solis & Lunæ, quæ summa Indianorum sunt Numina, genti quæsita & inventa est. Atque talem superstitionem semel natam auxit & constantem effecit reverentia, quæ genti est, Magorum, sive Philosophorum sive Poëtarum, qui altioris aut svavioris scientiæ studiis dediti ad fluvios Yamuna & Gangem vitam egerunt. Aqua itaque cum cujusvis sacri fluminis, tum speciatim Gangis ad religionis observantiam, justitiæ curam & vitæ sanctitatem nihil efficacius existimatur. Sic sine ea sacerdotium inauspicato initur: si defuerit in fœdere pangendo, irritum id, nec solvendi fide obstrictum: & si canis in publicum incidat fontem, seu quidam ex infima hominum plebe sacra adyta, aut domum Brahmanicam casu aut ex ignorantia intraverit, aut tactu ejusmodi hominis, persona nobilioris conditionis contaminata fuerit, hæc omnia cœlestis adspersione humoris lustranda sunt h). Neque silentio transeundum est, Indianos, cœlum sic suspiciendo Deosque venerando, ora vultusque in orientem aut septentrionem convertere. Summam enim sui reve-

h) Systema Brah. p. 36.

verentiam fecit plaga mundi, ubi ſol oritur, & cui montes, campi & urbes, ſingulari & mirabili quodam caſu notabiles, ſubjacent. Sic feſta aquarum celebrantur: votisque nuncupatis, læti & perſvaſi omnes, ea ſibi in ſalutem ceſſura, domum repetunt.

§ VII.

Supereſt, ut nonnulla etiam proferam de ritibus, quibus utuntur Indiani, feſta aquarum celebraturi. Permulti vero hi ſunt, nec alter alteri ſimilis. Aliis mos eſt, certo & opportuno tempore, multas in flumine cogere cymbas, quibus remigio impulſis, & ſpectaculis inter certamina editis, aquâ ſe luſtrando adſpergendoque, Deum Vishnu, aquæ gubernatorem, concelebrant i). Nonnulli perinde læti, ſed quietius agunt. Nam in magnæ pietatis ſilentium & modeſtiam compoſiti, ingrediuntur amnem, ſublatis manibus, & proviſu, ne veſtigiis temere & propere impreſſis ea turbetur. Eumque ingreſſi, quem primum lapidem offenderint, Deum eſſe Brahmam, quem vero ſecundum, in quo ſubſiſtentes & nudi, aut linteo vel pal-

i) Mus. Borg. p. 222.

palmæ folio lumbos tantum tegente, corpus vel saltim manus lavant, Deum esse Vishnu arbitrantur. Medium vero flumen Deum Ishvaram tenere, opinio est. Et Numinibus tam propitiis fluvii præsidibus voce Om i. e. visne? reddita, & in margine aquæ effigiata, se ipsos aqua, quæ, ut modus adsit, tribus modo digitis sumitur, adspergere pium est. Quo facto, & recitatis verbis, quorum sensus: jam recidit a me peccatum immunditiæ, versus omnes orbis terrarum partes ambabus projicitur aqua manibus, ut grati animi affectus erga Deos earum custodes palam ostendatur. Neque id satis. Iterum ter facie lavata, & precibus stillisque in honorem quasi solis versus cœlum fusis, læva manu arripientes cinerem stercoris vaccini, eumque aqua mollitum, dicunt Indiani: Schutamaga i. e. Sanctificeris. Quibus vero cærimoniis, aliisque, quas studio brevitatis prætereo, absolutis, stomachum, pectus, caput, digitos, genua, articulas, & quæ reliquæ corporis sunt partes, manibus contrectare, vim & intellectum sanctimoniæ id habet. Atque hujus ut non minus perpetuitatem quam integritatem signicent, ad ultimum corpori additur Curi i. e. mate-

te-

terla, ex ſtercore facta & humore ſubacta, quæ velut ſanctitatis ſignum, fronti, pectori humerisque tribus digitis imponitur k).

§. VIII.

Hæc habui, quæ de aqua Indianis ſacra ſcriberem: ante vero quam ſcribendi finem faciam, cognoſcere, quo usque temporis repetenda ſit ætas illius cultus, operæ pretium fuerit. Perantiquum eſſe, documento ſunt, quæ ejus monumenta in Elephantæ inſula aliisque locis ſuperſunt. Eſt videre Salcettæ & Illouræ templa Numini Vishnu dedicata, quorum ea eſt forma, ea ſpecies, ut, ſi in contentionem venerint antiquiſſimæ Aegyptiorum pyramides, recentioris hæ artis & operis videantur l). Idem judicium eſt latum de ſimulacris, quæ huic Deo conſecrata, ſaxo inſculpta, & in templo Mavalipuram, perinde rupi ſubterraneæ inciſo & ad oppidum Sadraſt ſito, ante oculos poſita ſunt m). Ergo ultra plura annorum millia eſt proferenda peregrini hujus ſacri origo: & occa-

k) p. 98. l) Sonnerat. Tom. 2. p. 48.
m) Asiatik Reſearches p. 145.

casione oblata videre licebit, quam similitudinem cum iis, quæ Sacris in litteris occurrunt, sublato sui tegmine, habeant. Vetustatis enim fuit, res præclaras & memoratu dignas ænigmatibus, quæ divinare magis quam interpretari oportet, involvere, & involutas posteris tradere; sed quo factum est, ut multi falsa pro veris, fabulas pro rebus amplexi sint.

XXXV.

De DILUVIO INDIANO.

§. I.

De terræ, quæ generi humano in immenso hoc mundi spatio sedes data est, fatis varia a variis gentibus memoriæ prodita sunt. Quæ vero non enumerem, cum nonnisi ea, quæ Indianis de his persvasa sunt, considerare animus sit. Ea hujus populi fides & religio est, ut mundi quemadmodum Deo Brahmæ creationem, Deoque Shivæ destructionem, sic Numini Vishnu conservationem adscribat. Scilicet fert opinio, divinum illum spi-

ri-

ritum & aquæ præſidem ſub creandi momenta ſuper aquas ſeſe libraſſe. Igitur folio nymphææ incubans, aquisque innatans, monumentis in Indianis exhibetur a). Montesque Gates alluentis maris compreſſiſſe undas, regionemque Malabaridis terram reddidiſſe aridam dicitur b). Hæc vero & alia, quæ de hoc Genio fabulantur Indiani, ad commune mundi diluvium haud obſcure alludunt; clariusque ea elucebunt, ubi in medium, quæ de prima tam benigni Numinis transformatione illi homines tradiderunt, proferre licuerit. Vetus eſt memoria, dormiente Brahma, ſupremi & veri Dei Parabrahma Genio, Irannyam ſemper vigilem Dæmonum principem, volumina legis Vedam c), ſurripuiſſe & in mare projeciſſe. Nec recens illa

a) Marcus a Tumbia in Cod. Miss. p. 117 refert: *Molti Gentili* (*Indici*) *ſoſtengenlo, che l'acqua é eterna, percio dicono, che nel principio il Deo Naracu* (*Vishnu*), *Spirito ſupremo, natava ſopra l'aqua, lorché dal ſuo umbilico uſci il Deo Brahma percrear il mondo.* Unde insigne hoc involucrum sacrum textus: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.*

b) Cod. Mss. Av. Peg. etc. p. 109.

c) Vide Dissertat. de Paradiso Indiano.

fama est, commisso hoc scelere, genus humanum, lege & metu solutum, omnis in generis vitia erupisse, piaculumque iræ sibi divinæ contraxisse. Origo inde diluvio fuit: quod etiam fatale exstitisset justo Manu d), nisi ei periclitani in aquis opem tulisset Vishnu, qui, debellato Dæmone, illum & sacrum codicem servavit e). In memoriam vero casus tam memorabilis varia deinde illius symbola composita fuerunt. Ex loto & buccino nova rerum progenies nata; restituta arbor paradisiaca, immortalitatis potum aut cibum continens; boves duo parati, novæ generationis indicia; & adjectus sol

d) *Hic Manu, natus* (inquit Bartholomæus in Systemate Brahmanico) *ex Suryen sive Sole, primus Indorum rex & quidem cum primo Aegyptio rege Menes unus & idem est. Ab hoc Indi suas se institutiones civiles accepisse gloriantur, atque sub nomine ipsius hodiedum exstat in Indiis liber Manusmrdi inscriptus, qui memorialia Manu seu Systema legum Indicarum continere dicitur. Hic idem Manu vir justus, per Vishnu in sua prima incarnatione a diluvio universali servatus fuisse in libro Bhagavadam scribitur, ita ut Angli illi jure meritoque eum Noach esse suspicentur.* Vide pag. 69. System. Brahman.

e) Cod. Peg. etc. p. 216.

ſol aureus, mari innatans, & ſignificans, imaginem virtutis, ut genetricis Solem (Schivam) ſic conſervatricis Aquam (Vishnu) eſſe f). Huc etiam pertinent, quæ de altera Dei Vishnu transformatione pari Indianorum conſenſu nobis tradita ſunt. Nam orto, ſic referunt, inter Genios certamine de ambroſia, immortalitatis potu aut cibo, quem in monte Meru ex arbore Paradiſiaca ope circumdati ſerpentis elicere cupiebant g), concuſſum inde hoc jugum præceps ire cœpit. Metus tum exitii ſupremi omnes inceſſit. Illorum, vero Geniorum qui boni eranr, ad Vishnu, conſervatorem mundi, concurrunt, in lacrimas & preces effuſi, ut ſolis & beatitudinis ſedem eſſe ſalvam juberet. Neque hic periclitantibus defuit. Forma enim teſtudinis induta, profundum inſtar bolidis petit, caſuramque rupem ſubdito dorſo excepit, & in perpetuum ſu-

ſti-

f) Eundem solem aut ex limo emergere, aut loto insidere, aut navigio provehi, aut singulis horis formam commutare, aut varios per singula Zodiaci signa vultus induere prædicant Aegyptii. (Porphyrius epist. ad Anebonem). Vide Dissert. cit.

g) Dissert. cit.

ſtinebit h). Sic fictis & creditis etiam congruunt, quæ Japonenſes de Canon eorum Deo tradunt. Hic enim apud eos, ut Vishnu apud Indianos, duplici exhibetur ſimulacro, uno piſcis, cui in concha recurva navigans rex Manu occurrit ſupplex, ut diluvium ſoſpes evadat: altero teſtudinis, quæ mari innatans, molem montis Meru & truncum aut caudicem ex loto eminentis & paradiſiacæ arboris ſuo humero portat. Piſcem vero, teſtudinem & concham, cur ſalutis & remedii adverſus caſum diluvii imagines conceperint animo iſtæ gentes, ratio in aperto eſt. Nam primum nonniſi piſcis natantis imitationem eſſe navigium clari philoſophi crediderunt; ſiquidem piſci pro remis branchiæ, pro gubernaculo cauda eſt. Deinde memoriæ proditum eſt, veteres Indianos & Africanos ſuprema teſtudinis teſta pro cymba uſos eſſe: id quod admirationem non habet, obviis in mari Indico teſtudinibus magnæ molis i). Et tandem quod ad concham attinet, refert Schedius: "Inter

"con-

h) Dissert. cit.

i) Calepinus sub voce Testudo ita: *Teſtudinum illic* (in insula S. Mauritii) *tanta moles erat,*

"concharum genera Nerites navigantes, præbentes "concavam sibi partem, alteram vero stanti auræ "instar veli opponentes.

Talem vero Indianis persvasionem esse diluvii, illorum monumenta, non solum simulacra, verum etiam volumina indicio sunt. Ita, de quo dísserimus, diluvium in vocabulario Brahmanico Sorggavarggam vocatur "destructio universalis, de-"structio universalis per aquam, firmitatis, justitiæ, "justitiæ, moralitatis finis, eversio totalis, omnium-"que rerum terrestrium eversio". Et in poëmate Bhishmaparvam aperte describitur, quod inde periculum generi humano imminuisset, nisi bonorum suspiriis Geniorum Vishnu commotus, specie primum piscis deinde testudinis, regi Manu octoque cum eo personis præsto fuisset. Eadem liber Indianus, qui Bhagavadam inscribitur, habet k). Hujusque persvasionis vestigia in lavacris, quibus nihil Indianis est sanctius, etiam manent. Scilicet aquis quo-

---

ut super una stantes nostrum quatuor facile ad gressum ejus promoverentur. In testa unius decem nostrum considentes epulati sunt.

k) Cod. Peguv. p. 175.

quomodo terrarum orbis expiatus fuit, ſic & privati cujusque peccata ablui, judicium eſt. Quibus demum omnibus accedit cumulus ſupputandi temporis Indiana ratio. Namque initia ætatis ut aureæ ad mundi creationem, ita argenteæ ad diluvii originem repetere mos eſt l). Ex fide vero Indianorum etſi hoc, de quo diſputatur, diluvium, immenſo effuſum auctu, terrarum orbem implevit, tamen Meru montem non obruit m). Quam fidem reverentia etiam loci fecit; hic enim paradiſi fuiſſe creditur. Et fas erat, ut ſumma felicitatis ſedes, cui ſupremus Deus Parabrahma præeſt, & in qua ille viſus, quicquid proſtratum fuerat ſtagnis, reſtaurari juſſit, communi rerum ſtragi eximeretur n). Eadem etiam Schytis mens; atque hinc argumentum pro ſuæ originis antiquitate contra Aegyptios petitum. Scilicet pro ratione ſtetit, montem Meru, qui jugi, Himala apud Indianos, Imaus apud Græcos appellati, pars eſt, & Schyrarum patria fuit, a contractu inundationis, quæ jacentia Aegypti & cetera orbis plana preſſit, eo

l) Cod. Borg. p. 173. m) Cod. Peg. cit. p. 234. n) Dissert. cit. P. I. p. 22.

eo longius abfuisse, quo altius eminet. Quam in rem Justinus: "Quod si omnes, inquit, terræ "quondam submersæ profundo fuerunt, profecto "editissimam quamque partem decurrentibus aquis "primum detectam, humillimo autem solo eamdem "aquam diutissime immoratam: & quanto prior "quæque pars terrarum siccata sit, tanto prius ani-"malia generare cœpisse. Porro Schytiam adeo "omnibus terris editiorem esse, ut cuncta flumina "ibi nata in Meotim, tum deinde in Ponticum & "Aegyptium mare decurrant" o). Eandemque ob causam & eodem ex terræ tractu humani generis incunabula ducere Indianis placuit. Hæc est hujus populi de fatali omnibus rebus animantibusque telluris diluvio sententia, ne dicam opinio; neque enim de re dubia quæstio est; & quod incorruptis monumentis congruit, id commentitiis fabellis non adscribendum erit. Et quis est, qui istam sacræ & profanæ historiæ concordiam non videat? Indianæ traditioni quæ inest veritas, adumbrata quidem est; umbræ vero sub specie, quod ipsius rei est, latet; & danda fuit hæc venia

an-

o) Justin. lib. 2. p. 20.

antiquæ & rudi genti, ut rerum casus eventusque figurate exprimeret. Si autem quid ficti & vani ex licentia vetustatis admistum sit, id a vero secernere, quam totum falsi arguere, honestius fuerit.

XXXVI
De CHARTA PAPYRACEA.

§. I.

Scribendi ut artem ita materiam invenisse & perfecisse Aegyptios, antiqui tradiderunt, nec recentior ætas negavit. Primum omnium per figuras animalium rerumque sensus animi effingebantur: & vetustissima memoriæ humanæ monumenta saxis impressa cernuntur, Sermone litterisque gentium celebrantur numini solis sacratæ effigies (Obelisci vocantur), quæ veterrimis Aegyptiorum characteribus inscriptæ, spatiis inquirentium, non acumini patuerunt. Sic cogitata majorum & dicta sapientum periclitabantur. Sed primordiis hoc congruum fuit. Debuit enim rude principium tale habere

bere commentum, quod ingenia & ſtudia ſequentium excitaret. Paullatim, & ſingulari quodam caſu aut conſilio factum eſt, ut gens, quam nominavimus, reperiret non ſolum litteras, quo non aliud ſubtilius ſui ſpecimen humanum ingenium dedit, ſed etiam chartam, cujus uſu maxime humanitas vitæ hominumque immortalitas conſtat. Bibula hæc eſt, nec in morem lapidis ſtilum hebetat & cogitationem tardat (verba enim cum differuntur, ratio torpeſcit), ſed nigredinem ad decorem & perpetuitatem facile ſuſcipit, & in ſe revoluta apte colligitur. Animum vero cum ad ſcribendum referrem, hoc argumentum præprimis mihi placuit. Tamen & antequam propoſitæ rei conſilium, quod haud ſcio an promtum effectu futurum ſit, ſuſcipiam, paucis mihi dicendum videtur de linteis Aegyptiorum voluminibus, quæ chartæ papyraceæ inventionem præceſſerunt.

§. II.

Aegyptus, annonæ fœcunda provincia, plurimum etiam lini gignit: quod carpere, mollire & ducere, pars ſollertiæ indigenis inſitæ fuit. Et, cum non minus animi quam corporis cultus inva-

luisset, tela, quæ inde parabatur, prodendæ virtutis memoriæ perinde sufficere, quam ad pellendam vim frigoris prodesse videbatur. In linteis scriptitari cœptum est. Quo usque autem temporis hæc consuetudo repetatur, res ambigua est. Antiquissimam esse, monstrant funera Aegyptiaca, quorum ea ætas, ut duo aut tria annorum millia æquare existimetur. Neque enim involucra iis desunt, quæ Aegyptiis tantum cognita litterarum secreta continent. Nec dubitaverim affirmare, eadem ad scribendum materia Hebræos usos esse. Vero enim simile non est, Mosem, gentis ducem & exemplum, scribendi sive materia sive ars spectetur, ab ea, ad quam in aula Pharaonis natus & institutus fuerat, descivisse, & novam ab aliis accepisse, aut a se ipso arripuisse. Quo magis constat, similitudinem litterarum, quæ nuper in Aegyptiorum integumentis funerum repertæ sunt a), Hebraicas, qualis in antiquissimis monumentis earum est habitus, referre, eo propius fidem est, volumen, quod in ignem conjici Joachim jussit b), more Ae-

a) Caylus recueil d'Antiqu. Aegypt. T. I. p. 65. T. V. p. 77. et Büttner's Vergleichungstafeln Tab. II. n. 2. b) Jerem. XXXVI. 2, 5.

Aegyptiaco contextum & linteum fuiſſe. Coriaceum enim male oluiſſet. Membrana recentius, & quidem Ptolomæi & Eumenis circa Bibliothecas certantibus ſtudiis, Pergami inventa eſt c).

§. III.

Linteum vero, quantumcumque læve & molle, tamen calamo ſcribentis impeditum aliquid & implicatum habuit. Labentibus annis uſus papyri facilior videbatur. Hujusque moris ætas primum nobis conſideranda eſt. Neque hæc media; antecedit enim Herodoti tempora, quibus inter Jones charta papyracea ita communis fuit, ut nonniſi ejus penuria neceſſitatem membranæ fecerit d). Nec raram fuiſſe apud alios Græcos, fide etiam antiquitatis firmatur, Et quam promiſcua fuerit Romanis, præſertim ſub primis Cæſaribus, documento ſunt volumina Herculanenſia. Sed declinante eorum imperio, quomodo in ceteris, ita in his oblivio moris antiqui orbem implevit, & membrana præferebatur, ſive propter commoditatem, ſive

c) Plin. Histor. Nat. Lib. XIII. S. XXI.

d) Herod. lib. V. p. 399.

ſive ut adverſus diuturnitatem temporis, rerum edacem, remedium eſſet. Tamen antiquitati honos. Edictis principum litterisque patentibus chartæ papyracea dedicata erat: & Bibliothecam Vaticanam teſtem habemus. Circa autem ſeculi aut undecimi finem aut duodecimi initia, ubi bombycina in amore & pretio haberi cœpta eſt, hæc obſolevit, ita quidem, ut de ea, tanquam re perdita, Euſtathius loquatur e).

§. IV.

Papyri autem ope hoc genus chartæ factum fuiſſe, argumento eſt ipſum vocabulum, quod poteſtate a βιβλος non differt; hoc ſolum diſcrimine, quod alterum antiquioribus, alterum recentioribus uſurpatum fuit. Significat enim utrumque non modo Niloticum, ſed etiam quodvis aliud juncorum aut ſcirporum genus, in quaecumque alia regione naſcens. Βιβλινα οπλα apud Homerum f) ſunt funes nauticæ, quæ procul dubio ex ſcirpo Ithacenſi contextæ fuerunt. Eodemque modo eædem voces explicentur apud Herodotum g), quo

e) Odyss. Φ. V. 390. f) Odyss. Φ. V. 390.
g) Lib. VIII. p. 522.

quo loco de Strymone, juncto a Persis ponte, agitur. Quo colligitur, diversas diversarumque regionum species papyri, Siculam, Italicam, Syriacam, & alias, quas Herbarii recentiores ad Cyperi genus referunt, ob similitudinem, quam cum Aegyptiaca habent, in hujus nomen evaluisse. Hæc planta, teste Plinio h), "nascitur in palustribus "Aegypti aut quiescentibus Nili aquis, ubi evaga"tæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine "gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine, "triangulis lateribus, decem non amplius cubito"rum longitudine in gracilitatem fastigiatum, thyrsi "modo cacumen includens". Quod vero in illa descriptione mancum aut inchoatum fuerit, excusatius propter vetustatem accipietur. Rectius, & ex illustrioris ævi beneficio, Alpinus, i): "Papy"rus, inquit, quem Berd Aegyptii nominant, "est planta fluminis Nili, binis aut pluribus cauli"bus rectissimis supra aquam sex septemve cubiti"bus assurgens; cauliumque in fastigiis scapus "in-

h) Plin. Hist. Nat. lib. XIII. cfr. Theophr. Hist. Plant. lib. IV. c. IX.

i) De plantis Aegypti.

"innumeris capillamentis, longis rectisque contex-"tus, cernitur. Foliis quoque constat multis rectis, "ensiformis Typhæ aliquatenus similibus, triangu-"laribus ac mollibus".

§. V.

Atqui licebit mihi, priusquam modus, quo papyrus in chartam versa fuerit, definiatur, de illius plantæ usu in ceteris rebus nonnulla afferre. Hæc læta inundationis & cæduæ instar silvæ surgens ex Nilo seges altas agit radices, quæ inopiæ sarmentorum aut ligni sufficiunt. Tanta est firmitas & crassitudo. Vasa etiam & utensilia ex iisdem fabricare, moris fuit k). Ipsius autem papyri præcipuum est commodum. Texere inde, quæ ad rem navalem pertineant, instituere Aegyptii, & aliæ gentes imitatæ sunt. Fides est ex oraculo Jesaiæ, quo legatio, per Nili aquas in Judæum mittenda, navibus papyraceis (כלי גמא) imponitur l), ex fabula Isidis, quæ illius navigio generis vecta, sui filii per undas Nili dispersa membra

k) Herod. lib. II. Theophr. Hist. Plant. lib. IV c. IX. Plin. Hist. Nat. lib. XIII. S. XXI.

l) C. XVIII. v. 2.

bra ſcrutari memoratur m), & ex exemplo Antigoni, qui papyro ex Syriaco funes ad navium uſum fieri juſſit n). Cortex ad veſtimenta, ſtragulas, & alia exteris nota profuit o). Nec tegit ſolum papyrus, ſed etiam nutrit. Inter edulia Aegypti illam herbam dulcedine praſtare, & crudam, coctam aut aſſatam manducari, ſucco labris extracto, cetera autem exſpuendo, vetus memoria eſt p). Tamen quæ radici proxima eſt pars, ſola tali modo neceſſitatibus vitæ aut voluptati ſervivit q). Et ſummæ in hoc antiquitatis veſtigia manent. Faſciculus papyri Aegyptiis eſt imago, qua gentis & origo & prima vivendi ratio proponitur r). Vis etiam ſalutaris ineſt. Madefacta enim papyrus, auctore Dioſcoride s), turgendo fiſtulas aperit, voluto circumcirca usque ad ſiccitatem panno linteo, & in cineres ſoluta, genera ulcerum, quæ ſerpendo carnem in ore & quavis alia corporis

m) Plutarch. de Iside et Osiride T. II. p. 358.
n) Theophr. l. c. o) Herod. Theophr. et Plin. l. c. p) Iidem Scriptores l. c.
q) Guilandinus in libro de Papyro p. 118.
r) Horapoll. lib. I. Hieroglyph. s) Lib. I. c. CXV.

ris parte tollunt, inhibet. Et, teste Alpino t), medullâ foliorum ora ulcerum dilatantur, scapique combusto cinere ulcera recentia curantur, eoque sæpe adsperso, maligna non augentur.

§. VI.

Sequitur, ut chartæ ex papyro conficiendæ ratio exponatur. Hæc planta, si quid auctoritatis Plinio u) tribuendum sit, in tenuissimas acu dividebatur philyras (folia, schedis deinde parandis apta), quæ, amputatis utrimque præsegminibus, extensæ in tabula Nili aquis madente adlinebantur, in modum telæ, quæ stamine & subtegmine, aut instar cratis, quæ directis & transversis virgis contexitur. Vicemque glutinis turbidus liquor amnis exhibuit. Prælis vero deinceps plagulæ pressæ, & Sole siccatæ in formam voluminis jungebantur. Variaque earum magnitudo. Quæ maxima fuit, tredecim digitos æquabat: minima senos non superabat. Nec idem omnibus pretium. Plura enim hujus chartæ genera, meliora, deteriora, ut philyræ pro-

t) De plantis Aegypti.

u) Hist. Nat. lib. XIII. S. XXI.

propius quæque aut longius a ſcapo papyri ejusque interioribus reſectæ fuerint. Princeps erat Auguſta, quæ ex primis foliis, medullæ proximis & tenuiſſimis, fiebat. Proxime ſecuta eſt Livia, quæ ex ſecundis, cortici magis vicinis minusque ſubtilibus, conglutinabatur. Auguſta autem cum prætenuis calamo non ſufficeret, literasque transmittens periculum lituræ adferret, & Livia nitorem & delectationem non haberet, aliam utraque, ſcilicet illius ſubtegmine & hujus ſtamine mixtam & compoſitam, Claudius orbi dedit. Candor denique acceſſit. Malleo & dente aſperitas lævigabatur, magis autem in ſpeciem, quam utiliter in poſterum. Nam charta, quæ rudior eſt & ſimplicior, liquorem attramenti plenius haurit, & litterarum tenacior eſt.

§. VII.

Supereſt, ut de hujus chartæ monumentis pari brevitate dicatur. Multa veterum documenta tantummodo per famam nobis cognita ſunt: poſteritati vero ſuperſunt papyracea, quæ adire, intueri & venerari licet. Bibliotheca Vaticana, quæ plurimum antiquitatis colligit, neque harum rerum

inops est. Septemdecim habet exempla, quorum antiquissimum Maffeius publicavit v). Aetas enim ad medium seculi quinti pertinet. Possessione etiam unius, item vetustissimi, tamen mirum dictu, optime servati, Domus Alteriana nobilitata est. Omnem vero omnium ætatem & curiositatem vincit Charta Papyracea Musei Borgiani, quam N. Schow edidit x). Ceteræ enim cum maximam partem Romanæ sint, hæc sola in Aegypto facta fuit, & ad secundum aut tertium a Christo nato seculum refertur. Ne autem quid tempori in eam liceret, vitris crystallinis utrimque operta est: & ea totius subtilitas, ut, nisi soli obversa fuerit, partium compositio indagari non possit. Neque ulla ibi, sicut in Herculanensibus aut Vaticanis, scabrities aut rugositas animadvertitur. Tanta polituræ diligentia fuit. Tamen nitor glutinis Romani deest, quem Nili aqua dare non potuit. Qui vero primus color ipsius fuerit, facile quis non dixerit. Præsens est flavus, quem a candido ortum esse, sus-

spi-

v) Hist. Diplom. Num. I. p. 130.

x) Exemplar singularis libri mihi vere eminens Cardinalis Borgia muneri misit.

ſpicari licet. Tantaque vis ſui atramenti, ita temperati fuit, ut atrum ejus colorem longa ſeculorum ſeries decoquere aut obliterare non potuerit. Pingue & craſſum nec a Sinenſi diverſum fuiſſe, eminentes literæ monſtrant; aquoſum ſiquidem & liquidum papyri tenuitatem penetraſſet, & diffuſum maculaſſet.

XXXVII.

De ZOROASTRO BACTRIANO.

§. I.

Decipere & decipi, omnibus ſeculis civitatibusque commune fuit vitium: cui autem in divinis magis, quam in humanis obnoxium fuiſſe mortalium genus, non miror. Et hæc ratio. Cum patent, quæ infra lunam ſunt, tum quæ ſupra ſolem poſita, latent. In rebus autem obſcuris quomodo ad credendum ſic ad fingendum proclive eſt humanum ingenium. Et hac animi intemperie ut Confucius apud Chinenſes & Muhammed apud Arabes,

bes, ita Zoroaſter apud Perſas innotuit: de quo pauca jam ſcribere conſtitui. Arduum vero eſt conſilium; rem enim pervetuſtam & in incertum implicatam reperio. Tamen ingenii vires periclitari licebit.

§. II.

Nomen Zoroaſtri (vim illius & originem primum omnium cognoſcere lubet) in vitium peregrini ſermonis detortum eſt; vernaculum enim & in ore Perſarum Zerduſcht (زردشت) fuit. Propriumne vero ſit hominis, an appellativum regis, haud nihil ambigam. Multi Indianorum principes Cerambotti, Ceramperumal vocati ſunt: quæ nomina corrupte exteri ſcriptores, tam veteres quam recentiores, nempe illud Ceprobottes, Celembothras, hoc Sharamperoumal, Xaramperumal pronuntiarunt. Neque id mirum; Samſerdamicæ enim linguæ, unde petenda eſt eorum origo, rudes fuerunt. Cera ditionis, diſtrictus, Botti regis, gubernatoris, Perum magni, & Al perſonæ poteſtatem habet: ex quo Cerambotti ditionis gubernatorem, & Ceramperumal ditionis maximam perſonam ſ. regem ſigni-

ſignificabūnt a). Pari ratione Ceradaſcht, non Zeraduſcht ditionis poſſeſſorem ſ. dominum notabit; Cera enim, ut dictum eſt, Samſerdamice eſt ditio, & Daſcht (داشت) Perſice habuit. tenuit: ita ut quemadmodum Cerambotti, Ceramperumal apud Indianos, & Pharaones, Ptolomæi apud Aegyptios, ſic Ceradaſcht apud Bactrianos communis regum appellatio fuerit. Quo autem poſito, facile eſt videre, cur plures Zoroaſtros, Pamphilum, Medum & Perſam, in Bactriana diverſis temporibus incauta vetuſtas collocaverit. Perſam noſtrum fuiſſe, Cl. Alexandrinus, Plinius, Juſtinus aliique teſtantur. Et ſi nominis etymologiæ aliquid tribuendum eſt, facile quis putaverit, Bactrianæ eum regulum eſſe habendum, & a Perſarum regibus, quorum nomina & facta nobis tradiderunt Græci, probe diſtinguendum.

§. III.

Certiora ſunt, quæ de patria Zoroaſtri memoriæ prodita ſunt. Conſentiunt Indiani & Perſæ, eum

a) Mus. Borg. Cod. MSS. auct. Bartholomæo P. 43.

eum in Urmi, haud ignobili regionis Azerbijan urbe b), & quidem ab ultima Persicæ & regiæ stirpis origine natum esse. Pater enim fuit Paroschasp, avis atavisque, quibus gloria sanguinis ex Feridun, sexto Persarum rege, contigit, editus c). Et divitem eum fuisse, argumento est ipsum nomen, ex Pooросch multum & Esp equus compositum; quomodo & dignitate illum præstitisse, epulæ, quas eminentissimis Magorum parasse dicitur, ostendunt d). Illa autem ætate, qua luxum & avaritiam cultura artium nondum invexerat, vectigal & opulentia fuit, numero agrorum pecorumque gaudere. Sic Gemschid, quartus Persarum Rex, Pater pecorum & Athvian, cujus filius erat supra nominatus Feridun, Dives boum appella-

b) Gihan Numa: *Urmi, oppidum est regionis Azerbijan, longit. 79 ½ gr. latit. 38 ½ gr. in littore lacus Tebriz situm, a Selmas in meridiem spectans, & aere quidem propter calorem pestifero laborans, fluviis vero ex montoso tractu decurrentibus, multisque vineis, uvarum, pyrorum malorumque Armeniacorum, quibus non alia suaviora, feracibus, circumdatum.* Cfr. Zend-Avesta par M. Anquetil du Peron p. 5.

c) Zend Avesta p. 8. d) Lib. Cit. p. 10.

latus est e). Si itaque verum est, regionibus Persiæ, quæ in septentrionem & orientem vergunt, Bactrianæ inquam terrisque vicinis Zoroastri majores imperitasse f), verisimile etiam erit, Zoroastrum ipsum, cui præter claritudinem generis etiam

---

e) Lib. Cit. p. 9.

f) Lib. Cit. p. 62. *Il est sujet à de grandes difficultés, dont plusieurs portent à croire, que les anciens Rois, nommés Peschdadiens & Keaniens, etoient des Princes de l'Aderbedjan (i. e. Azerbejan) & des Provinces Orientales de la Perse, differens des Monarques Assyriens, Medes & Perses, dont parlent les auteurs Grecs — — — Au reste, quelque partie que l'on prenne sur ce point de l'ancienne Histoire Orientale, qui est très obscure, les principaux faits qui forment la vie de Zoroastre n'en paroitront pas moins possibles, parce que rien n'empèche que, dans le sixieme siecle avant J. C., les evenemens, que j'ai rapportés, ne se soient passés dans des contrées situées a l'Est de la Perse proprement dite, & sous des Princes particuliers, tandis que les autres Provinces de la Perse, & sur-tout celles, qui etoient voisines de l'Euphrat, obeissoient aux Rois, que les Grecs en relation avec ses Provinces, representent comme les seuls Monarques de cette partie de l'Asie.*

etiam ingenium tanti faſtigii capax contigerat, acceptam a parentibus ſuæ ſtirpis dignitatem obtinuiſſe.

§. IV.

Hæc opinata: cetera, & quæ de Zoroaſtro ex Orientalium fide, ſi quid momenti in cœca ſuperſtitione hæc habeat, afferre jam mihi licet. Prodigia, quæ cœlo terraque monſtrata, & futuri magnique præſagia, diem hujus natalem antegreſſa aut ſecuta perhibentur, non commemorem. Hæc enim fabuloſa, & Zoroaſtro, ut major videretur, affiĉta ſunt, quæ refellere operæ pretium non fuerit. Pluris refert cognoſcere, quo loco, ordine & modo ſui arcanum ſacri repererit & provexerit. Memoria eſt, eum, novæ religionis inſtituendæ aut veteris & gentilitiæ reſtituendæ conſilio ſuſcepto, in ſolitudinem, more Muhammedis, ſe abdidiſſe g). Neque magnæ cogitationi excitandæ alendæque opportunior fuit locus ſpelunca, quæ ſedes quæſita & mox Mithræ i. e. Soli dedicata eſt. Nam rotunda

g) Plin. Hist. Nat. L. XI. C. 42. *Tradunt Zoroaſtrum in deſertis caſeo vixiſſe annis viginti, ita temperato, ut vetuſtatem non ſentiret.*

da illius & concinna species ab oculis ad animum transiit: & de forma mundi, convenientia partium atque constantia totius comparate judicatum est h). Egregius autem philosophandi studio, neque minor sanctitate morum fuit. Opes eum contemsisse & parcissime adolescentiam transegisse fama tradit: quo etiam vitæ genere quanto ceteris mortalibus superior, tanto Deo similior visus est i).

 §. V.

---

h) Zend Avesta p. 28. *La Montagne, où se retira Zoroastre, etoit vraisemblablement celle dont parloit Eubulus. Zoroastre, au rapport de cet Ecrivain cité par Porphyre, etoit le premier, qui eût consacré dans les montagnes voisines de la Perse (l'Albordi ou les montagnes de Balkham) une Caverne à Mithra, le Roi & le pere de tout ce qui existe. Il vouloit que cet antre lui representât la figure du monde crée par Mithra, & que les choses, qu'il contenoit, mises à des distances fixes les unes des autres, offrissent les symboles ou les figures des elemens & des climats.*

i) Lib. Cit. p. 19. *Il passoit les jours & les nuits en prieres, la tete contre terre, tandis que son corps & son ame etoient en proie à la douleur. Si quelqu'un etoit dans le besoin, il le faisoit venir en secret, le consoloit & soulageoit sa misere. Un homme se trouvoit-il mal dans ses affaires, il les arrangeoit, lui don-*

§. V.

Tali modo cum Zoroaſter in opaco & ſilentio, procul ab hominum ſtrepitu animique turbamentis, per longam annorum feriem formando arcani ſui exemplo operam dediſſet, in medium denique proceſſit. Et alienis etiam experimentis erudiri, jam in voto erat. Sua vero gens cum ſuperſtitioſa & rudis eſſet k), Babylonem viſendi cupido inceſſit. Hæc enim urbs tunc temporis litterarum ſedes morumque magiſtra ferebatur: & hoc loco ut ipſe Chaldæorum myſteria didiciſſe, ſic & Pythagoram ſua docuiſſe memoratur l). Satis jam

noit ſes habits, ſes propres biens: il diſtribuoit à tout le monde l'or & l'argent qu'il poſſedoit, & ſon nom devint celébre chez les petits & chez les grands.

k) Lib. Cit. p. 19. *Un jeune homme tel que Zoroaſtre — — — ne pouvoit goûter la ſocieté des habitans d'Urmi, qui, pour la plûpart, etoient livrés aux enchanteurs. — — — A portée de conſulter les ſages de la Chaldée, c'etoit ſans doute alors qu'il prenoit leurs leçons; & les connoiſſances ſublimes, qu'il puiſa dans leur ecrits, furent le germe des verités, qu'il annonça dans la ſuite à toute la Perſe.*

l) Lib. Cit. p. 55. *A Babylone Pythagore fut initié à ſes myſteres de la même maniere, que les Brah-*

jam artis acquisitum: & hæc intrepide exercita fuit. Neque enim minor agendo quam cogitando ille cognitus est. Et prospera initia. Novo vati, tanquam Divinæ voluntatis interpreti, primi omnium domestici annuerunt: quorum exemplum & alii secuti sunt. Res autem svadendo & lentius in patria acta est. Quocirca, cum moram non pateretur incensus & erectus animus, ad Gustaspem, Persarum regem, gradus intendebatur; quia hujus in auctoritate spes & robur ponebatur. Neque pœnituit consilii. Aditus enim patuit, & dicta pronis auribus accepta sunt. Tamen, & ne iis temere & sine experimento fides adderetur, vocatis regni sapientibus, coram ea discuti, jussum fuit. Utrimque tum disputatum: neque anceps Zoroastro fuit certamen. Tantum ingenio aut veritate valuit m). Victis inde ira & odium; incorruptus vero adversus obscuras Magorum artes fuit animus regis, &

mes de l'Indoustan; & sans doute que l'exemple de ce Philosophe fut suivi par un grand nombre d'habitans & d'etrangers, & sur tout par les Medes, qui, sous le regne de Darius le Mede, s'etoient fixés dans cette ville. m) Lib. Cit. p. 29. seq.

& Zoroastri doctrina longe lateque non consiliis tantum in Indostan, sed etiam armis in Turan & Iran propagata est n).

§. VI.

Religio autem, cujus suasor & auctor erat Zoroaster, ut ne in sola hominum memoria, quæ fallax est, verum in æternis rerum monumentis versaretur, litteris eam tradendam curavit. Plurimaque eum scripsisse, affirmant indigenæ, neque exteri negant. Memoratu autem præcipue dignum est opus, quod propter magnitudinem in plura volumina diffusum, Zend-Avesta appellatur, ducto hoc nomine, quod potestatem verbi vivi o) habet, ex antiqua Persarum lingua, quæ Mediæ Septentrionali, partem Georgiæ, Iran & Azerbijan complexæ, vernacula, earumque, quæ Pehlevi & Pa-

n) Lib Cit. p. 52. seq.

o) زند Zend est *vivus*, وستا Vesta s. اوستا Avesta est *sermo*. Sic etiam Manes, Persa et Magus, deinde Christianus et Hæresiarcha suum Evangelium το ζων ευαγγελιον appellavit.

Parisi vocantur, genetrix fuit p). Scilicet iste terrarum orbis ut gentium sic linguarum vagina erat: atque ibi ut Persicæ ita Gothicæ (mira est utriusque convenientia) origo quærenda, quæ reperta & explicata plurimum momenti ad Septentrionalis etiam Historiæ notitiam afferet. Sed ad propositum revertamur. Zenda-Vestam vero an talem, qualem accepimus, Zoroaster dederit, haud levis dubitandi ratio subest. Notum est, ubi Alexandro, cujus ambitioni nihil impervium fuit, Persia cum India in præmium victoriæ cesserat, non solum in Magos, sed etiam in Magorum libros sævitum esse, ut nihil prisci juris morisque sive sacri sive profani superesset. Isto autem scelere totum Zoroastri opus haustum fuisse, verisimile non est. Suspicari enim licet, qui Magi cædem effugerant, eos, quæ flammam evaserant Zoroastri volumina, collegisse, & quæ perierant, ex suo ingenio addidisse. Et argumento est ipse Zend-Avestæ sermo. Neque enim hic continuo & qui ingenio sui auctoris fuisset dignus orbe fertur, sed hians est compo-

p) Allg. Geschichte des Morg. Sprachen und Litteratur von S. F. G. Wahl. p. 183.

positio, & liturgicum dicendi genus, quale Monachorum esse solet. Tamen vestigia antiquitatis & exempli manent. Verba sunt ex Zoroastri ætate & patria repetita, & sententiæ ad illius mentem accommodatæ. Neque enim credibile est, ut quidam putant, disciplinæ Zoroastri religiosissime qui addicti fuerunt, eos orationem illius in sermonem singularem, divino cultui destinatum & sacerdotibus modo notum mutasse, sed vero est simillimum, qua pietate Maronitæ Syriacam, Abyssinii Aethiopicam & Muhammedani Arabicam in sacris faciendis linguam coluerunt, eadem etiam Magos veterem Mediæ & Zoroastri coluisse & incorruptam tenuisse.

Hic Zoroaster est Bactrianus, cujus præcipua facta dictaque tradere volui.

XXXVIII.

De ORIGINE GERMANORUM apud TACITUM.

---

§. I.

Haud infrequens C. Tacito est vox Secretum; occurrunt enim "Secreta Orientis, Campa-

"pa-

"paniæ, castrorum, Imperatorum, convivii, Tibe-"rii a), pectoris b) & Secreta litterarum" c). Ad Secreta autem Historiæ pertinent Origines Germanorum, quas ut ad Persas & quidem Armenios referamus, jubet primum Historicorum Parens Herodotus, qui inter regni Persici tribus recenset etiam Γερμανίοις d), & deinde linguæ Germanicæ mira cum Persica cognatio.

Germanos autem populo, qui parentem sui תגרמה habuit, originem debere ut putem, hæc argumenta svadent. Mappas Geographiæ antiquæ adiens e), Germanios invenio in ea parte Armeniæ sitos, ubi Thogarmæi s. Garamæi sedem olim habuerunt. Thogarmæos, quibus & nomen Garamæi, partem Armeniæ habitâsse, testatur Asemannus f) ex Syrorum monumentis regionem descri-

a) Hist. l. 1, 2, 3. Annal. l. 13.

b) German. c. 22. c) ibid. c. 19.

d) Herod. c. Wallæ et Henr. Stephani interp. fol. F:cofti 1708, l. 1. c. 125. cfr. Chron. Ph. Melancthonis p. 24.

e) D'Anvillii, cfr. Jocah. Freistad. Annal. Silesiæ. Witteb. 1571, p. 12.

f) Biblioth. Orient. Tom. 3, part. 2, p. 747, 748.

ſcribens, & Ptolemæi verba adferens, qui ita g): "Regionis pars, quæ juxta Armeniam eſt, vocatur "Arrapachitis, quæ vero juxta Suſianam Sittacene; "media autem tenent Garamæi: vocatur ea, quæ "inter Arrapachitidem & Garamæos eſt, Adiabene, "verum ad Garamæos eſt Arbelitis regio". Thogarmæos autem eſſe Armenios, opinio eſt h), & quidem ex multiplici traditione, quæ non modo exteris, ſed ipſis quoque Armeniis ſedet; genus enim ſuum ad aliquem referunt Thogarmum, quem quartum a Japheto faciunt ita i):

Japhetus — Gomer — Thiras — Thogarm — Haic — Armenac — Aramæis.

Quin & prolem Thogarmi ſe antiquitus illi appellârunt; quam in rem inſignis eſt antiquiſſimi Armeniorum Scriptoris, Maribæ Catinenſis, locus k). "Haicus, inquit, cum alia turba "inter occidentem ſolem & ſeptentrionem progre-"ditur, ac ſedem poſuit in excelſa quadam plani-"tie-

g) de Aſsyria l. 6, c. 1.

h) Græci Ezechielis Scholiastæ.

i) Mos. Chorenens. l. 1, c. 4, p. 12.

k) Mose Chor. excerptus p. 26.

"tie montuosa, cujus nomen appellavit Harchi-"am 1), quippe cum illic stirps Thogarmi ha-"bitaret". Hinc igitur liquet, Germanios in Armenia, quam incoluere Garamæi s. Thogarmæi, habitâsse, ac ejusdem vero simillime stirpis fuisse.

Linguam vero Germanicam quod attinet, hujus cum Persica affinitas spectat non solum voces:

است	*est, ist*	دروغ	*dürugh, betrug*
اندر	*ender, unter*	دوختر	*dochter, tochter*
بند	*bend, band*	موش	*mûs, maus*
بربر	*barber, barbier*	نام	*nam, name*
برادر	*bürâder, bruder*	نو	*new, neu*
تو	*tu, du*	یوغ	*jügh, joch.*

sed etiam ipsas regulas grammaticales e. gr. forma comparativi terminatur in تر *ter* ut: بدتر *bedter, schlimmer* خوشتر *chôster, besser*: forma infinitivi in دن *den* & تن *ten* sic: بندن *benden, binden* گرفتن *geriften, greiffen*: imperativi forma fit potissimum rejiciendo ultimam syllabam sic: a ماندن *manden, bleiben* مان *man,*

 bleib:

1) Montem Armeniæ majoris.

Meib: in statu constructo ponitur rectus, seu genitivus post illud nomen, a quo regitur, sic: شوهري برادر *füheri büràder, die Frau des Bruders.*

His paucis sufficiat. Miram autem Linguæ Germanicæ cum Persica cognationem copiosius tractant, De fatis linguarum Orientalium m), Bonaventura Vulcanius n), Schotelius o), Angelus a S. Josepho p), et plures alii.

§. II.

Quo autem tempore Germani in regiones, quas hodie tenent, primi delati sint, paucis jam repetam. Verosimillimum est, ævo Cyri ob ducum

m) Viennæ 1780, fol. p. 45 — 64.

n) In tractatu de Lingua Getharum Lugd. Bat. 1597, p. 87.

o) De matre Linguæ Germanicæ l. 1. diss. 9.

p) In Gazophyl. Linguæ Pers. c. 3, ostendit etiam analogiam inter hanc et Belgicam Linguam cfr. B. Waltoni Biblia Polyglotta in Proleg. XIV. p. 101, nosterque Cel. Celsius in dissert. de Convenientia Linguæ Pers. et Sveсanæ,

eum crudelitatem, patria eos profugos novamque sedem sibi quærentes in hac parte orbis pedem fixisse. Testatur enim Diodorus Siculus q): "gen-"tes progressas ex Paphlagonia & Media latissima "spatia ad septentrionem occupâsse, vicisse Cyrum, "ac sub illam ætatem gentes Henetas, Alcanias, "Lygias, ex Asia minore commotas, Cimbros se-"quutas fuisse, cum quibus ex cognatione linguæ "& morum conjunxerunt se multi populi, ad mare "Caspium Germani, Arii, Daji, Sacæ & alii". Cui annuit, J. Nauclerus r), qui ita: "Circa "initium Monarchiæ Persicæ post captum Crœsum "magna populorum agmina Asiam reliquerunt, "cum ductores Cyri crudeliter grassarentur ac ini-"tia sævæ tyrannidis fierent". Quam rem insinuare quoque conspicitur Petrus Bizarrus s). Ubi autem hæ gentes habitârint, memorat Joh. Cur.

q) Verba affert J. Nauclerus in Chronol. ed. Colon. in fol. 1597, p. 12.

r) In Chron. p. 12.

s) In rerum Persic. Hist. Festi 1601, in fol. l. 1. cfr. J. Bircherodii Disquis. Antiqu. Dan. gent. 1706, p. 2, p. 76, 77.

Cur. Freistadiensis t): "habitârunt in Asia "minore ante tempora Persica simul Mysi, Ascanii, "Lygii & Heneti, & rursus amplius ad Orientem "& Aquilonem ad mare Caspium usque, & in "aliqua parte Armeniæ Moschi, Cimbri, Germani, "Daji, Sacæ, Arii, Syebi & ultra hos Schytæ". Denique refert Cel. Nauclerus: hos populos sedes novas quæsituros, se cum Cimbris conjunxisse, ac in Europam esse transgressos; tempus vero, quo in Europam delati sint, ad annum mundi 3440 retulit Er. Olai Tormius u), &. Germanos nonnullis ante tempora Taciti seculis in confinio Gallorum sedem habuisse, memoriæ prodidit Strabo v). Nationem autem, non gentem Germanicam hic intelligi ex rerum gestarum monumentis facile evincitur. Tacitus refert x): nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim. Scilicet sub adventum exigua illorum manus fuit: paullatim vero ita numero & viribus crevit, ut ceteris Germaniæ incolis nomen & varios ritus dederit.

§. III.

---

t) In Annal. gent. Siles. Witteb. in fol. 1571, p. 12. u) Antiqu, Dan. Serm. 13.
v) l. 4, p. 192. x) Germ. c. 2, v. 6, 7.

§. III.

De origine Nominis Germaniæ tradit gravissimus Auctor: "Cæterum Germaniæ vocabu-"lum recens & nuper additum" (ante Jul. Cæsarem enim toti genti non invenitur additum); est autem additum: "quoniam qui primi Rhenum "transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, "tunc Germani vocati sint" y), non a Romanis nec Gallis, id est, non nomine vel Romano vel Gallico, nec cognomine tantum, sed fuit hoc nationis nomen. Si autem "plerique Belgæ, teste J. Cæsare, a Germanis sunt orti z); sedulo debetur Taciti scrutinio, quod certam aliquam sedem Germanorum, e Persia oriundorum, possimus hodiedum digito monstrare.

Tungri Plinii ætate ad Galliam pertinebant, ubi nunc Leodium, Namurcum, Limburgum, & ipsa, quæ nomen hodie retinet, Tungrorum civitas. Tungri, inquit Plinius *), Galliæ civitas, fontem habet insignem (hodie Spa). Huc fer-

y) Ibid. z) Jul. Cæs. l. 2. c. 4.

*) Pl. l. 31. c. 8. cfr. notas Harduini in Plin.

fertilitas terræ procul dubio Perſas invitabat; Germani enim, teſte Herodoto a), in Perſia erant agricultores. Γερμάνιοι ἀροτῆρές εἰσι.

Potentiam autem & multitudinem Germanicæ hujus nationis, quæ omnium prima Rhenum transgreſſa eſt, inde æſtimare licet, quod ſcilicet Cæſaris ætate ad 40 millia armatorum expedire poſſet; antiquitatem vero ejus confirmat, quod Cæſar dicit, antiquitus eos Rhenum transductos eſſe b).

Sed Germani Rhenum transgreſſi nomen cum ſolo mutavere, & vocati ſunt nunc Tungri tunc Germani, glorioſum olim nomen, "circa affectationem cujus & Treviri & Nervii ultro "fuerê ambitioſi" c), omnesque nationes, quæ cis Rhenum longe lateque incolebant, ultimo advenientis Gemanicæ nationis ritus ac mores tanquam totidem gentis ſuæ decora adſcivere. Sic Tacitus primos Rhenum transgreſſos monſtravit, in Germania reſides quærere diſtulit; nec opus erat, poſtquam jam tota illa regio hoc nomine & omine

a) Her. l. 1. c. 125. b) Cæs. Comm. l. 2. c. 4. c) Germ. c. 28. v. 6.

ne quasi erat inaugurata, iisque in civitatibus, in quas Taciti ætate patescebat Germania, Persarum fas & disciplina plurimis locis vigebant.

Germanis tenuem fuisse potentiam d), antequam ad quoddam pervenere fastigium, firmatur fide Taciti historica de incrementis nominis Germanici scribentis: "ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim &c., unde liquet, nationem aliquando cis Rhenum floruisse, cui nomen Germanorum proprium fuit. Ut igitur mentem Nostri melius capiamus, sciendum, nomen gentis latius, nationis angustius patere e). Taciti ætate Cimbri, Chauci, Svevi, Gambrivii, Marsi, Vandalii &c. omnes uno nomine appellabantur Germani. Ita nationis nomen evaluerat, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis, invento nomine, Germanici vocarentur. Sic tria heic de origine nominis Germanici tradit auctor: 1:o illud ab initio non fuisse totius gentis, sed nationis nomen 2:do: illud scilicet nomen a victore omnibus

d) Strabo l. 4, pag. 192.

e) Popma de differ. Verb. it. Bernholdi Lexicon in his vocibus.

bus ſuis copiis victricibus ad terrorem hoſti injiciendum eſſe inditum, & denique 3:o: omnes a ſe ipſis, invento nomine, quod omnibus proprium non erat, Germanos eſſe vocatos. Fuit igitur natio illa Perſica non ſolum venerabilis, ſed etiam formidabilis; omnes enim a victore ad terrorem nimirum Gallis incutiendum vocati ſunt Germani, ut ſcilicet eo facilius loca Belgii occuparent, partaque victoria fruerentur ſecuri.

§. IV.

Ipſe autem Tacitus nonnulla etiam Perſicæ Germanorum originis indicia affert, quæ cum Hiſtoricorum fonte, Herodoto, aliisque collata omnem tollunt dubitationem.

Tacitus f): "Proprium gentis equorum "quoque præſagia & monitus experiri — hinni"tusque & fremitus obſervant, nec ulli auſpicio" &c. ſic Darius Hyſtâſpis hinnitû equi Rex Perſarum eſt electus g).

Tacitus h): "de reconciliandis invicem ini"micis — — in conviviis conſultant: — gens "non

f) Germ. c. 10. v. 5.

g) Justin. l. 2.

h) Germ. 22. v. 4, 5.

"non aſtura — aperit adhæc ſecreta pectoris li- "centia joci". Herodotus i). (Πέρσαι) μεθυσκόμενοι δὲ ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιέστατα τῶν τε πρηγμάτων Tac. k) "Solent & ſubterraneos ſpecus aperire, ſuffugium hyemi & receptaculum frugibus" &c., quod & fecère Mardi cum Germanis in Herod. recenſiti l).

Tac. m) "cibi ſimplices, ſine blandimentis "expellunt famem: — adverſus ſitim non eadem "temperantia". Herod. n) σίτοισι δὲ ὀλίγοισι χρέωνται — οἴνῳ δὲ κάρτα προσκέαται.

Tac. o) "Germani nec cohibere parietibus "Deos, — nec arbitrantur". Herod. p) ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι.

Neque cœlum aut ſolum, quale Taciti ætate deſcribitur, inſolens erat Germanis. Herod. q) (Πέρσαι) χώρην ἔχοντες τρηχείην.

i) Lib. 1. c. 133. cfr. Strabo l. 15. k) Germ. 16. v. 5. l) Lib. 1. cfr. Curt. l. 5. c. 6 et l. 7. c. 4. m) Germ. 23, v. 2, 3. n) Lib. 1. c. 133. o) Germ. c. 9. v. 3. p) Lib. 1. c. 131. cfr. Cic. de leg. l. 2. c. 10. Her. l. 8. c. 109. Zenda-westa it. Hyde Hist. relig. Perſ. vet. q) Lib. 1. c. 71. cfr. Curt. l. 7. c. 3.

Hæc de origine vitaque Germanorum sufficiant pauca: modo adjiciam, Germanos, quorum apud Tacitum laudantur instituta & virtutes, ipsius ætate ab antiqua honestate & fide haud degenerâsse: exemplo Persarum, quibus nihil antiquius, nihil magis curæ cordique fuit, quam probos mores ab ineunte ætate formare atque fingere.

§. V.

Illustris erat Germanis in Persia honestatis ac morum officina, de qua Xenophon r): Ἔστιν αὐτοῖς Ἐλευθέρα ἀγορὰ καλουμένη; vocabatur forum illud Justitiæ schola. Fuerê forsan plures hujusmodi in Persia scholæ: Germanos autem, agriculturæ deditos, in his frequentes adfuisse vix credam, eosque inprimis, quibus filios in otio literarum alendi non erat facultas s).

At quæstio jam oritur: an hæ Justitiæ scholæ etiam fuerint literarum officinæ; an Germani Taciti ætate fuerint literarum expertes? Ad priorem quæstionem, de qua heic quidem non agitur, definite ex Xenophonte t) responderi nequit.

Po-

r) Lib. 1. c. 2. s) Xenoph. l. 1. t) Cyropæd. l. 1. pensitentur tamen Diodor. Sic. Bibl. hist. l. 2. n. 118. Strabo l. 15. Brisonius de Reg. Pers.

Posteriorem vero, quæ hujus loci erit, multi doctissimi viri affirmant, freti his Taciti verbis u): Literarum secreta viri pariter ac fœminæ ignorant. At sensum Taciti hîc enucleare operæ pretium est; hæc enim ipsius verba, me judice, nullam inducunt caliginem Germanorum literaturæ.

§. VI.

Est autem boni cujusvis interpretis, antecedentia & consequentia conferre scopumque attendere. Videmus autem, Tacitum particula Ergo, conclusionis vim habente, caput 19 inchoare, cui inter alia hæc subjungit verba: Secreta literarum &c. Num hæc vult auctor? Germani sunt indigenæ, miniméque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixti, Ergo (haud mirum est) literarum secreta &c., an potius? Germani castitati præcipue student, Ergo septa pudicitia agunt, — Ergo literarum secreta &c. quantum ex hac severiori disciplina commodum! paucissima in tam numerosa gente adulteria.

Cer-

u) Germ. c. 19. v. 1.

Certe particula Ergo, quam in fronte gerit c. 19, hic videtur indicare, literarum secreta apud Germanos a viris fœminisque ignorari ad avertendum pudicitiæ periculum, quod ex quibusdam characteribus, haud omnibus notis, atque secretis epistolis subnasci potest, & sic Germanis relinqueretur usus literarum publicus, quemadmodum vicinis Gallis v). Rectius igitur hoc loco literarum secreta sunt literæ secretæ, amatoriæ: nec infrequens est Tacito vox Secretum de occultis & clandestinis rebus & consiliis, nec illi procul dubio ignota erant nequitiæ mysteria Romæ vigentia, quæ Petronius Arbiter, purissimæ Latinitatis impurissimus Scriptor, detexit: insûper a Romanis x), Lacedæmoniis y) & Barbaris ad occultanda in rebus licitis consilia usurpata est secreta scriptura. Quod vero Germania Taciti ætate literum expers fuerit, ex his ipsius verbis nunquam extorqueri, quin potius firmum ex illis contra ignorantiam literarum exstrui potest argumentum. Significatione allata nec aliquid Germanorum literaturæ perit, nec alienus Tacito affingitur verborum sensus; sed consilio auctoris omnia tam antecedentia, quam consequentia optime congruunt.

v) Comm. Cæs. l. 6. c. 14. x) Gellius l. 17. c. 9. y) Com. Nep. 4. 2 cfr. Breithaupt de art. decifr. it. G. C. Gebaueri vest. jur. Germ. antiqu. Diss. 19. p. 761 et 764, in hunc Taciti locum it. nota Ernesti.

Corrigenda.

In Tomo Dissertationum Priori.

Pag. 2. l. 2. leg. enim. P. 12. l. 1. primis. P. 25. l. 3. Chriſtianæ l. 20. ſequitur. Pag. 42. l. 18. incendium. P. 52. l. 16. illis. P. 62. l. 13. feſtis. P. 72. l. 14. minorem. P. 75. l. 2. accipiat. P. 82. l. 12. At del. P. 86. l. 12. præeminebat. P. 96. l. 4. minio. P. 103. l. 3. dracones. Coramque. P. 120. l. 15. carmine. Pag. 127. l. 2. ſede. P 129. l. 12. ſuppliciis. P. 131. l. 15. privari. P. 147. l. 10. frugiferum. P. 152. l. 1. Muslemios. P. 154. Not. m. l. 3. [illegible] P. 174. l. 4. 5. בשומי־בגיחו P. 180. l. 15. diſtinguunt. P. 191. l. ult. Tavernier. P. 208. l. 20. juſſu P. 224. l. ult. cœpta eſt. P. 225. l. 11. profecto. P. 227. l. 8. narratarum. P. 233. l. 9. quam. P. 236. l. 2. pertinet. P. 279 l. 18. congruunt. P. 287. l. 5. eandem. P. 347. l. 14. caſibus. P. 380. l. 15. συρισδω P. 383. l. 11. textus ita legatur: ſed ipſius rerum naturæ finibus terminat. Cum autem hæc formas rerum fingendi vis in ceteris rebus &c. P. 390. l. 15, 16, 21. original — n'eut — figura. P. 422. l. 12. poſuerit. P. 440. l. 8. conſcientia. P. 444. l. 5. interpoſitis ſententiis. P. 445. l. 5. προσειπουσαν. P. 448. l. pen. vero. P. 451. l. 12. Heroum. P. 460. l. ult. defutura. P. 465. l. ult. audacibus cum ſumma perſpicuitate, vulgaribus cum ſumma dignitate &c. Pag. 469. del. not. a). P. 506. l. 14. momenta. P. 513. l. 8. componi. P. 515. l. 10. Athenienſium. P. 517. l. 9. ſqualore. P. 527. l. 22. poſſit. P. 567. l. 2. propiora.

ſcribens, & Ptolemæi verba adferens, qui ita g): "Regionis pars, quæ juxta Armeniam eſt, vocatur "Arrapachitis, quæ vero juxta Suſianam Sittacene; "media autem tenent Garamæi: vocatur ea, quæ "inter Arrapachitidem & Garamæos eſt, Adiabene, "verum ad Garamæos eſt Arbelitis regio". Thogarmæos autem eſſe Armenios, opinio eſt h), & quidem ex multiplici traditione, quæ non modo exteris, ſed ipſis quoque Armeniis ſedet; genus enim ſuum ad aliquem referunt Thogarmum, quem quartum a Japheto faciunt ita i):

Japhetus — Gomer — Thiras — Thogarm — Haic — Armenac — Aramæis.

Quin & prolem Thogarmi ſe antiquitus illi appellârunt; quam in rem inſignis eſt antiquiſſimi Armeniorum Scriptoris, Maribæ Catinenſis, locus k). "Haicus, inquit, cum alia turba "inter occidentem ſolem & ſeptentrionem progre"ditur, ac ſedem poſuit in excelſa quadam plani-

"tie-

g) de Assyria l. 6, c. 1.

h) Græci Ezechielis Scholiastæ.

i) Mos. Chorenens. l. 1, c. 4, p. 12.

k) Mose Chor. excerptus p. 26.

"tie montuofa, cujus nomen appellavit Harchi-"am 1), quippe cum illic ftirps Thogarmi ha-"bitaret". Hinc igitur liquet, Germanios in Armenia, quam incoluere Garamæi f. Thogarmæi, habitâffe, ac ejusdem vero fimillime ftirpis fuiffe.

Linguam vero Germanicam quod attinet, hujus cum Perfica affinitas fpectat non folum voces:

است	*eft, ift*	دروغ	*dürugh, betrug*
اندر	*ender, unter*	دوختر	*dochter, tochter*
بند	*bend, band*	موش	*mûs, maus*
بربر	*barber, barbier*	نام	*nam, name*
برادر	*bürâder, bruder*	نو	*new, neu*
تو	*tu, du*	یوغ	*jügh, joch.*

fed etiam ipfas regulas grammaticales e. gr. forma comparativi terminatur in تر *ter* ut: بدتر *bedter, fehlimmer* خوشتر *chôfter, beffer:* forma infinitivi in دن *den* & تـن *ten* fic: بنـدن *benden, binden* گرفتن *geriften, greiffen:* imperativi forma fit potiffimum rejiciendo ultimam fyllabam fic: a مانـدن *manden, bleiben* مان *man, bleib:*

1) Montem Armeniæ majoris.

bleib: in statu constructo ponitur rectus, seu genitivus post illud nomen, a quo regitur, sic: شوهري برادر *süheri büråder, die Frau des Bruders.*

His paucis sufficiat. Miram autem Linguae Germanicae cum Persica cognationem copiosius tractant, De fatis linguarum Orientalium m), Bonaventura Vulcanius n), Schötelius o), Angelus a S. Josepho p), et plures alii.

§. II.

Quo autem tempore Germani in regiones, quas hodie tenent, primi delati sint, paucis jam repetam. Verosimillimum est, aevo Cyri ob ducum

m) Viennae 1780, fol. p. 45 — 64.

n) In tractatu de Lingua Getharum Lugd. Bat. 1597, p. 87.

o) De matre Linguae Germanicae l. 1. diss. 9.

p) In Gazophyl. Linguae Pers. c. 3, ostendit etiam analogiam inter hanc et Belgicam Linguam cfr. B. Waltoni Biblia Polyglotta in Proleg. XIV. p. 101, nosterque Cel. Celsius in dissert. de Convenientia Linguae Pers. et Sveanae.

eum crudelitatem, patria eos profugos novamque sedem sibi quærentes in hac parte orbis pedem fixisse. Testatur enim Diodorus Siculus q): "gen-"tes progressas ex Paphlagonia & Media latissima "spatia ad septentrionem occupâsse, vicisse Cyrum, "ac sub illam ætatem gentes Henetas, Alcanias, "Lygias, ex Asia minore commotas, Cimbros se-"quutas fuisse, cum quibus ex cognatione linguæ "& morum conjunxerunt se multi populi, ad mare "Caspium Germani, Arii, Daji, Sacæ & alii". Cui annuit, J. Nauclerus r), qui ita: "Circa "initium Monarchiæ Persicæ post captum Crœsum "magna populorum agmina Asiam reliquerunt, "cum ductores Cyri crudeliter grassarentur ac ini-"tia sævæ tyrannidis fierent". Quam rem insinuare quoque conspicitur Petrus Bizarrus s). Ubi autem hæ gentes habitârint, memorat Joh. Cur,

q) Verba affert J. Nauclerus in Chronol. ed. Colon. in fol. 1597, p. 12.

r) In Chron, p. 12.

s) In rerum Persic. Hist, Festi 1601, in fol. l. 1. cfr. J. Bircherodii Disquis. Antiqu. Dan. gent. 1706, p. 2, p. 76, 77.

Cur. Freiſtadienſis t): "habitârunt in Aſia "minore ante tempora Perſiça ſimul Myſi, Aſcanii, "Lygii & Heneti, & rurſus amplius ad Orientem "& Aquilonem ad mare Caſpium usque, & in "aliqua parte Armeniæ Moſchi, Cimbri, Germani, "Daji, Sacæ, Arii, Syebi & ultra hos Schytæ". Denique refert Cel. Naucl erus: hos populos ſedes novas quæſituros, ſe cum Cimbris conjunxiſſe, ac in Europam eſſe transgreſſos; tempus vero, quo in Europam delati ſint, ad annum mundi 3440 retulit Er. Olai Tormius u), & Germanos nonnullis ante tempora Taciti ſeculis in confinio Gallorum ſedem habuiſſe, memoriæ prodidit Strabo v). Nationem autem, non gentem Germanicam hic intelligi ex rerum geſtarum monumentis facile evincitur. Tacitus refert x): nationis nomen, non gentis, evaluiſſe paulatim. Scilicet ſub adventum exigua illorum manus fuit: paullatim vero ita numero & viribus crevit, ut ceteris Germaniæ incolis nomen & varios ritus dederit.

§. III.

---

t) In Annal. gent. Siles. Witteb. in fol. 1571, p. 12. u) Antiqu. Dan. Serm. 13.

v) l. 4, p. 192. x) Germ. c. 2, v. 6, 7.

§. III.

De origine Nominis Germaniæ tradit graviſſimus Auctor: "Cæterum Germaniæ vocabu-"lum recens & nuper additum" (ante Jul. Cæſarem enim toti genti non invenitur additum); eſt autem additum: "quoniam qui primi Rhenum "transgreſſi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, "tunc Germani vocati ſint" y), non a Romanis nec Gallis, id eſt, non nomine vel Romano vel Gallico, nec cognomine tantum, ſed fuit hoc nationis nomen. Si autem "plerique Belgæ, teſte J. Cæſare, a Germanis ſunt orti z); ſedulo debetur Taciti ſcrutinio, quod certam aliquam ſedem Germanorum, e Perſia oriundorum, poſſimus hodiedum digito monſtrare.

Tungri Plinii ætate ad Galliam pertinebant, ubi nunc Leodium, Namurcum, Limburgum, & ipſa, quæ nomen hodie retinet, Tungrorum civitas. Tungri, inquit Plinius *), Galliæ civitas, fontem habet inſignem (hodie Spa). Huc fer-

y) Ibid. z) Jul. Cæs. l. 2. c. 4.

*) Pl. l. 31. c. 8. cfr. notas Harduini in Plin.

fertilitas terræ procul dubio Persas invitabat; Germani enim, teste Herodoto a), in Persia erant agricultores. Γερμάνιοι ἀροτῆρές εἰσι.

Potentiam autem & multitudinem Germanicæ hujus nationis, quæ omnium prima Rhenum transgressa est, inde æstimare licet, quod scilicet Cæsaris ætate ad 40 millia armatorum expedire posset; antiquitatem vero ejus confirmat, quod Cæsar dicit, antiquitus eos Rhenum transductos esse b).

Sed Germani Rhenum transgressi nomen cum solo mutavere, & vocati sunt nunc Tungri tunc Germani, gloriosum olim nomen, "circa affectationem cujus & Treviri & Nervii ultro "fuerê ambitiosi" c), omnesque nationes, quæ cis Rhenum longe lateque incolebant, ultimo advenientis Gemanicæ nationis ritus ac mores tanquam totidem gentis suæ decora adscivere. Sic Tacitus primos Rhenum transgressos monstravit, in Germania resides quærere distulit; nec opus erat, postquam jam tota illa regio hoc nomine & omine

a) Her. l. 1. c. 125. b) Cæs. Comm. l. 2. c. 4. c) Germ. c. 28. v. 6.

ne quaſi erat inaugurata, iisque in civitatibus, in quas Taciti ætate pateſcebat Germania, Perſarum fas & diſciplina plurimis locis vigebant.

Germanis tenuem fuiſſe potentiam d), antequam ad quoddam pervenere faſtigium, firmatur fide Taciti hiſtorica de incrementis nominis Germanici ſcribentis: "ita nationis nomen, non gentis evaluiſſe paulatim &c., unde liquet, nationem aliquando cis Rhenum floruiſſe, cui nomen Germanorum proprium fuit. Ut igitur mentem Noſtri melius capiamus, ſciendum, nomen gentis latius, nationis anguſtius patere e). Taciti ætate Cimbri, Chauci, Svevi, Gambrivii, Marſi, Vandalii &c. omnes uno nomine appellabantur Germani. Ita nationis nomen evaluerat, ut omnes primum a victore ob metum, mox a ſe ipſis, invento nomine, Germanici vocarentur. Sic tria heic de origine nominis Germanici tradit auctor: 1:o illud ab initio non fuiſſe totius gentis, ſed nationis nomen 2:do; illud ſcilicet nomen a victore omnibus

d) Strabo l. 4, pag. 192. e) Popma de differ. Verb. it. Bernholdi Lexicon in his vocibus.

bus suis copiis victricibus ad terrorem hosti injiciendum esse inditum, & denique 3:o: omnes a se ipsis, invento nomine, quod omnibus proprium non erat, Germanos esse vocatos. Fuit igitur natio illa Persica non solum venerabilis, sed etiam formidabilis; omnes enim a victore ad terrorem nimirum Gallis incutiendum vocati sunt Germani, ut scilicet eo facilius loca Belgii occuparent, partaque victoria fruerentur securi.

§. IV.

Ipse autem Tacitus nonnulla etiam Persicæ Germanorum originis indicia affert, quæ cum Historicorum fonte, Herodoto, aliisque collata omnem tollunt dubitationem.

Tacitus f): "Proprium gentis equorum "quoque præsagia & monitus experiri — hinni"tusque & fremitus observant, nec ulli auspicio" &c. sic Darius Hystâspis hinnitû equi Rex Persarum est electus g).

Tacitus h): "de reconciliandis invicem ini"micis — — in conviviis consultant: — gens "non

f) Germ. c. 10. v. 5. g) Justin. L. 2.

h) Germ. 22. v. 4, 5.

"non astuta — aperit adhæc secreta pectoris li-"centia joci". Herodotus i). (Πέρσαι) μεθυσκόμενοι δὲ ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιέστατα τῶν τε πρηγμάτων. Tac. k) "Solent & sub-"terraneos specus aperire, suffugium hyemi & re-"ceptaculum frugibus" &c., quod & fecere Mardi cum Germanis in Herod. recensiti l).

Tac. m) "cibi simplices, sine blandimentis "expellunt famem: — adversus sitim non eadem "temperantia". Herod. n) σίτοισι δὲ ὀλίγοισι χρέωνται — οἴνῳ δὲ κάρτα προσκέαται.

Tac. o) "Germani nec cohibere parietibus "Deos, — nec arbitrantur". Herod. p) ἀγάλματα μὲν καὶ ~~νηοὺς καὶ~~ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι.

Neque cœlum aut solum, quale Taciti ætate describitur, insolens erat Germanis. Herod. q) (Πέρσαι) χώρην ἔχοντες τρηχείην.

i) Lib. 1. c. 133. cfr. Strabo l. 15. k) Germ. 16. v. 5. l) Lib. 1. cfr. Curt. l. 5. c. 6 et l. 7. c. 4. m) Germ. 23, v. 2, 3. n) Lib. 1. c. 133. o) Germ. c. 9. v. 3. p) Lib. 1. c. 131. cfr. Cic. de leg. l. 2. c. 10. Her. l. 8. c. 109. Zenda-westa it. Hyde Hist. relig. Pers. vet. q) Lib. 1. c. 71. cfr. Curt. l. 7. c. 3.

Hæc de origine vitaque Germanorum sufficiant pauca: modo adjiciam, Germanos, quorum apud Tacitum laudantur instituta & virtutes, ipsius ætate ab antiqua honestate & fide haud degenerâsse: exemplo Persarum, quibus nihil antiquius, nihil magis curæ cordique fuit, quam probos mores ab ineunte ætate formare atque fingere.

§. V.

Illustris erat Germanis in Persia honestatis ac morum officina, de qua Xenophon r): Ἐστιν αὐτοῖς Ἐλευθέρα ἀγορὰ καλουμένη; vocabatur forum illud Justitiæ schola. Fuerê forsan plures hujusmodi in Persia scholæ: Germanos autem, agriculturæ deditos, in his frequentes adfuisse vix credam, eosque inprimis, quibus filios in otio literarum alendi non erat facultas s).

At quæstio jam oritur: an hæ Justitiæ scholæ etiam fuerint literarum officinæ; an Germani Taciti ætate fuerint literarum expertes? Ad priorem quæstionem, de qua heic quidem non agitur, definite ex Xenophonte t) responderi nequit.

Po-

r) Lib. 1. c. 2. s) Xenoph. l. 1. t) Cyropæd. l. 1. pensitentur tamen Diodor. Sic. Bibl. hist. l. 2. n. 118. Strabo l. 15. Brisonius de Reg. Pers.

Posteriorem vero, quæ hujus loci erit, multi doctissimi viri affirmant, freti his Taciti verbis u): Literarum secreta viri pariter ac fœminæ ignorant. At sensum Taciti hic enucleare operæ pretium est; hæc enim ipsius verba, me judice, nullam inducunt caliginem Germanorum literaturæ.

§. VI.

Est autem boni cujusvis interpretis, antecedentia & consequentia conferre scopumque attendere. Videmus autem, Tacitum particula Ergo, conclusionis vim habente, caput 19 inchoare, cui inter alia hæc subjungit verba: Secreta literarum &c. Num hæc vult auctor? Germani sunt indigenæ, miniméque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixti, Ergo (haud mirum est) literarum secreta &c., an potius? Germani castitati præcipue student, Ergo septa pudicitia agunt, — Ergo literarum secreta &c. quantum ex hac severiori disciplina commodum! paucissima in tam numerosa gente adulteria. Cer-

u) Germ. c. 19. v. 1.

Certe particula Ergo, quam in fronte gerit c. 19, hic videtur indicare, literarum secreta apud Germanos a viris fœminisque ignorari ad avertendum pudicitiæ periculum, quod ex quibusdam characteribus, haud omnibus notis, atque secretis epistolis subnasci potest, & sic Germanis relinqueretur usus literarum publicus, quemadmodum vicinis Gallis v). Rectius igitur hoc loco literarum secreta sunt literæ secretæ, amatoriæ: nec infrequens est Tacito vox Secretum de occultis & clandestinis rebus & consiliis, nec illi procul dubio ignota erant nequitiæ mysteria Romæ vigentia, quæ Petronius Arbiter, purissimæ Latinitatis impurissimus Scriptor, detexit: insuper a Romanis x), Lacedæmoniis y) & Barbaris ad occultanda in rebus licitis consilia usurpata est secreta scriptura. Quod vero Germania Taciti ætate literarum expers fuerit, ex his ipsius verbis nunquam extorqueri, quin potius firmum ex illis contra ignorantiam literarum exstrui potest argumentum. Significatione allata nec aliquid Germanorum literaturæ perit, nec alienus Tacito affingitur verborum sensus; sed consilio auctoris omnia tam antecedentia, quam consequentia optime congruunt.

v) Comm. Cæs. l. 6. c. 14. x) Gellius l. 17. c. 9. y) Com. Nep. 4. 2 cfr. Breithaupt de art. decifr. it. G. C. Gebaueri vest. jur. Germ. antiqu. Diss. 19. p. 761 et 764, in hunc Taciti locum it. nota Ernesti.

Corrigenda.

In Tomo Dissertationum Priori.

Pag. 2. l. 2. leg. enim. P. 12. l. 1. primis. P. 25. l. 3. Chriſtianæ l. 20. ſequitur. Pag. 42. l. 18. incendium. P. 52. l. 16. illis. P. 62. l. 13. feſtis. P. 72. l. 14. minorem. P. 75. l. 2. accipiat. P. 82. l. 12. At del. P. 86. l. 12. præeminebat. P. 96. l. 4. minio. P. 103. l. 3. dracones. Coramque. P. 120. l. 13. carmine. Pag. 127. l. 2. ſede. P. 129. l. 12. ſuppliciis. P. 131. l. 15. privari. P. 147. l. 10. frugiferum. P. 152. l. 1. Muslemios. P. 154. Not. m. l. 3. [illegible] P. 174. l. 4. 5. בשומי־בגיחו P. 180. l. 13. diſtinguunt. P. 191. l. ult. Tavernier. P. 208. l. 20. juſſu P. 224. l. ult. cœpta eſt. P. 225. l. 11. profecto. P. 227. l. 8. narratarum. P. 233. l. 9. quam. P. 236. l. 2. pertinet. P. 279 l. 18. congruunt. P. 287. l. 5. eandem. P. 347. l. 14. caſibus. P. 380. l. 15. συρισδω P. 383. l. 11. textus ita legatur: ſed ipſius rerum naturæ finibus terminat. Cum autem hæc formas rerum fingendi vis in ceteris rebus &c. P. 390. l. 15, 16, 21. original — n'eut — figura. P. 422. l. 12. poſuerit. P. 440. l. 8. conſcientia. P. 444. l. 5. interpoſitis ſententiis. P. 445. l. 5. προσειπουσαν. P. 448. l. pen. vero. P. 451. l. 12. Heroum. P. 460. l. ult. defutura. P. 465. l. ult. audacibus cum ſumma perſpicuitate, vulgaribus cum ſumma dignitate &c. Pag. 469. del. not. a). P. 506. l. 14. momenta. P. 513. l. 8. componi. P. 515. l. 10. Athenienſium. P. 517. l. 9. ſqualore. P. 527. l. 22. poſſit. P. 567. l. 2. propiora.

In Tomo Posteriori.

Pag. 4. l. 17. granditati. P. 5. l. 17. affectationis. P. 14. l. ult. gentium interitu. P. 36. l. 12. contentionem. P. 46. l. 8. gravissimis. P. 61. l. 1. evertit. P. 108. l. 1. incompositi. P. 114. l. 15. genealogiarum. P. 119. l. 5. plus del. P. 127. l. 12. μεμνημενους. P. 140. l. 11. aliorum. P. 164. l. 12. erupisse. P. 166. l. 6. probabiliter. P. 202. l. 6. transiit. P. 268. l. pen. transnatavere. P. 270. l. 15. sarcinarum. P. 278. l. 21. in eorum. P. 203. l. 4. desertis. P. 319. l. 13. hæc del. P. 320. l. 2. papaveris. P. 358. l. 18. ante. P. 20. Ah. P. 446. l. 16. Antiochum.